MATTHÆI SUTLIVII

DE CATHOLICA, ORTHODOXA, ET VERA CHRISTI ECCLESIA, LIBRI DVO:

In quorum primo pseudoecclesia Romana speciosa ecclesiæ Catholicæ persona, qua multos miseros mortales multos iam annos ludificata est, detrahitur: in secundo orthodoxa per Angliam, Germaniam, Scotiam, Galliam, & alias regiones in vna fide consentiens ecclesia à *Bellarmini, Sanderi, Rosseï, Alani, Vlenbergij, Bozij, Rescij, Verstegani* & reliquorum Pontificiæ ecclesiæ propugnatorum calumnijs vindicatur:

In vtroque omnis illa *Bellarmini* de notis ecclesiæ disputatio, eiusdemque, & reliquorum contumeliosissima, & mendacissima in ecclesiam nostram, ecclesiæque nostræ nonnullos claros viros scripta, imagines, & conuitia variè sparsa refelluntur.



APOCAL. 17.

Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius.

IEREM. 3. 8.

Et vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quia propter quod mœchata est auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij, & non timuit præuaricatrix soror eius, sed abijt, & fornicata est etiam ipsa.



LONDINI

Excudebant Reg. Typog.

Anno salutis humanæ
CIↃ IↃ XCII.

1 August. con. Petil. epist. c. 3.

Nolo[1] *humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.*

2 Ibidem.

Non[2] *audiamus, hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certi libri dominici, quorum authoritati vtriq; consentimus, vtriq; credimus, vtriq; seruimus; ibi quæramus ecclesiam: ibi discutiamus causam nostram.*

3 Ibidem.

3 *Auferantur illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, sed aliunde recitamus.*

4 Ibidem c. 2.

4 *Inter nos & Donatistas quæstio est, vbi sit ecclesia. Quid ergo sumus facturi? In verbis nostris eam quæsituri? an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit Corpus suum.*

5 Augustin. Quæst. Euang. secundum Matth. qu. 11.

5 *Boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur, & bonos mores.*

6 Tonstal. li. 2. de verit. corp. & sang. do. in Eucharist. p. 120.

6 *Ille est verus, & germanus & Catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi Corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam authoritatem, non amorem, nō ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, &c.*

7 Vincent. Lirin.

7 *In Catholica ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè Catholicum.*

ILLVSTRISSIMO, ET FORTISSIMO viro, D. ROBERTO DEVEROXIO Essexiæ Comiti.

S. P.



EDITI sunt per hos superiores annos, Comes Illustrissime, complures in ecclesiam Dei, in religionem veram, in pios & doctos viros, in nos deniq; omnes qui vna veræ religionis professione coniungimur, contumeliosi libri: si modo libri dicendi sunt, qui in bonorum contumeliam scripti sunt, libelli famosi. Sed siue libros dicamus, siue libellos, hoc certè constat inter omnes pios, nihil illis hanc nostram ætatem vidisse, si ipsos librorum authores excipias, flagitiosius aut nequius. Authores librorū sunt, *Sanderus, Alanus, Bristous, Stapletonus, Rishtonus, Rosseus, Hamiltonus, Bellarminus, Bozius, Rescius, & Vlenbergius*, sacerrimorum librorum authores sanè impij & sacerrimi. Editæ sunt etiam à quodam transfuga, ni fallor Anglo, sub nomine fictitio *Verstegani*, & alijs quibusdam pictoribus contumeliosæ in nos tabulæ & imagines, hominibus vt videtur nequissimis, & improbissimis. Taceo *Eckium, Cochleum, Staphylum, Bolsecum, Genebrardum*, veterésque in nos conductos sycophantas, omnésq; illorum sycophantias. Nam istos veteres, recentiores illi sua scelerata maledicendi licentia longè superarunt, & tanquam effœtos milites noua malitia sua e calumniatorum centurijs expunxerunt.

His ego venenis & pestibus, cum magnam hominum imperitorum, & infirmorum animis labem inserti viderē, antidotum hoc libro opponendum putaui. Non quòd apud alios, nullam his malis antehac allatam medicinam censerem: sed quòd mutata vis morbi, & nostris quodammodo hominibus

peculiaris, nostram etiam in illis tollendis manum, & nouam curationem nostram postulare videretur. Omnem autem ad varia illorum hominum conuitia orationem nostram in hunc librum coniecimus. Illud enim putauimus, & huic nostro instituto accommodatius, & lectoribus fore iucundius. Nam cum ab vno mendacij, & odij fonte Satana edocti eadem nobis sæpiùs repetita, & inculcata plures obijciant, quid ego eisdem calumnijs, & responsionibus repetendis, mihi laborem, lectori tædium, & molestiam afferrem? Hæc nos semel dixisse sufficiet: Deus autem nisi maturè ipsos istarum calumniarū pœniteat, plura illis quàm nos diximus mala faciet. Quod etiam iam inchoasse videtur. Nam cum istis immisit iam furorem, vt varijs mentis erroribus agitati, nec quod impium & falsum laudant, nec quod rectum & pium vituperant, agnoscant.

Hunc ego qualemcunq; librum, tua summa erga me fretus beneuolentia, tuo (Domine honorande) Clarissimo nomini inscripsi. Cur autem illud facerem grauissimas habui causas: hostes enim ecclesię videbam mihi futuros iratiores: ciues autem metuebam illos, qui nihil non suum probant, ni mihi forent iniquiores. Aduersus vtrosq; igitur tui nominis mihi præsidiū comparandum erat, quo nemo aduersus hostes fortior, aut ciuibus suis charior esset.

Quod autem necessitate coactus primo feci, illud etiam officio inductus libentiùs faciendum duxi. Nam si quid erga ecclesiam Dei, aut communem patriam (cuius ego dignitatem aduersus hominum importunissimorum calumnias pro virili defendi) aut denique si erga bonos viros quicquam benè feci: omne illud tibi, cui me omnia summa debere profiteor acceptum ferendum est: sin verò assequi non potuerim quod volebam, voluntas tamen hæc mea tibi ascribenda erit: testimonium certè meæ perpetuæ erga te voluntatis & officij, aliquod extare summè cupiebam.

Cur autē tibi meos istos labores nō ingratos fore confiderem, multis rationibus adductus sum. Veritatis causam ago aduersus

uersus calumniam, innocentiæ aduersus perfidiam, Veræ autem religionis, & bonorum virorum defensio tibi semper fuit antiquissima. Ecclesiam porrò orthodoxam aduersus pseudo-ecclesiam Romanam defendo, Illam tu, vtpote in illa enutritus, semper amplexus es, ab hac propter multiplices eiusdem errores, & superstitiones tibi cognitas refugisti.

Regni etiam huius, & Reginæ serenissimæ, Regisq; Gallorum inuictissimi famam & dignitatem, quam mordaces & virulenti canes (homines enim cur ego istos latratores appellem?) omni mendaciorũ & maledictorum genere oppugnant, defendendam in me suscepi, Patriæ autem nemo teipso charior, nec qui magis patriam teipso amet. Eius enim summo amore inductus maxima bella adolescens obijsti. Nullus teipso ad suscipienda pro patria pericula alacrior. Principem ex omnibus vnam maximè colis, secundum illam Regem Gallorum, cuius tu bellis miles maxima tua cum laude interfuisti, proximum habes, quẽ omni amore & officio complectaris. Cum igitur nihil magis cupias, quàm vt per te princeps & patria, quémq; tu amas, & qui te amat plurimùm *Henricus* Gallorum Rex, summo sint apud omnes in honore: quid ego cogitarem aut facerem, quod tibi gratius, aut iucundius accidere, potuit, quàm postquàm arma, quæ priùs tractare didici a me posita sunt, vt in noua hac sub tuis auspicijs militans militia, ferociam hominum improborum comprimerem, loquacitatémq; sophistarum garrulorum, qui religioni, regibus, & pijs maledicunt, castigarem? Non quòd apud viros bonos, rerúmque peritos bonorum virorum innocentia meæ orationis præsidio egeat, sed ne plus apud ignotos, & imperitos valeret improborum calumnia, quàm innocentia incognita, & indefensa.

Vt debita istiusmodi hominibus redderetur pro maledictis merces, non verbis castiganda, sed ferro lingua illorum impia demetenda erat. Quod verbis faciendum erat, ego feci, vt illorum iniuria, & nostra innocentia omnibus constaret: quod reliquum istis debetur, vestrum est, qui legibus præestis persol-

uere: si nec vobis facultas aliqua oblata erit, at Deus tandem persoluet, istosq; venenata lingua omniun bonorum famam quantùm possunt afflantes eradicabit.

Accipe igitur (Illustrissime Comes, multisque mihi nominibus honorande Domine) hoc qualecunq; munusculum, indignum quidem aut tanta causa, aut tuis amplissimis in me meritis: sed quantum pro meis summis occupationibus in tantillo tempore, quantum mihi ad hoc opus perficiendum concessum fuit elaborare potui maximum. In hoc libro aduersus quale genus hostium, optimam causam armis, & manu defendisti, & à quibus cauendum est, cognosces. Macte igitur virtute fortissime vir, & quem pro veræ riligionis, & regni huius defensione cursum ingressus es, vsque ad extremum persequere, nosq; vt cœpisti ama & tuere.

Tuæ amplitudinis studiosissimus,

MATTH. SVTLIVIVS.



Ad Lectores Præfatio.



Vemadmodum in extrema pugna milites, confractis iam hastis, & pilis, & retusis gladijs, saxis & sudibus, & vndique correptis telis depugnare solent: Sic Romanæ ecclesiæ propugnatores, qui nunc apud suos plurimarum palmarum & fortissimi habentur gladiatores, in hoc vltimo languentium partium suarum incursu, retusa argumentorum quibus nos primùm petebant acie, confractísque & discussis illis rationibus, quibus illorum maiores fidebant, tumultuarium quoddam pugnæ genus elegerunt, nósque omnibus conuitijs, probris & mendacijs obruendos potiùs, quàm refutandos putarunt. Quod genus bellandi, licet ab omni theologicæ concertationis disciplina alienum sit; his tamen bellatoribus vnicè placet. Neque enim tam Scripturæ sacræ, aut patrum scripta, quàm istæ artes huiusmodi causæ, & hominum ingenijs conueniebant. Scripturæ mendacium euertunt: patres testimonium præbent veritati: isti autem per mendacia, & calumnias iniquum postulant, & iniuriæ se patronos profitentur. Adeóque hic morbus omnes huius temporis scriptores pontificios inuasit, vt nec Bellarminus *eam quam præ se fert grauitatem præstet. Nam licet more scholastico nonnunquam disputet, vbique tamen mendacium tanquam vnicum causæ pontificiæ salem inspergit, & ad conuitia peruulgata in* Caluinum, Lutherum *& reliquos nostræ ecclesiæ doctos & claros viros libenter recurrit.* Sanderus *hoc vnico telo per vniuersum suum de schismate Anglicano librum nostram causam oppugnauit. Multis enim in vnum locum contractis mendacijs & contumelijs; in religionem odium, in religionis veræ patronos infamiam & inuidiam conflare conatus est. Hunc quasi vestigijs persequuti sunt* Bristous, *&* Rishtonus: *magistrum mendacem, mendacissimi discipuli. His enim nihil aliud pensi erat, nisi vt infanda quæq; in nos facinora confingerent. Prodijt etiam non ita pridem crassus mendaciorum & maledictorum liber, crassa Minerua à crasso quodam & putido sophista* Vlenbergio *editus. Voluit hic sale nos suo perfricare, sed adeò id fecit insulsè, vt nihil*

aliud

aliud nobis probarit præter summam nocendi voluntatem. Nuperrimè autem Roma ad nos transmisit ingens calumniarum volumen Bozius. *Quem non miror multa in nos impudenter confinxisse, & dixisse: huiusmodi enim solet esse lupanaris Rom. disciplina. In eodem stadio currens* Rescius *magnam suis spem fecit, calumniando se facilè, si paulùm connixus fuerit, reliquis omnibus palmam prærepturum. Nihil enim sibi ad summam in nos* [1] *virulentiam fecit reliqui. Inter reliquos etiam non vltimum locum meretur* Rosseus. *Impudentißimè enim omni eroso, & absterso pudore de nobis mentitur, & malè loquitur. Omnes denique nunc Pontificij hunc morem habent, vt calumniando veritatem: conuitiando veritatis defensores in odium vocent. Isti dum Hispani, & pontificis milites gladijs, & pilis bella gerunt, lingua & animis sæuiunt. Cupiunt quidem nos vnguibus & dentibus lacerare: cum illud non poßint, maledictis nos aggrediuntur, & conuitijs. Hæc illis instar gladiorum sunt: ijsque illi vtuntur pro runis, hastis, sicis, gladijs, tragulis & pilis.*

1 Præfat. libel. de min. stromach.

Ne autem sine omni argumento, aut crimine nobis maledixisse viderentur: sententias quasdam ex Luthero, Caluino, Beza, *& alijs Ecclesiæ nostræ claris viris arripuerunt. Has illi pro arbitrio truncarunt, mutarunt, detorserunt. Quasdam etiam eisdem ascribũt, quas eos nusquam docuisse, aut sensisse constat. Multa ipsi, & in fide, & moribus crimina fingunt, quorum aut testes nullos, aut nonnisi iniquos & suspectos proferre poßunt. Quis enim in* Staphylo, Cochleo, Bolseco, Genebrardo, Sanctio *aut fidem, aut religionem vllam exspectet? omnes isti offa, & cibo conducti, mercede indignißimi censerentur, nisi nobis aliqua re, aut malè faciendo, aut malè loquendo nocerent.* Bolsecus *homo apertus & simplex ab Episcopo Lugdunensi se mercede ad mentiendum conductum planè significat. Qui istis non credunt, cur illi* Alano, Bristoo, Sandero, Rishtono *& alijs ex Anglia transfugis credant? Isti enim non tantum mercede conducti, sed odio patriæ incitati, de nobis mentiuntur.* [2] Sanderus *vbi se fama illa accepisse fatetur, quæ in libro de schismate Anglicano scripsit; contra se grauißimum dixit testimonium.*

2 In præfat. libr. de schism.

Huiusmodi argumentis & testibus quum vniuersa pontificiorũ nitatur accusatio, quis non eam vehementer contemneret? Primò enim, falsa

falsa sunt quæ in Lutherum, Caluinum, Bezam, & alios confinxerunt omnia: neque enim aut tabulis, aut testibus vllis fide dignis probantur. Deinde quæcunq; fuit istorum sententia, non ea debet nostris ecclesijs præiudicare, quæ non vlterius eos duces sequuntur, quam ipsi verbi diuini muniuntur authoritate. Non est enim fides nostra super istorum sententijs ædificata: nec vlla huiusmodi necessitate tenemur, quin ab illis liberè dissentire liceat. Cur igitur nobis priuati alicuius hominis sententiam obyciant? Idem denique de moribus quorundam respondemus: crimina enim aut conficta sunt, aut suos tantum authores tenent. Illos qui illa non probant, priuatorum hominum delicta non obligant. Quod quidem licet ad varias istorum diluendas calumnias satis esset: mihi tamen istud non satisfecit. Nam licet facile contemni possent istæ calumniæ, mihi tamen & calumniatores exagitandi, & calumniæ istæ separatim excutiendæ videbantur. Neque enim ferendæ sunt importunorum scurrarum in nos perpetuæ contumeliæ, nec silentio prætereundæ calumniæ. Sanderus passim nos schismaticos vocat: Idem in principes, & regnum hoc contumeliosum edidit [1] tractatum, quem & Bristous, & Alanus probarunt, Rishtonus multis etiam mendacijs locupletauit. Quis autem ista Anglici nominis studiosus non molestissimè ferret? Pari in nos odio prolixè in nostram causam inuectus est Vlenbergius, sed aliquanto minore nocendi facultate. Castigandus est tamen & ipse, quia fecit quantum potuit, omnique ratione homines ab euangelij luce, ad tenebras pontificias abducere conatus est. Multa etiam & in singulos, & in vniuersam ecclesiam effutiuit Rescius, quæ vel mitissimis hominibus stomachum mouerent. Passim in nos ex triuijs arripiunt conuitia. Atque vt in furore populi cum animus sæuit ignobile vulgus, saxa & sudes volant: sic in hac scurrarum aduersus ecclesiam Dei conspiratione crebra volant, tanquam saxa & sudes, sic maledicta & calumniæ: Quibus non tantum optimum quemque, sed etiam vniuersam ecclesiam petunt. Adeoque furunt, vt cum verba odio in nos exitiali minimè respondeant, ad maledicta adiungant etiam sub Verstegani cuiusdam nomine contumeliosas in nos imagines. Hoc vnum illis a Pontifice Rom. mandatum videtur, vt in nos omnes liberè debacchentur. Sponte autem Rescius librum quendam se de Atheismis

[1] Hunc librum Ribadineira quidam hispanicè cum magna mendaciorum accessione, edendum curauit.

Lutheranorum *vt vocat editurum minatur: reliquique baccharum more in pios inuehuntur; adeo vt omnes horum temporum aduersus nos disputationes merum oleant* Bacchanal.

[1] Lib. de notis ecclesi.

Bellarminus *nos* Simonianos, Manicheos, Florinianos, & *(vt nobis pulchrum præripiat in Pontificiorum transubstantiationem telum)* Eutychianos *vocat: Idemque mox respirans, nos* Libertinos, & Anabaptistas *salutat.* Rosseus *patria relicta, vnde omnem profugiens post se reliquit pudorem, & religionem, in Gallia sedem fixit, vbi inter coniuratos sanguinea martem ciet manu: Is a nobis etiam nonnulla (vt sibi videtur) iniuria accepta valde iratus in nos sæuit. In Anglos vnus omnium quos ego vidi nisi fortè exhausti illius pudoris & mentis transfugam* Sanderum *excipias, maximè buccas inflat. Omnes pios conuitijs* [2] *pari iure malè mulctat. Tumido enim ore nos* Turcis & Paganis *dicit esse deteriores: & paulo post* Paratragœdians *carnifex,* [3] *monstra, & portenta, tricorporeos* Geriones, Briareos, Minotauros, & Centauros, *omnia ex veteribus poetis in nos corradens sonantia vocabula, vocat. Quasi nulla nobis esset religionis, aut virtutis cura ad atheismum degenerasse, diabolumque à nobis pro Deo coli ore ferreo corde præfracto, homo sine fide, & mente affirmat. Quis enim adeo rerum imperitus est apud istos, vt non sine omni suspitione ista in nos coniecta maledicta norit?*

[2] Ross. de iusta reip. chri. in Reg. imp. &c. cap. 5.

[3] Pag. 325, lib. eod.

Sed quo æquiore animo istam horum insaniam ferant pij, in Reges & Principes multa maiore impetu fertur: De Regina nostra serenissima quam nemo pro meritis satis laudare queat, multa malè loquitur. Idem etiam memoriam potentissimi Angliæ Regis Henrici *octaui omnibus conuitijs profundit: Quam indignis* Henricum *quartum Gallorum regem inuictissimum tractet modis, quid attinet dicere, cum in illum potissimum fractas lustris Romanis ingenij sui vires contulerit? huic homini impotenti impuro ore animi sui virus in omnes eructanti quid ego aliud respondeam, quam quod* Vlisses Thersitæ, *omnium Græcorum maledicentissimo & ignauissimo? Audi igitur vbicunque es scurra ineptissime grauissimam prudentissimi hominis increpationem.*

ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οἶος ἐριζέμεναι βασιλεῦσι. Homer. Iliad. 2.
οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον.
ἔμμεναι, ὅσσοι ἅμ' Ἀτρείδῃς ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον.
τῷ οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις,
καί σφιν ὀνείδεά τε προφέροις.

Audi inquam quæ in loquacissimũ tuiq; simillimum Thersitem *dixit* Vlisses, *& tace. Tace inquam* Rossee *loquacule, merum inquam tace rus & infacetiæ; quantumuis dulcis & egregius tibi videaris declamator, desinas tamen Principibus optimis homo impurissimus conuitiari. Neque enim ex vniuersa sociorum tuorum turba, qui bellum aduersus Deum, gigantum more; aduersus Regem vestrum* Henricum *quartum, vt rebelles geritis, quisquam est te ignauior, aut improbior, cuius ob maledicta tua, & furiosam hanc tuam aduersus bonos debacchationem plura facienda sunt merito tuo mala. Sed iste me non audiet, homo enim fortasse magnus in castris bellum gerit. Audiat igitur vulgo illud inter bellatores iactatum dicterium;* Duella manibus non lingua geri.

Sed hunc fortem in Gynæceo *bellatorem paulisper dimittamus. Adest enim aliorum etiam latratorum fustibus potius quam verbis concastiganda turba, quæ tamen mihi etiam appellanda est. Audite igitur qui mendacijs, & linguis tantam vobis sumpsistis confidentiam. Audi inquam* Resci, *cui vnum est negotium malè loqui, &* Vlenbergie *qui aduersus veritatem vlulasti. Audite inquam simul omnes, tu præsertim* Bellarmine, *& ex ligno dolate* Bozie, *tuque* Alane, *qui istis sceleribus tuos nobilitasti discipulos, atque etiam qui hoc magistro tantum in impudentia scurrili profecisti* Rishtone. *Nullus est hac maledicendi libidine turpior morbus. Nec quicquam Deo vel hominibus, mendacio magis odiosum.* [1] *Disperdet Deus omnes qui loquuntur mendacium.* [2] *Verbum mendax iustus detestabitur. Nec mendacio quicquam proficitur nisi vt nulla vobis fides habeatur, etiam cum vera dicitis: nulla est in mentiendo aut maledicendo ingenij laus. Nihil est enim eo quod facitis facilius. Nullus est adeo insulsus scurra, qui non longè vos superet. scurræ salsè & vrbanè: vos instar fossorum & caprimulgorũ insulsè*

[1] Psal. 5.
[2] Prou. 13.

vocatis hæreticos, schismaticos, apostatas; qui odiosius omnia conuoluunt atheos, libertinos, Anabaptistas. At hæc in medio posita sunt, seseq; vel non cogitanti offerunt. Rosseus, & alij ex vobis Turcas, nos & Paganos appellastis; & quæ ex veteribus tragœdijs corrasistis monstrorum nomina, ea nobis accommodastis. Eadem est & nobis in vos materia; multóq; plura possemus merito vestro in vos si vellemus dicere probra. Sed consultò istas theatricas nugas missas fecimus, rectiusq; fecissetis vos si parcius illis vsi fuissetis. nec enim ex istis ille, nec ex pictura ingenij laudem adeptus est Verstegamus. Nullus est enim adeò insulsus pictor, quin plura & elegantiora in pontificios proferre posset, quam ille in nos. Quid enim magnum fecit, quod Diabolum Luthero præmonstrantem, & ministrorum vxores pinxit? aut quorsũ ille tribus tabulis Lutheranos & Caluinianos (nescio quos) & Anabaptistas descripsit? Quid sibi volunt illa proditorum quarundam depicta supplicia? Ad nos certè nihil ista spectant: neque enim quemquam non merito affecimus supplicio, nec Anabaptistarũ hæreseos, aut vllius sceleris nobis conscij sumus. Nec sumus nos Lutheri, aut Caluini, sed Christi discipuli: nec quicquam nobis est cum Diabolo, aut Diaboli ministris, pseudonymus Iesuitis commercij. Omnia hæc in ipsum Versteganum, & socios commodius retorqueri possunt. Nam quod nuptias verbi ministrorum condemnat, a Diabolo
1 1.Tim.4. habet: est enim doctrina hæc Dæmoniorum ipso[1] Apostolo teste. Ab ipso habent illi scelera, & mendacia: nec vnquam proditores in patriam, vt Martyres colerent, aut rebellionem in Principes laudarent, nisi Diabolus eos ista docuisset. Est enim ille homicida, & mendacij fomes, & seditionis flabellum. Ab isto etiam schismata multiplicia Romanæ ecclesiæ, in quibus tot hominum millia perierunt profecta sunt. Apud istos deniq; sunt patibula, & cruces quibus multos pios varijs modis excruciarunt: missas itaque faciat si sapit has ridiculas, & contumeliosas imagines. Sin verò artis suæ vlterius specimen aliquod exhibere voluerit: nihil est quod a nobis argumenta quærat: habet enim domi ingentem materiam. Præterea omnes Pontificiæ ecclesiæ tabulis, & statuis sunt refertissimæ: adeo vt nec desint, quos imitentur. Ne igitur deinceps de nobis otiosè cogitet, pingat sui aulam Pontificis; incipiat autem ab ipsa porta. Hanc ego patentem & spaciosam fieri volo.

Semper

Semper enim patet ad orcum ianua, spatiosaq; est via qua ducit ad exitium. Ad istam portam excubent vigiles canes, qui omnes viros bonos abiterreant, aduersusq; veritatem oblatrent. Interius vero in ædibus sedeat in sella sublimis summus Pontifex: iampridem enim in Cathedra pestilentiæ sedit. Hanc Cathedram circumsistant calumnia, & crudelitas: his enim fulcris illa nititur. Adsint autem multi cucullati falsarii, qui & sacras tabulas, & patrum scripta corrumpant. Ante Pontificem instruat ille mensam, apponatq; multas indulgentias & decimas, & in patina maxima iubilæum: ex istis enim, & paucis aliis ex donationibus, & præda reliquiis viuit. In interioribus cœnaculis instruantur omnibus lautitiis mensæ complures: tenuis est enim ex indulgentiis victus, præsertim post Lutheri *conciones: ibi ministrent scorta & cinædi, hæ sunt enim intimæ pontificis voluptates. Adsint & aliquot catelli: isti enim transfugas Anglos, & Iesuitas referunt; qui vt ossa aliqua sub pontificis mensa legant, caudis illi abblandiuntur, & omnes istas turpitudines latratu defendunt. Post fores pingantur Magi aliquot, & venefici: venenis enim & diabolicis artibus se inuicem pontifices pellunt. In carcere autem iuxta Pontificis aulam pingantur inquisitores leoninis rictibus minaces, & iuxta equulei, fidiculæ, vngulæ, numellæ, & boiæ, & Diabolorum ornatu tres robusti carnifices. Adsint & ignes, & cruces, & carnificum instrumentum multiplex. Isti enim torquent, & mactant omnes pios, ne pontificis voluptates interrumpant. In consistorio pontificis sedeant vulpinis rostris sex Cardinales summo pontifici à penitissimis consiliis: Isti suis astutiis tanquam lanistæ, principes Christianos inter se committant, bellaq;, & seditiones excitent, sicariosq; ad Principes trucidandos; Iesuitas et Seminarii sodales, ad tumultum excitandum, emittant. Quod reliquum est in tabula loci occupent beneficiorum mercatores Iudæorum ornatu & habitu, pontificiiq; quæstores. Mittant illi per vniuersum orbem terrarum rescripta, & Bullas pontificias. Opus est enim pontifici magno, & perenni ad bellorum sumptus thesauro. Nulla hoc anno concedantur rescripta gratiæ, nisi hominibus gratis. Emanent tantum iustitiæ rescripta, pro quibus soluatur illis iustum pretium. Hic enim sacra, & profana: leges etiam, & hominum animæ venales sunt. Si hæc*

nimis prolixa videantur: Describat mihi caput ecclesiæ; summum nempe pontificem; sed caput sine cerebro. Pro cerebro volitent in isto capite scelerata cupiditates & cogitationes, superstitionesq́, & fabulæ multiplices. Habeatq́ hoc caput prælongos & aprugnos dentes: nulla enim alia est mordacior bellua. Nihil opus est lingua, nam in ecclesia, vel pisce magis mutus est Romanus pontifex; loquiturq́, non nisi per procuratores. Huic tamen capiti appingantur longæ aures, vt quæ vbique fiunt, acutius audiat; adiungantur autem & reliqua huic capiti membra; Cardinales imprimis, nam illi instar humerorum multa, & magna negotia sustinent. Monachi pro ventre erunt: sunt enim edaces, & pigri ventres. Iesuitæ & reliqui fraterculi pedum officio fungentur, quia per orbem terrarum mala miscentes circumeunt. Huius autem corporis pediculi, & pulices sunt, scorta & pueri pathici. Vidistisne vnquam magis deforme monstrum? pro isto tamen monstro armati conuitiatores nobis bella indicunt. Quid igitur cessat Versteganus? *Cur non istas nobis pingit imagines, non illas quidem nimis pulchras, sed aptas tamen? Num dicet easdem ineptas esse, & contumeliosas? Cur igitur in nos eius generis edidit complures? Si istæ ipsi displicent, cur non missis istis ineptijs, argumentis agit? Cur non & ceteri omissis conuitijs, & contumelijs gradum conferunt, & veram incipiunt pugnam? hoc hominum est confidentium, hoc hominum doctorum, hoc theologorum, Illa autem rixandi & calumniandi consuetudo scurrarum est in triuio potius, quam Doctorum in scholis. Cur ergo quod homines doctos, & strenuos bellatores decet, non argumentis potius & rationibus, quam maledictis & contumelijs pugnant? Cur theologorum relinquentes spatia in scurrarum latebris se abdiderunt? Nihil certè causæ pontificiæ apud æquos rerum æstimatores magis obesse potuit: nunquam enim qui causa se superiores futuros confidunt, relictis aut ad speciem tantum & pompam susceptis disputationibus, ad maledictorum velitationem confugiunt.*

Sed video quid sequantur: doleo etiam in ea nos tempora incidisse, vt habeant quod sperent. Vident se nihil disputationibus profecisse, multúmque authoritatis pontificiæ potius eisdem diminutum esse. Idcircò non tam disputationibus, quàm armis agendum censent.

Hinc illa in Germaniam Caroli *quinti: in Belgium ducis Albani expeditio: armis nostri etiam in Gallia cæsi: Omnesque armorum apud nos quæsita causa. Vt autem ad arma conuenirent alacrius adolescentes & rustici imperiti, omnibus rationibus nostra in odium vocanda erat religio, mores reprehendendi. Hinc illa in nos omnium sermonibus trita apud pontificios conuitia. Quibus effectum est, vt vulgus certò credat nec fidem nos amplecti catholicam, nec mores colere Christianos: nihilque esse pontificia religione sanctius, aut nostra inquinatius. Nec difficile quidem fuit ista persuadere, cum flagitiosa quæq. nobis obijcerent, nec cuiquam respondendi daretur apud illos; aut verbis, aut scriptis facultas. nam & pios, & piorum scripta pœnis acerbissimis persequuntur.*

His ego fraudibus tentare volui, si qua ratione occurrere potuissem. Nam etsi non multum me hæc furiosa conuitiandi, & mentiendi libido commoueret, nec putarem theatricis istis maledictis, & obsoletis istorum calumnijs bonos & prudentes viros fidem adhibituros: vtpote & scriptis aliorum & rei euidentia satis refutatis: tamen cum multi essent rerum apud nos gestarum ignari, soleantque isti hominum & rerum ignorantia ad religionis, & Ecclesiæ nostræ, & bonorum virorum calumniam abuti: demonstrare volui, nec eam esse Romanæ ecclesiæ aut in fide, aut moribus sanctitatem quam isti simulant; nec veras esse quas in nos instituerunt accusationes. Respondi itaque omnibus, quas in nos variis sermonibus, & scriptis disseminarunt calumnijs, & mendaciis: idque fortasse quam nonnullis faciendum videbatur fusius. Neque enim multis si causam ipsam spectarem, opus erat. Quis enim non videt Lutheri, *aut* Caluini *si qui fuerint errores nihil aut ecclesiis nostris, aut serenissimæ Reginæ, aut Gallorum Regi, obesse debere? Hoc pontificiorum est, vt se suamq. ecclesiam super pontifices, tanquam super lapides angulares fundent. Et meritò, neque enim in religione plus sapiunt quam lapides. Illi pontificum suorū quæcunq. decreta, tanquam iurata in eorū verba mancipia tuentur, & defendunt. Nos autem nullum agnoscimus fundamentum præter Christum, christique doctrinam: Nec vllius hominis scripta tanquam Canonicam scripturam veneramur, aut probamus. Quare nisi in fidei nostræ con-* Argumentum totius libri.

fessionibus aliquam hæresim, aut corruptelam animaduertere possent: Satis erat dixisse illos opperam omnem & oleum in his reprehendendis perdidisse. Sed cum multas illis falso imponi viderem opiniones & errores, istosque per horum latera veritatem petere cernerem: debere hoc me putabam hominũ apud Deum fœlicitate æterna fruentium pietati, vt eorum memoriam ab hac quam illis impuratissimi homines aspergere conantur infamia veritatemque à calumnijs vindicarem. Hoc autem nisi pluribus facere non potui. Date igitur quæso veniam, si prolixius ista disputaro: Nam non tantum ipsorum innocentiam, sed vniuersæ nostræ causæ, quam contra pontificios defendimus æquitatem demonstrandam in me suscepi.

Quoniam verò omnium istorum mendaciorum & contumeliarum fons est, præiudicium illud, quod pontificij se tanquam veram Christi ecclesiam venditant; nos pro hæreticis habent: non aliunde mihi exordium capiendum putaui, quam vnde illi hanc maledicentiæ telam contra nos exorsi sunt. Ostendam itaque primum Romanam quæ nunc est ecclesiam non esse Catholicam, orthodoxam, aut veram ecclesiam, demonstrationibus ex definitione, & proprietatibus in re inhærentibus, & multis ecclesiam concomitantibus signis petitis: Deinde, vt nobis postea æquiores sint, docebo ecclesiam nostram veram esse & Catholicam, & orthodoxam Christi ecclesiam; vtpote Catholicæ fidei prædicatione & reliquis ecclesiæ signis illustrem. Quoniam verò in eo potissimum elaborauit Bellarminus, *vt Romanam Ecclesiam Catholicam, & orthodoxam esse, & nostram non esse doceret; eoque nomine elaborarint reliqui propè omnes pontificij, variasque in nos calumnias excogitarint; omnem illam eius de notis ecclesiæ futilem disputationem conuellam, reliquorumque calumnias refellam. Negotium nobis arduum, & laboriosum: vobis vt arbitror non iniucundum. Nihil enim puto vobis futurum iucundius, quam vt istorum turpitudinem, a qua nouis accusationibus oculos vestros auertere moliuntur, apertè videatis, atque vt tela quæ in innocentes direxerunt, in homines nocentissimos retorqueantur, & recidant. Nec erit spero molestum, si depulsis pontificiorum calumnijs nostrorum hominum innocentiam cognoscatis: hoc autem non dubito quin effecerim.*

Bellarmini *enim & aliorum mendacia, calumnias fraudes, mu-*

tilatio-

tilationes & truncationes patrum, impudentiam & Romanæ ecclesiæ insaniam, defectionem, & errores, ita apertè spero me protulisse in lucem, vt eos non videre, sed etiam propè manibus palpare possitis.

Erunt fortasse nonnulli qui verborum in nostris responsionibus acerbitatem reprehendent: sed cogitare debent responsa esse quæ à me scribuntur, non dicta. Præterea cum hujusmodi hominibus mihi negotium esse, quibus & conscientiæ, & latera occalluerunt; adeo vt non nisi facibus verborū admotis, & dictorum stimulis confixi nihil sensuri esse videantur. Fieri etiam posse, vt quam isti voluptatē malè de nobis loquendo cœperunt, eam veram rerum suarum gestarum narrationem audiendo amittant. Denique in huiusmodi scurras maledicta optimè dicta esse: dici enim in optimè meritos. Nec tantam esse aliquam orationis acrimoniam, quæ non istorum importunitate minor sit. Cum itaque longius in Bellarminum *placidè disputans prouectus essem, tamen continuis eius, & aliorum eius similium prouocatus iniurijs, commutandam mihi totam rationem orationis meæ putaui, & cum illa quam reperietis verborum acrimonia temperandam. Hoc tamen audacter dico, nulla esse in oratione mea maledicta; nisi fortè vera crimina pro maledictis habuerint; longèque esse orationem nostram istorum stilo temperatiorem: neque ita cum illis egisse, vt quod illi fecerunt, omnes iustæ nostræ iræ aculeos effuderim: superest enim mihi grauior cum illis, si Deus mihi vitam & otium dederit concertatio.*

Interim vero omnes ego illos in quorum manus ista peruenient per Iesum Christum rogo: si Romanæ superstitioni addicti fuerint, vt non temere inimicorum nostrorum calumnijs aures adhibeant. Grauissimas quidem nobis in fide hæreses, in moribus corruptelas pontificij obijciunt: sed rationibus nullis nituntur. Quis autem vel leuissimæ suspitioni sine argumento fidem adhibebit? Imò idcirco, ne libri nostri ad suos perueniant cauent, ne suæ detegantur calumniæ. Vos igitur quos illi occultant libros conquirite, & veritatē inuestigate. Quod quidem si feceritis: polliceor vos nec in fide nostra hæresim, nec in morū disciplina aliquam labem inuenturos. Procul enim ab Anabaptistarum, & Libertinorum, & Arrianorum, & omnium hæreticorum perfidia absumus. Non oppugnamus auitam patrum fidem: nec no-

 uas

uas inducimus religiones, sed pontificiam ecclesiam ad priscæ ecclesiæ morem reuocamus. Cauete igitur ne vos Iesuitarum ad hominum innocentium oppugnandam salutem abducant calumniæ. Pacémque quam illæ bellorum furiæ perturbant quærite, seditiosósque pontificis satellites ex ciuitatibus verbis exturbate. Sin verò à Romanæ synagogæ superstitione discedentes, ad veritatis lucem, & priscæ ecclesiæ fidem accesseritis: summis illam, & coniunctis viribus propugnate. Videtis ad quem insaniæ gradum isti peruenerunt. Quoscunque ex nostris nancisci potuerunt, eos crudelissimè trucidârunt, eos qui ex manibus eorum elapsi sunt, omnibus conuitijs, & contumelijs lacerant, summáque vi oppugnant. Cur non igitur & nos coniunctis viribus tam crudeles aggredimur hostes? Cur non illos odio prosequimur, qui factione, & ciuili bello copias nostras ab externo hoste auertunt? Cur nec laudantur qui strenuè causam nostram aduersus illos propugnârunt, nec pœna afficiuntur qui cum hoste consentiunt? An fratribus cæsis non ad vos cædem peruenturam putatis? Ignoratis istorum sæuos animos. Non regibus, non rusticis, non ætati, non sexui parcunt. Quod igitur vnum nostram remoratur victoriam per Deum tollite, priuatisque sublatis contentionibus, omissisque ecclesiæ sacrilegijs communem hostem nobiscum aggredimini. Qui autem in oppugnandis ecclesiæ Romanæ erroribus ætatem vestram contriuistis, pergite vt cœpistis, eiúsque meretricis turpitudinem, veræque ecclesiæ innocentiam ante omnium oculos constituite: nec dubitate quin Deus vobis futurus sit auxilio, vtpote qui Christi ecclesiam aduersus errores, & calumnias propugnatis. Quam iustam causam suscepistis, ex futura disputatione cognoscetis.



- Duæ sunt huius tractatus partes, vt & libri duo,
  - in 1. ostendit Romanam ecclesiam non esse verè catholicam & orthodoxam Christi ecclesiam: idque
    - 1. ex signis veræ ecclesiæ certis, & perspicuis, quæ primo capite traduntur libri primi: nam
      - nec synceram habet ecclesia Rom. verbi diuini prædicationē & tractationē, nec fidei confessionē veræ prædicationi consentaneā: — hoc probatur, cap. 2.
      - nec legitimam seruat in sacramentorum administratione, & reliquo cultu diuino ecclesiæ Dei disciplinam; — hoc verò 3. cap.
      - nec mores colit sanctos, fideique christianæ consentaneos. — hoc cap. 4.
    - 2. ex habitu, & qualitatibus ecclesiæ Romanæ: nam
      - & super alio fundamento extructa est, & aliud sibi caput imposuit, & sæuis moribus veram persequitur ecclesiam, & pro Christo paret antichristo. — hoc argumentum c. 5. expeditur.
    - 3. ex vniuersa Bellarmini de notis ecclesiæ disputatione: nam
      - nec veras, certásue attulit, ecclesiæ Christi notas;
      - nec eas quas attulit, ecclesiæ suæ aptare potuit.
        - his duobus demonstrandis, duæ capitis sexti partes deputantur: in quarum secunda docet
          - nec nomen ecclesiæ catholicæ ad Rom. synagogā pertinere, nec hāc, quæ nunc est, ecclesiam Rom. antiquam esse, nec diu durasse, nec per omnes olim terras diffusam fuisse, nec aut veram habere successionē, aut illam externā illibatam tenuisse: nec cum ecclesia prisca in fide consentire, nec vnitatem coluisse, aut colere: nec doctrinam habere sanctā, aut efficacem: aut doctrinæ suæ authores sanctos: nec miraculorū gloria, aut prophetiæ donis præfulgere, nec aduersariorū confessione pro vera haberi, nec aut rebus suis prosperis aut aduersariorum aduersis veram esse probari.
  - In 2. docet ecclesiam Anglicanam, & reliquas cum illa consentientes ecclesias veras esse, & catholicas Christi ecclesias: idque
    - ex signis veræ ecclesiæ;
    - ex consensu priscæ ecclesiæ cum nostra in fidei doctrina;
    - ex reliquis ecclesiæ veræ proprietatibus:
      - hæc lib. 2. cap. 1. disputantur.
    - ex aduersariorum denique contra nos excogitatis mendacijs, & calumnijs, quarum nullum est solidum argumentum.
      - ineptè enim nos appellant Lutheranos, & Caluinistas, falsóque nostram ecclesiam nuper cœpisse, & pauxillùm durasse, & angustis finibus inclusam esse autumant. — quod cap. 2. lib. 2. refellitur.
      - ijdémq; frustrà nobis successionis vallum obijciunt: — hoc cap. 3. comprobatur.
      - nec causa vlla est, cur nos accusent, aut hæreseos, aut schismatis, aut doctrinæ alicuius turpis, aut parùm efficacis. — huius rei demonstratio extat, lib. 2. cap. 4. 5. & 6.
      - insulsè ijdem ex commentitijs miraculis, & prophetijs mendacibus, & aduersariorum confessione, aut rebus suis prosperis, aut aduersariorum aduersis ecclesiam nostram non esse catholicam argutantur. — his argumentis respondetur, cap. 7.
      - falsóque nobis obijciunt aut morum turpitudinem, aut ecclesiæ persecutionem, & crudelitatem; aut turcicam impietatē. Nam hæc non pudet istos dicere. — pontificiorum contra mores ecclesiæ nostræ calumniæ, cap. 8. mendacia de persecutione & crudelitate hominum nostrorum, itémque religionis nostræ impietate capitulo 9. & 10. refutantur.

Singulorum Libri sequentis capitum sequuntur argumenta: quorum breuis explicatio, & ad rerum obscurarum intelligentiam, & ad rerum multarum faciliorem memoriam aliquid lectori vtilitatis allatura videtur.

Libri primi capite primo docet, quæ sit vera Christi Ecclesia, quæq; eius cognoscendæ vera, & certa sint signa, contrariamq; Bellarmini refellit sententiam.

Eiusdem libri cap. 2. ostendit Rom. Ecclesiam vera, & syncera verbi prædicatione destitui.

3. Cap. probat eandem signa fœderis, cultúmque diuina lege præscriptum adulterasse.

4. cap. arguit eam sanctam abiecisse morum disciplinam.

Alio eam nunc niti fundamento, aliudque sibi asciuisse caput demonstrat capite 5. vbi etiam illam veram nunc persequi Christi ecclesiam, & ad Antichristum defecisse pluribus argumentis confirmat.

In 6. conuellitur vniuersa Bellarmini pro Rom. ecclesiæ dignitate suscepta disputatio: nam nec certa attulisse ecclesiæ verè catholicæ signa, nec quæ attulit ea Rom. Ecclesiæ commodè aptari posse, probatur.

Libri secundi capite primo ostendit ecclesiam quæ nunc per Angliam, Germaniam, Scotiam, Galliam, aliasque eandem nobiscum fidem amplectentes regiones illustris est, & visibilis, esse verè catholicam Christi ecclesiam.

Cap. 2. Bellarmini qui nomina Lutheranorum, & Caluinistarum, & Anabaptistarum nobis tribuit conuitia reprehenduntur, eiusdemque de Ecclesiæ nostræ nouitate, exigua duratione, & angustiis commentitiæ fabulæ refelluntur.

Ecclesiæ Rom. in pontificum externa successione positum propugnaculum expugnatur cap. 3.

Pontificiorum prolixæ de hæresibus criminationes quibus nostris ecclesiis infamiæ notam inurere cupiunt, diluuntur Cap 4.

Ad eorundem de Ecclesiæ nostræ schismatibus, & sectis accusationem respondetur Cap. 5.

Cap. 6. purgatur quam nostræ doctrinæ affricare conantur pontificij, ex doctrinæ turpitudine quam nobis ascribunt, infamia.

Cap. 7 pontificiorum à miraculis, prophetia, aduersariorum confessione, rebusque prosperis, & aduersis contra nostram ecclesiam argumenta diluuntur.

8. vero capite refelluntur aduersariorum contra Ecclesiæ nostræ principes, & claros quosdam viros vniuersaque nostræ Ecclesiæ mores calumniæ, & contumeliosa scripta.

9. capite falso nostris obijci crudelitatem, aut fidei catholicæ persecutionem docet. vltimo verò in loco insignis Rossei, & aliorum impudentia, qui nostram religionem Paganismo, & Turcismo deteriorem esse dicunt, exagitatur.

DE

DE CATHOLICA, ORthodoxa & vera Christi ecclesia aduersus *Bellarminum* & alios pontificiæ ecclesiæ propugnatores Liber primus.

Caput primum.

Vbi post explicatam causæ inter nos, & pontificios controuersiam, quæ sit vera Christi in terris ecclesia, & quibus signis ab adulterina internosci possit, ex scripturis, & patribus docet, contrariamq́; Bellarmini *sententiam conuellit.*



Cclesia vocabulum est origine græcum, ciuitate tamen, vt & alia multa, donatum latina. Græcis illud primò multitudinem ad audiendum, aut ad consultandum, aut agendum collectam, quam latini concionem dicebant, significabat. Postquàm verò Christiana religio ex Iudæa egressa ad Ethnicos peruenit: tàm apud Græcos, quàm Latinos multitudinem illam, quæ secundum Christianæ religionis instituta ad Deum colendum collecta erat denotabat. Quoniam verò alij veram colunt fidem, alij verò adulterinam cognitionem amplectuntur, quorum tamen vtrique ecclesiæ sibi nomen vendicant: hinc alia vera dicitur, alia falsa, seu adulterina ecclesia: quæ & [1] malignantium dicitur ecclesia. [2] Patres per ecclesiam nonnunquam locum, vbi conuentus agebantur; sæpiùs verò ipsos conuenientes intelligebant. Pontificij qui de muris & tectis potiùs, quàm de vera ecclesiæ ædificatione soliciti sunt, per ecclesiam frequenter tecta, & templa [3] vbi ad cultum Dei conuenitur intelligunt. Sæpe etiam ecclesiæ nomen ad *vnum tantum pontificem* rapiunt: (modò enim pontificatum sartum tectum tueri possint, de vera ecclesia minimè sollicitì sunt) nam quod [4] pontifex Rom. facit, illud ecclesiam facere asserunt, vnde illa de clauibus & indulgentijs ecclesiæ dicta tristissima, quas quidem licet ecclesiæ vocent; eas tamen summus pontifex iure summo tractat, & eisdem omnia pro suo arbitratu statuit aut refigit.

[1] Psal. 25.

[2] August. lib. con. epist. fundam.

[3] De eccles. ædif. et reparand. c. ad audientiam, et per tot.

[4] Hadrian. 6. in quæstionib. in 4. sententiar. & Innocent. in c. si quis puerum de baptismo & eius effect. nu 7.

Ecclesia autem, aut est vniuersalis omnium temporum; & sic omnes qui fuerunt, vel sunt, vel futuri sunt sanctos complectitur: eaq; est quam in symbolo credimus esse Catholicam: Aut vniuersalis est omnium vbique locorum, & vnius temporis, comprehenditque omnes fideles sub

 Christo

Christo militantes contra diabolum, carnem, & mundum: Aut est particularis vnius gentis, aut ciuitatis, aut loci: vt ecclesia *Galatica, Corinthiaca, Hierosolymitana, & Romana.* Quæ licet loci respectu vniuersalis, & Catholica dici propriè non possit: tamen quia Catholicam omnium temporum, locorum, & hominum profitetur fidem; idcirco apud patres Catholica dicitur. Quomodo si veterem isti Romanam ecclesiam, Catholicam dicerent, non multùm errarent. Patres enim Catholicas dixêre omnes illas ecclesias, quę Catholicam profitebantur fidem. Nam cum loquendi more apud patres vsitato contendendum non putamus. Sin vero verba hæc *Catholicam, & Romanam* ita confundant, vt nullam velint esse ecclesiam Catholicam, nisi Romanam: ineptum & portentosum in scholas loquendi morem inducunt, & non tam lucem quam tenebras quærere videntur. Imò iniuriam faciunt omnibus alijs ecclesijs. nam pręter veterem Romanam, multæ erant temporibus Apostolorum florentes ecclesiæ. Nunc autem si nulla alia esset præter Romanam, quæ huius est temporis vera Christi ecclesia; malè cum Christianis ageretur: ea enim iampridem desijt esse vera Christi ecclesia. nobis autē in hoc loco omissis verborum nouitatibus, & ineptijs omnibúsque circa ea rixis, omnis *controuersia de hac quę nunc est Romana ecclesia, an illa orthodoxa sit, & an Catholicam Christi ecclesiæ fidem teneat constituta est. Nam frustrà Catholicæ nomen sibi vendicat, quæ à Catholica fide ad hæresim declinauit. nos Catholicam, & orthodoxam esse negamus: cuius negationis rationes, is qui sequitur tractatus explicabit.

* Status controuersiæ, quæ disputatur hoc libro, explicatur.

Vera Christi ecclesia & [1] sponsa dicitur, & [2] corpus Christi, quia Christum solum audit, eíque soli, vt membra [3] capiti, cohæret. Quæ licet propriè de sanctis, & verè credentibus, qui nunquam à Christo separantur, intelligantur: tamen quia militans in terris ecclesia, ea omnia profitetur, quæ verè credentes reuera præstant; hæc etiam illi elogia à Patribus accommodātur, quibuscum in hac causa pugnare nihil est necesse.

[1] Apocal. 21. 5.
[2] Ephe. 1. & col. 1
[3] Ephes. 4.

Dicitur etiam ecclesia [4] hæc ciuitas Dei, quæ vni summo Deo, eiúsque legibus paret. eam [5] columnam appellat veritatis Apostolus, quia adulterinis & falsis doctrinis abiectis vnam sequitur veritatem, fideles qui hanc ecclesiam constituunt, [6] oues Christi dicuntur. Quia vt grex ouium pastorem, sic illi Christum sequuntur, eius vnius vocem audiunt: mercenarios & irreptitios pastores relinquunt. Dicitur denique [7] domus Dei, quoniam eius institutis gubernatur, & Christo tanquam patrifamiliâs amantissimo, & prudentissimo, eiúsque solius iussis obtemperat. Hanc nobis sententiam confirmant & Patres. Scripturas has *Augustinus* vocat [8] *Christianam eruditionem.* Si quis aliquas scripturas, præter eas quas Catholica

[4] Psal. 45. 47. & 86.
[5] 1. Tim. 3.
[6] Iohan. 10.
[7] 1. Tim. 3.
[8] De ciuit. Dei lib. 9. c. 5.

tholica ecclesia recipit, vel amplectendas crediderit, vel fuerit veneratus, eidem [2] *Augustinus anathema* dicit. [3] Scripturas ille *pabulum animæ* vocat. *Necessarium nobis est* (inquit [4] *Cyrillus*) *diuinas sequi literas & in nullo ab eorum præscripto discedere. Scripturæ vita sunt nostra,* inquit [5] *Epiphanius. Dominicas scripturas* [6] *Irenæus*, *ecclesiæ* dicit *esse nutrimentum, & paradisum in hoc mundo.* [7] *Iustinus non doctrinas humanas, sed Deum, & quæ ille docuit ecclesiã, nos sequi debere* docet. *Ecclesia Christi* (inquit [8] *Hieronymus*) *in toto orbe ecclesias possidens spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes legis prophetarum, euangelii, & Apostolorum: non est egressa de finibus suis, id est, de scripturis sanctis.* Cuncta quæ tradita sunt per legẽ, per prophetas, per Euangelistas, & Apostolos suscipimus, cognoscimus, veneramur nihil præterea requirẽtes; hæc enim tradente *Io.* [9] *Damasceno,* didicimus. Quæ igitur à Christo discedit, aut ei non adhæret, aut verbum eius, & vocem non agnoscit, aut aliam sibi doctrinam asciscit, adulterina est. Catholica *Christianorum mater verissima* (inquit [10] *Augustinus*) *ipsum Deum cuius adeptio est vita beatissima purissimè, atq; castissimè colendum prædicat, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui seruire iubeamur. Ciuitatis* [11] *Dei idem scripturam testem facit.* [12] Scriptura (inquit *Gregorius*) est *calamus mensuræ, quo singuli seipsos metiuntur.*

[2] Serm. 119. de tempore.
[3] August. de blas. in Spir. sanct.
[4] Cyril de recta fide ad reg.
[5] In anchorato.
[6] Lib. 5. aduers. hæres.
[7] In colloq cum tryph.
[8] In Mich. lib. 1. c. 1.
[9] De orthod. fid. lib. 1.
[10] De morib. eccle. cath. li. 1. c. 30.
[11] De ciuit. Dei lib. 11. c. 1.
[12] Homil. 13. & 14. in Ezech.

Præterea dicuntur fideles sancti, quia morum sanctitati student: dicitur ecclesia [13] ciuitas sancta *Hierusalem*. Impuri & canes, disciplinæ & legum adminiculo extra eius septa vt plurimum eijciuntur. Propterea credimus ecclesiam sanctorũ esse communionem, & non minus esse Apostolicam credendo apostolicę doctrinæ; quàm sanctam societatem Christi, & Apostolorum sanctis morum vestigijs inhærendo. Collecta est igitur illa per verbum, (ex auditu enim fides) recipiuntur in eius gremium fideles per baptismum, pascuntur corpore dominico, Deo seruiunt, eúmque colunt in spiritu, & veritate eius mandatis obediendo.

[13] Apocalyps. 21.

Hinc colligimus, eam esse veram, orthodoxam, & visibilem Christi in terris ecclesiã, (de ea enim agitur) quæ verbi diuini rectè traditi sono vocata, fidem orthodoxã, & apostolicã profitetur, sacramentisq; à Christo institutis ritè vtitur, Deũq; secundum scripturæ leges colit, & sanctè viuit. vnde etiam intelligimus verã ecclesię cognoscendæ rationẽ. Is enim verè cognoscit, qui causas cognoscit, & rei naturam intelligit. Qui autem in rebus externis tantum versantur, non illi cognitionem, sed errorem quærunt: similiterq; faciunt, atq; si naturam hominis ex albedine, statura, motu, oculorũ nictu, & rebus similibus inuestigarent: *sensus enim non certam scientiam, sed coniecturas parit, nulliq; in* [14] *sensu est sapientia.* Vera igitur est ecclesia, & orthodoxa, cui hæc conuenit descriptio. Ex qua 4. signa minimè

[14] τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι κοινὸν πάντων. διὸ ῥᾴδιον καὶ οὐδὲν σοφόν. Arist. metaphys. 1. c. 2.

4 ecclesiæ signa certa.

minimè fallentia, vtpote in natura ecclesiæ insita colliguntur, ex quibus quæ vera sit ecclesia dignoscere possumus: verbi nempe vera prædicatio, & secundum illud fidei professio; sacramentorum sincera administratio; cultus verbo diuino præscriptus; & sancta, & ex vera fide profecta morum disciplina

Has veras esse ecclesiæ notas hinc perspicuum est, quòd nulla sit ecclesia, cui non illa conueniunt, nec tempus aliquod quo ab ecclesia seiunguntur; Nec quicquam illustrius sit, seu clarius, vnde ecclesia cognoscatur. Has notas habuit & prisca Iudæorum, & Apostolica, & prima Christianorum ecclesia: has notas hæretici non habent, ideóque non sunt ex ecclesia. Verbum enim diuinum violant, sacramenta adulterant, nouos cultus instituunt, & moribus sunt vt plurimum inquinatissimis. Ideóque credimus ecclesiam Catholicam esse vnam, & apostolicam, & sanctam, quòd vnam fidem colit, & Apostolicam sequitur doctrinam, & omnes in cultu diuino superstitiones, & in moribus impuritates fide purificata abhorret, & fugit. Christus cum Apostolos ecclesiam sibi collecturos ablegaret, mandata illis dedit, vt euntes [1] docerent omnes nationes baptizantes eos in nomine patris, filij, & spiritus sancti; & docerent eos seruare omnia quæcúnque ille Apostolis mandauerat. Ecclesiæ hæc nobis signa Lucas actor. 2. commendat. *erant* (inquit ille) *perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* Vnde quis non videt sequi, ecclesiam verbo, sacramentis, & morum disciplina ex promiscua hominum multitudine colligi, & eisdem signis ab alijs cœtibus distingui. Nam qui verbo edocti, & sacramentis initiati sunt, mandatáque diuina, quoad cultum & mores seruant, ij sunt qui Christo, & Apostolis adhærent. Christus enim [2] fundamentum est, cui innititur ecclesia; & vitis [3] in qua palmites insiti fructum ferunt, resecti exarescunt: est caput vnde motus, & sensus ad omnia membra ecclesiæ permanat. Quicúnque igitur vera fide, quæ non nisi ex verbo Dei haberi potest, ei inseruntur, eiúsque spiritu præditi mores colunt verbo consentaneos, ij ex vera sunt ecclesia; qui autem verbum eius deserunt, quod est semen ecclesiæ, (vt Petrus dicit immortale, vt Paulus vnde [4] gignuntur fideles): vel verbo annexa sigilla adulterant, vel simulatè verbum profitentes cultum diuinum abrogant, moribúsque viuunt impuris, ij à domo Dei extranei sunt, & in ciuitate cœlestis Hierusalem peregrini; nec possunt cœtus illi, qui illa faciunt ecclesia Christi dici.

[1] Matth. 28.
[2] 1. Cor. 3.
[3] Iohan. 15.
[4] 1 Cor. 4.

Nec obstat quod in externo ecclesiæ cœtu nonnulli, aut non credunt, aut sacramentis ritè non vtuntur, aut in diuino cultu & moribus officio suo non funguntur: non enim loquimur de singulis ecclesiæ membris

dignoscendis;

dignoſcendis; ſed de cœtibus vniuerſis,& eccleſiæ toto corpore,cuius ſanitas non ex vnius membri,ſed ex maioris & melioris ſaltem partis habitu & valetudine æſtimatur. Neq; enim poteſt illa eſſe eccleſia quæ vniuerſa,aut à verbo deficit,aut rectam diſciplinam in ſacramentis, reliquóque cultu diuino,& moribus deſerit. Præterea quod in ſignis eccleſiæ præcipuè ſpectandum dicunt, vt ſint ea ſenſui nota, non eſt verum. Nam nec ſigna quæ Pontificij vulgò afferunt ſenſu cognoſcuntur, vt vniuerſalitas, antiquitas,ſucceſſio,& vnitas: nec ex ſenſu verè aut certò aliquid cognoſcitur, verè enim illa ſciuntur cuius cauſæ ſciuntur. certiſſima autem ſcientia ex demonſtratione oritur,& argumentatione. Nec ſi in ſignis eccleſiæ præcipuè ſenſus iudicium flagitaretur, quicquam hoc contra illa quæ nos attulimus ſigna faceret: nam & ſenſu iudicamus quid rectum in verbi prædicatione, & diſciplina. (Quod enim ſecundum ſcripturas fit, rectum eſt, vt opus quod ſecundum normam fit rectum eſt dicendum.) & ſenſuum iudicio,quæ rectè traduntur, vel in concione, vel ſacramentis æſtimamus. Ex eiſdem videmus etiam an cultus, & mores regulæ reſpondeant. Denique ex his adminiculis ſenſuum in occultiorem ipſius naturæ eccleſiæ cognitionem prouehimur.

Primum igitur ſignum veræ eccleſiæ eſt verbi diuini in Canonicis ſcripturis comprehenſi ſyncera prædicatio, & vera fidei profeſſio. Primùm enim vt iam dixi, quod erat in Apoſtolorum mandatis, erat vt docerent. Matth.28.
Eſt enim doctrina prophetica & Apoſtolica præcipuum quod ſpectatur in fundanda eccleſia. Præterea dicit Chriſtus *Oues ſuas vocem ſuam audire, & ſe ſequi; extranei autem vocem* illas non audire, nec ſequi. verbum *fidei facit fundamentum* Apoſtolus nam ex verbo auditus, ex auditu verbi ſequitur fides. Quo nomine Paulus ſe per Euangelium genuiſſe fideles dicit, & Petrus eo nomine verbum vocat ſemen immortale, *Vos amici mei eritis* (inquit [1] Chriſtus) *ſi feceritis quæ præcipio vobis.* *Qui ſunt* [2] *concines ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperſtructi ſunt ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, cuius imus angularis lapis eſt ipſe Chriſtus,* [3] *Eccleſia Dei viui eſt columna, & ſtabilimentum veritatis. Eccleſia veritatem ſectatur cum charitate, & ſic adoleſcit in eum per omnia qui eſt caput,* nempè [4] Chriſtus, [5] *Murus ſanctæ vrbis Hieruſalem habet fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apoſtolorum agni. vera eccleſia illi, qui aliud verbum* [6] *euangelizat, præterquam quod Apoſtoli docuerunt anathema dicit. Qui non permanet in* [7] *doctrina Chriſti Deum non habet.* Illáq; demùm eccleſia eſt, quæ claram habet verbi diuini ſibi prælucentem facem; Cui autem illa extincta eſt,in tenebris verſatur, veræque eccleſiæ nomen amittit, Inde enim *Chriſtus ſe diſceſſurum minatur.*

Marginal references: Ioh.10. — [1] Ioh.15. — [2] Epheſ.2. — [3] 1.Tim.3. — [4] Eph.4. — [5] Apoc.21. — [6] Gal.1. — [7] 1.Ioh.2. — Apoc.2.& 3.

tur. Cum igitur ex verbo pendeat vita ecclesię, & supra propheticam, & Apostolicam doctrinam illa fundata sit, ecclesiámque scripturæ ex verbo tot locis cognoscendam doceant: Impudenter faciunt Iesuitæ, qui contra tantum consensum scripturarum præfractè pugnant. Pugnant etiam contra scripturis suffragantes patres, *Nullo modo* (inquit [1] *Chrysostomus) cognoscitur quæ sit vera Ecclesia, nisi tantummodò per Scripturas.*

[1] In Matth.ho. 49.

Multa sunt [2] *Augustini* in hanc sententiã testimonia. *Nos post vocem pastoris nostri per ora Prophetarum, per os proprium per ora Euangelistarũ nobis apertissimè declaratam, voces vestras non admittimus, non credimus, non accipimus. In* [3] *Scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus ecclesiam. Has scripturas communiter habemus: quare non in eis & Christum, & ecclesiam communiter retinemus? ecce Scripturæ communes, ecce vbi nouimus Christum, ecce vbi nouimus ecclesiam*; Et in alia quadam [4] epistola: *non quisque nostrum in iusticia sua, sed in scripturis diuinis quærit ecclesiam. eum qui contra* [5] *scripturas audet loqui, non habendum putat esse pro Christiano.* Cur non ad scripturas igitur tanquam ad lydium lapidem in dignoscenda ecclesiæ veritate confugiunt pontificij? hoc enim docet ille faciendum. *Nolo* [6] *inquit ille humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam ecclesiam demonstrari*. In ecclesiæ disquisitione *authoritati hominum,* (quod Pontificij faciunt) *nihil docet fidendum. nec* [7] *Catholicis* (inquit) *episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, vt contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiant:* & [8] alibi: *non audiamus hæc dico, hæc dicis: sed audiamus hæc dicit Dominus. Sunt certi libri dominici, quorum authoritati vtrique consentimus, ibi quæramus ecclesiam ibi discutiamus causam nostram.* [9] *Athanasius eam dicit esse orthodoxam ecclesiam, quæ rectè legit, & exactè literas examinans seipsam inædificat super Petram*. Fides (inquit [10] *Ambrosius)* inprimis ecclesiæ quærenda mandatur: Ita si qua est ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Et eodem in loco *Petram dicit esse Christum, & fundamentum ecclesiæ fidem.* Clarè idem docet [11] *Hieronymus, ecclesia* (inquit ille) *consistit in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Ecclesia vera illic erat, vbi vera fides erat.* [12] *Ecclesia enim Christi, non est egressa de finibus suis*, id est, *de scripturis sanctis.* Scripturas idem docet [13] esse viam rectam, per quam ingredimur in domum Dei, Ecclesia (inquit [14] *Hilarius)* est domus Dei, & omnes fidei euangelicæ sectatores. Quare vt verba in pauca conferam, cum ecclesia perpetuò duratura sit, (dicit enim Christus *inferorum portas* [15] *aduersus eam non prævalituras*, & pollicetur se vsq; ad [16] consummationem sęculi cum suis futurum: fieri non potest, vt ex hominum opinionibus, & successione,

[2] August. de vnit. ecclesi. c. 11.
[3] In epist. 166.
[4] Epist. 48.
[5] In Ioan. ep. tract. 2.
[6] De vnit. ecclesi. con. Petil. c. 3.
[7] Ibid. c. 10.
[8] De vnit. ecclesi. con. Petil. c. 3.
[9] Con. omnes hæres.
[10] In Luc. lib. 6. c. 9.
[11] In Psal. 133.
[12] In Mich. c. 1.
[13] In Ps. 5.
[14] In Ps. 51.
[15] Math. 16.
[16] Math. 28.

aut alijs rebus externis, quæ mutationi obnoxiæ sunt, quæ vera sit ecclesia dijudicetur.

Ad verbum Dei igitur tandem deueniendum est. Illud enim in [1] æternum durat, & eius nullus apex [2] peribit. Ex verbo Dei metienda est ecclesia: illa enim certa, & directa est norma. Qui igitur repudiatis, aut in ordinem redactis sacris literis, aliunde quærunt ecclesiam; in puteos se tenebricosos demittunt sine luce, & errant in magno stultitiæ labyrintho sine filo. hoc tamen faciunt Iesuitæ; Romanæque ecclesiæ de se testificanti impudenter, & insulsè credi postulant. Nam cum Christus sibi credi non postularet, omnésque leges, & ratio etiam ipsa refutet domesticum præconium, & testimonium; quæ insulsitas est postulare, vt ecclesiæ Romanę testimonio de seipsa credatur, sacris literis de ea non credatur? Sed si animos ita obfirmarint, vt nisi suos audire nolint, audiant tamen quid Colonienses Canones de verbi syncera doctrina affirment. Nemo negat ([3] inquiunt illi) in ecclesia synceram doctrinam euangelicam, & Apostolicam esse oportere, & hanc præcipuam esse ecclesiæ notam. Adeò vt *Bellarminus*, qui istud negat illorum sententia propter singularem impudentiam ex hominum numero ad feras exterminetur. Audiat *Gerardum* [4] *Loricbium* qui duas cōstituit ecclesię notas, nempe consensum in fide, & meditationem in lege Dei.

[1] Psal. 40. & 1. Pet. 1.
[2] Math. 5.
[3] Canon. concil. prouinc. colon. in enchirid. Christ. instit. f. 6. 7
[4] Institut. cathol. de decimo artic. fidei. f. 47.

Secundum ecclesię signum sacramentorum est syncera administratio. Sunt enim illa symbola & tesseræ hominis christiani. vnde non malè quidem sacramentorum nomen fluxisse putant. nam vt ex militari sacramento cognoscebantur olim milites in legionem ascripti: sic ex sacramentis istis cognoscuntur Christiani. In baptismo enim nomen Christo profitentur tanquam in cœlestem & spiritualem militiam ascripti; & in Eucharistia pasti se ad Christi familiam pertinere docent. Propterea in Christi ad Apostolos mandatis secundum erat vt baptizarent: & in cœna sua vltima præcepit suis, vt quod ille fecisset facerent illi. Idcirco appellat Apostolus sacramenta sigilla, quod & promissiones diuinæ illis nobis obsignentur, & nos etiam in filios Dei, & membra corporis Christi obsignemur. vnde sicut non dubitamus Iudæos esse, qui circumcisione, & reliquis eorum sacramentis secundum leges Mosis vtuntur; sic nec dubitandum est pertinere ad ecclesiā Christi, qui sacramentis à Christo institutis legitimè, & prout ipse præscripsit vtitur. Ideò Apostolica ecclesia non tantum in [5] doctrina perstabat, sed baptismo, & continua panis fractione ab alijs internoscebatur. Nec obstat quod apud hæreticos nonnunquam sacramenta sint, rarò enim habent: nunquam synceram habent apud se administrationē sacramentorum. nam illa cum verbo coniuncta

σφραγῖδας.

[5] Act. 2.

[1] Lib. de altercat. eccles. & synagog.

iuncta est, & ab eius synceritate pendet. [1] *Augustinus* ex circumcisione docet cognosci synagogam: sic etiam ex sacramentis euangelij Christi ecclesiam. Et ideò Paulus ostendit se fuisse Iudæum, quod circumcisus esset. Similis ergo analogia in ecclesiæ sacramentis similem efficit consecutionem.

[2] Matth. 18.
[3] Lib. de notis eccles. c. 2.

Tertium signum est cultus diuinus secundùm leges diuinas. nam vbi sunt duo, aut tres, qui in nomine meo (inquit [2] Christus) congregantur, ibi sum in medio eorum. Quod respondet [3] *Bellarminus* eo loco doceri vbi sit Christus, non vbi sit ecclesia, & falsum est, & insipidum. falsum, quia qui in nomine Christi congregantur, ij faciunt ecclesiam: Insipidum, quia non pugnant hæc demonstrare vbi sit Christus, & vbi sit ecclesia. Christus enim indiuiduo nexu cum suis cohæret; & vbi caput est, ibi etiam & reliqua sunt membra. Minimeque esset, si Christus se alicui congregationi cum suo spiritu interfuturum promitteret, quæ ecclesia non esset. Hoc autem patet ex forma ecclesiæ Iudaicæ. nam vt illa ecclesia ex templo, & cultu sacrificiorum, & sacris cæremonijs dignoscebatur ab Idololatrica Israelitarum, & Samaritanorum synagoga: sic ecclesia Christiana ex vera Dei inuocatione, & Sabbati celebratione, & reuerentia erga verbum, & sacramenta, & eorundem ministros, & denique ex reliquo secundùm verbum diuinum cultu à turbis Idololatricis, & sacrificantibus Maozim discernitur. vera est enim Dei ecclesia, quæ rectè Deum inuocat in omni loco: quæ [4] *perstat in orationibus* spiritualibus, quæq; nullos aduentitios, & idololatricos sibi asciscit cultus: In [5] vanum enim colunt Deum qui docent doctrinas & mandata hominum. Vera ecclesia hoc tantum facit, quod præceptum est; Nec quicquam vel addit, vel minuit. *Præcepta enim diuinorum librorum* (inquit *Beda*) [6] *sunt fundamentum, & vniuersalis, & singularum ecclesiarum.* Qui igitur sequuntur in cultu diuino regulam diuinam, pro vera ecclesia censendi sunt. Contra autem, qui mandatis diuinis neglectis, nouos erigunt pro arbitrio suo cultus [7] voluntarios, quos Apostolus damnat, ecclesiæ ius amittunt.

[4] Act. 2.
[5] Matth. 15.
[6] In Ps. 8.
[7] Col. 2. ἐθελοθρησκείας.

Vltimum à nobis positum ecclesiæ signum morum est ex fide pura, & conscientia bona sanctitas. Est enim ecclesia sanctorum communio: & ideò ecclesiæ verbo diuino, ex turba hominum profanorum euocantur, vt in eis homines Deum colant, & sanctè viuant. Christus è fructibus, & doctrinæ, & morum (vt inquit [8] *Chrysostomus*) pseudoprophetas à veris dignoscendos docet. Vera ecclesia est vt arbor iuxta aquarum riuos plantata, quæ fructus tempore suo profert. Quod non tantùm de inuisibili, sed de visibili etiam ecclesia intelligitur. quæ Christus seruantia manda-

[8] Homil. in Matth.

mandauit, ea Apostoli & successores docuere: eáque ecclesia diligenter seruat. Christus inde discipulos suos à reliquis discernendos ostendit, si se inuicem diligerent; qui Christi est, eius seruat mandata. Qui [1] in ipso manet, quemadmodum ipse præmonstrauit, ita ambulat.

[1] 1.Ioh.2.

Neque obstat, quod multi sint in externa ecclesiæ societate hypocritæ, vt in magna familia serui nequam: nec quod *multi sint* (vt inquit *Augustinus) intus lupi*. Nam etsi malè ipsi viuant, & professionem & nomen ecclesiæ suis moribus dedecorent: tamen aliter & ipsi in baptismo professi erant, & aliud postulabat ecclesiæ fides. cur reliqui propter nonnullorum turpitudinem sanctorum nomen amittant, nulla ratio facit, cum & ecclesia, & respublica ex legibus, & maiori parte æstimari soleat. Neque certè vt ecclesia dicatur sancta necesse est, vt nulli sint hypocritæ intus; nulli lupi inter oues, quod Cathari & Donatistæ putarunt: sed vt sancta sit quam profitentur fides, & vt maior seu sanior pars rectè viuat. Hoc autem semper fit in vera ecclesia: nam vt verbum nonnunquam vberiores fructus fundat, vt centuplum; nonnunquam exiliores & aridiores proferat, vt decuplum: semper tamen est frugiferum. Semperque Deus per spiritum suum, & fidem internè, & per verbum & sacramenta, externè in ecclesia operatur, vt nunquam non singularis in Ecclesia præ cæteris omnibus societatibus eluceat sanctitatis splendor, morúmque incorrupta sanitas. Qui igitur veros quærit ecclesiæ ciues, & ciuitatem Dei: *Accedat ad montes*, hoc est (vt inquit *Chrysostomus) ad Scripturas sacras*. Animaduertat an vera in ecclesia vigeat, & probetur fidei doctrina; videat an sacramenta ibi celebrentur secundum diuinam Christi legem; consideret an rectè ibidem Deus secundùm verbi regulam colatur, & deniq; an sanctè secundum fidei professionem viuatur; & si hæc ibi fieri senserit, non dubitet illuc accedere, & illi ecclesiæ adhærere. Sin verò animaduerterit, aliquos verbi lucem fugere, tenebras traditionum quærere, verbúmque & sacramenta adulterare, & nouos cultus instituere, legitimámque ecclesiam, morúmque disciplinam soluere, fugiat quantum potest; & veram ecclesiam aliunde quærat. Isti enim licet ecclesiæ nomen vendicent, fures sunt, & latrones, veræque ecclesiæ nomine aduersus ecclesiam armantur, & latrocinantur, lucémque veritatis non quærunt, sed mendaciorum tenebras. Vera tibi ecclesiæ dignoscendæ signa demonstraui.

Quæ enim contrà disputauit *Bellarminus*, confirmant potiùs, quam eneruant sententiam nostram. In notis enim ecclesiæ postulat ille, vt propriæ sint ecclesiæ, non autem aliarum congregationum communes: Deinde

De notis eccles. c.2. & 3.

inde vt sint illustres; tertiò vt sint inseparabiles ab ecclesia. Hoc etiam & nos valde flagitamus,& vt eius rei meminerit postulamus. Nam hæc quę ille de nomine ecclesiæ Catholicæ, antiquitate, multitudine, & reliquis ecclesiæ suæ notis attulit, cum ista regula nullo modo consistere possunt. nostra autem signa hæ regulæ confirmant. Nam & illustria sunt: verbum enim diuinum vt [1] lucerna in tenebris lucet, & vt [2] laterna est pedibus nostris, nec de scripturis quas ecclesia amplexa est, vlla nobis controuersia est,quin sint canonicæ. De ecclesia autem omnis nobis contentio est.Natura autem verbum est ecclesia prius. Neque enim fides nascitur sine auditu, nec est auditus sine verbi annuntiatione aut intellectu,nec quisquam nisi per fidem se ad ecclesiam aggregat: nec denique sine fide quisquam ecclesiam intelligere potest,nisi fortè de Romana ecclesia loquamur,quæ reuera fidem amisit,& vix nomen retinuit.

[1] 2.Petr.1.
[2] Psl.119.

Sacramenta verò in oculos incurrunt, vt & cultus diuinus, & mores sancti? Quis igitur neget signa nostra esse clara, quæ ex scripturis, quæ clarissimæ sunt, & audiuntur quotidie, & leguntur intelligi, & sensibus auditus, & visus propè percipi possunt? Præterea patres ex scripturis inuestigandam ecclesiam, non contrà docent. falsum est enim quod affirmant Pontificij, scripturas ab ecclesia robur habere. Nam si vel obloqueretur mundus vniuersus: staret tamen Dei ab æterno lata sententia.

Quod autem rerum dubios ad antiquissimas ecclesias remittit [3] *Ireneus* à *Bellar.* contra nos productus testis, multum pro nobis facit.Nam ad antiquam Romanam ecclesiam ab Apostolo Paulo, & fortasse à Petro fundatam remitti cupimus. Ecclesiæ enim antiquæ omnes super Apostolica doctrina fundatæ fuerunt, & eam diu seruarunt, & optimè norunt. [4] *Apostoli enim in ecclesiam, quasi in depositorium diues plenissimè contulerunt omnia quæ sunt veritatis.* Quare redeat *Bellarminus* nobiscum, si velit ad antiquissimas ecclesias. videbit statim quanto illud facturus est cum sui pontificis, & sodalitatis Iesuiticæ periculo. Nam si antiquissimæ ecclesiæ calculo standum esset, omnis illa quæ non ita pridem ecclesiam inuasit tyrannis, doctrinæque veræ labes, imo & istæ contra ecclesiam institutæ fratrum sodalitates ipsa vi veritatis, & testimonio antiquitatis conciderentur.

[3] Lib.3.c.4.
[4] Irenæus ibid.

Hic sanè locus à *Bellarmino* allatus nihil facit ad propositum. Nam etiamsi ad ecclesias antiquas recurrendum sit: nihil tamen illud obstat, quo minùs ad scripturas recurramus: nec ex testimonio ecclesiæ abrogatur Scripturæ fides,aut imputatur obscuritas. Quod etiam ad *Tertulliani* locum responsum accommodari potest, & hoc vlterius:

quod

quod & [1] *Tertullianus*, & *Irenæus*, & [2] *Augustinus hæreticos de scripturarum fide ambiguos*, & de ecclesia certos, non autem de scripturis certos, & de ecclesia incertos ad ecclesiam amandat. Neque nos dubitamus ecclesiam esse scripturarum, & fidelem testem, & custodem. *Augustinus vt crederet euangelio dicit, se authoritate ecclesiæ commotum*, idemque contra *Manichæos* scripturas negantes authoritate pugnat ecclesiæ. Sed nihil hæc ad obscuritatem signorum nostrorum probandam, quo nomine citantur faciunt. Desinat igitur *Bellarminus* bonis patrum sententijs, ad sua mala proposita abuti. Nos à scripturis ecclesiam cognoscendam putamus: quod etiam faciunt patres. Ille ad ecclesiam Romanam tanquam intra sua præsidia recurrit, quod nunquam illi, vbi de ecclesia erat controuersia fecerunt. Quod non tantum nouum est, sed etiam insulsum argumentandi genus. Nos quærimus quæ sit ecclesia, & ad scripturas prouocamus, quibus nihil certiùs. ([3]scriptura enim neminem fallit) isti ad suam ecclesiam refugiunt, & nisi testimonium in causa sua Romana ecclesia dicere possit; nullo loco consistere possunt. Quare si aliquam contra nos ecclesiam loquentem introducant, sit ea vetus, & Apostolica; hanc enim post scripturas sacras plurimi facimus: hanc vero vietam & veternosam Rom. ecclesiam, quæ à prima & prisca Romana degenerauit, non pluris facimus, quàm primæ ecclesiæ ab immani pontificum Rom. tyrannide iugulatæ, & ab omnigena superstitione oppressæ, & obrutæ cadauer.

[1] De præscrip.
[2] Con. epist. fund. c. 5. & con. Faust. lib. 32.
[3] August. con. Crescon. gramm. lib. 2. c. 22.

Signa præterea à nobis allata ita sunt propria ecclesiæ, vt nulli sectæ hæreticorum conuenire possint, nam vt putent hæretici, se & veram habere doctrinam, & fidem: non tamen reuera habent: nos autem non de opinionibus, sed de veritate agimus. Si autem reuera haberent, non essent illi dicendi hæretici. Maximè igitur nutat ista contra nos allata *Bellarmini* obiectio. Nam hæretici nonnulli putant apud se antiquitatem, vniuersalitatem, & alias ecclesiæ Romanæ notas haberi, quas tamen propter hæreticorum stolidam opinionem isti non refutant, vt communes.

Signa denique ecclesiæ superiora sunt inseparabilia, nec aliquo tempore à vera ecclesia abesse possunt. Neque enim vllum est tempus, quo oues Christi vocem pastoris, aut non intelligunt, aut non sequuntur. Nec possunt esse fideles qui fidem deserunt, nec quæ est columna veritatis, potest veritatis professionem abijcere: nec possunt qui sacramentis in ecclesiam conscripti sunt tergiuersari, & negare se milites esse. Maximéque obesset hoc Romanæ ecclesiæ: si posset ecclesia à vera verbi prædicatione deficere, nam si possit Catholica ecclesia veri-

tatem, & sacramentorum rectam administrationem relinquere: potest etiam Romana ecclesia errare, & vt isti loquuntur deuiare à fide. Hoc autem secundum non concedit *Bellarminus:* Cur igitur primum affirmat, ex quo illud sequitur? Quod autem sumit ille Corinthiacam & Galaticam ecclesiam, cum vera esset ecclesia non habuisse synceram verbi prædicationem, aut sacramentorum administrationem, falsum est. In ecclesiam quidem Galaticam subingressi falsi Apostoli docuerunt Mosaicæ legis ceremonias seruandas esse, sed nec publica illud authoritate docuerunt, nec populariter dogmata illa recepta erant. Neque enim ad omnes pertinet illa Apostoli grauis increpatio, *O stulti Galatæ, quis vos ita fascinauit, vt non obediretis veritati?* nec si ad omnes pertineret, quod non puto, esset illa quæ hoc dogma publicitus receperat vera ecclesia. De Corinthiaca ecclesia nulla est huius rei, vel leuis suspicio, fuerunt quidem in media illa ecclesia nonnulli, qui ex gentilitate nuper conuersi aliquas eius sordes retinuerunt, & crediderunt corpora non resurgere. Sed hanc doctrinam fuisse publicè traditam, aut creditam nulla ratio facit, vt putemus. Quod etiam de confusione, & næuis qui in cœnæ Dominicæ administrationem Corinthi irrepserant respondemus, fuere enim quorundam hominum, non totius ecclesiæ labes, non illæ quidem lege receptæ, sed praua consuetudine inductæ. Præterea non vitiabant illa doctrinam de sacramentis, nec contra naturam sacramentorum pugnabant. Non enim omnes [illegible]ues de circumstantijs in doctrina errores, nec quiuis næui ecclesiæ veræ nomen aliquibus tollunt, sed illi tantum qui sunt contra scripturam, & fidei fundamenta instituta, nec denique publicè sunt ea præstanda, quæ homines priuati non probante ecclesia faciunt. nam si ista lex admitteretur: grauius illa Romanam ecclesiam, quam nostram læderet; in illa enim multæ continenter hæreses exortæ sunt, vt ex erroribus qui à [1] Theologis Parisiensibus, & Coloniensibus condemnati sunt, & denique ex historijs, & Pontificum [2] rescriptis, & decretis clarè liquet.

De notis eccles. cap. 2.

Gal. 3.

[1] In fine Petr. Lombard.
[2] De summa trinit. & fid. cathol.

Objicit præterea non consentire nos inter nos de notis ecclesiæ. Quod quidem telum in nos coniectum in ipsos recidit Pontificios, quorum alij tres, vt [3] *Driedo, & Petrus* [4] *à Soto:* alij sex, vt *Nicolaus* [5] *Sanderus:* multis enim illi ad ecclesiam suam & Monarchiam ruentem suffulciendam opus erat notis & notulis, & falsis etiam instrumentis: [6] *Michael Medina* 10, & quasi mox illum illius paucitatis pœnituisset, vnam aliam addit: [7] *Bellarminus* vt numero notarum aliquam maiorem pugnæ speciem faceret, 15 attulit: nec vnam quidem minus scribere voluit. [8] *Bozius* hunc numerum vsque ad centum auxit. Conscripsit ille fortasse militum

[3] de eccl. dogm. lib. 4. c. 2.
[4] Defens. part. 1. c. 44.
[5] De visib. Monar. c. 5. lib. 8.
[6] De recta fide lib. 2.
[7] De notis eccl.
[8] In libr. de signis eccles.

tum hoc modo centurias. Quod sane magnam arguit, aut hominum inconstantiam, aut causæ imbecilitatem. Nam qui nusquam confidunt, aut pedem figunt, aut copijs eisdem pugnant, fugam potiùs, quam pugnam meditantur. Apud nos autem, vt aliqua fit varietas: summa tamen huc redit, vt ex verbo, & sacramentis ecclesiam dignosci omnes consentiant. verbum autem nonnulli diuidunt in Euangelium & legem, vt illo fidem, hac mores & cultum diuinum intelligant, quod & nos sequuti sumus.

Tandem verò ne planè cessisse videatur, aduersus quosdam locos à nostris in hoc argumento allatos tumultuarias copias instruit. Negatque locum illum Iohannis 10 De ouibus Christi quæ vocem eius audiunt, ad externam ecclesiæ faciem pertinere: sed rationem nullam affert. Verba autem ad externam ecclesiæ demonstrationem pertinere illam sententiam clarè docent. Ideo enim illos qui discesserant ex Iudæis non esse ex suis dicit, quia neglecta salutari Christi doctrina discesserant. Hoc autem grex ouium Christi nunquam facit, nec obstat quod nemo videre possit qui credant, & corde audiant. Nam licet non possit quis internam fidem alicuius certò scire, potest tamen qui audiant, & qui discedant cognoscere. Quod autem [a] *Augustinum* suæ interpretationis affert testem frustra facit: nam non interpretatur hunc locum de electis tantum, quod falsò affirmat *Bellarminus*, sed de ouibus quæ pastorem sequuntur, quæ non contemnunt redemptorem, quæ per ostium intrant, & pascua inueniunt. Quod quidem quomodo intelligi possit, nisi de militante & externa ecclesia, & vbi fieri possit, nisi in salutaribus scripturarum pascuis, haud intelligo. Quare nisi aliquid aliud habuerit *Bellarminus* erit verbi vox audita, aut repudiata nota ad oues Christi, à pontificijs lupis discernendas ex Christi sententia accommodatissima.

[a] August. tract. in Ioan. 48.

Locos *Augustini*, & *Chrysostomi*, qui vt supra ostendimus planè & distertè affirmant ecclesiam ex scripturis cognosci, eludit ille, non soluit. dicit enim ideo illos scripturas proferre, vt inde cognoscamus ecclesiam, quod illæ notas nobis veræ ecclesiæ ostendant, non autem quod verbi vera prædicatio sit ecclesiæ nota: sed palam mentitur. Consulite locos videbitis & palpabitis hominis mendacium. Hæreses enim & hæreticorum conuenticula, ex doctrina eorum ad scripturas comparata cognosci docet *Chrysostomus*: & *Augustinus* hæreticorum se negat audire voces, quia pugnabant cum Christi doctrina, quod quid aliud est, quam doctrinæ prædicationem cognoscendæ ecclesiæ notam facere? Idem diuina eloquia humanis iuuentis clarè opponit. Comparate inquam locos, videbitis quantum iste aut erret, aut vos errare cupiat: atque vt intelligatis *Augustinum* sentire scripturas ipsas verè traditas notas ecclesiæ esse, non au-

 tem

tem in illis tantum notas ecclesiæ repetiri, legite quæ contra *Petiliani* scripsit epistolam, *Si* (inquit) *Christi ecclesia canonicarum scripturarum diuinis & certissimis testimonijs, in omnibus gentibus designata est, quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt: ecce hic Christus, ecce illic, audiamus potius, si oues eius sumus, vocem pastoris nostri dicentis, nolite credere:* & paulo post concludit: *ergo in scripturis sanctis eam ecclesiam scilicet requiramus.* Quicquid est, nihil ad *Bellarmini* causam accedit commodi. Nam siue scripturæ prædicatio sit nota ecclesiæ, siue in scripturis notæ ecclesiæ reperiantur: nunquam erit Roman. synagoga ecclesia vera: Nam nec scripturarum habet veram interpretationem, nec illud Romanæ ecclesiæ deauratum idôlum, quod in vaticano sublimè sedens, tanquam *Apollo Pythius* oracula suis fundit, nec laxà illa Cardinalium syrmata, nec turba illa cinædica, quæ omnes ecclesias & *Monachorum* lustra occupauit, nec lampades & lychni in templis interdiu collucentes, nec inquisitorum carnificina, nec scelus & perfidia, & hæresis quæ vera sunt ecclesiæ Romanæ signa, imò nec notæ quindecim à *Bellarmino* allatæ in scripturis vsquam reperiuntur. desinat igitur post hac *Bellar.* nisi firmioribus fultus accesserit præsidijs, contra vera ecclesiæ signa, imò contra veritatem ipsam, prudens vidénsque obfirmato animo pugnare, Nam verbi rectam prædicationem, sacramentorum synceram administrationem, verum Dei cultum, & mores sanctos, & scripturæ, & patres, & ratio notas esse ecclesiæ confirmant. *Augustinus, scripturas non tantum notas esse docet, sed certissima ecclesia testimonia, & nunquam fallentia signa.*

Cap. 3.

Locis supra allatis & lib. 2. Con. Crescon. c. 21.

Superest igitur quemadmodum superius hæc esse veræ ecclesiæ signa ostendimus: sic vt nunc Romanam ecclesiam his signis destitui doceamus. Quod quidem nec admodum difficile factu videtur. Principium autem à verbi vera & syncera prædicatione faciam: quam in Romana ecclesia non haberi multa probant. Primum occultatio veræ scripturarum lucis, & veræ doctrinæ, deinde verbi & veræ doctrinæ adulteratio, tertiò multiplices nouarum legum, doctrinarum, & dogmatum additiones; quartò variæ veterum hæreses nouis nominibus in ecclesiam reuocatæ, deniq; multarum hæreseon nouarum inuentio & susceptio. Horum criminum nisi ego Rom. ecclesiam conuicero; vos eam vestra etiam sententia absoluitote.

CAP.

CAP. 2.

Vbi ostendit Rom. ecclesiam non esse veram Christi ecclesiam vtpote verbi syncera prædicatione destitutam, quod multis probatur, à verbi occultatione, adulteratione, nouisque assumentis, veræque doctrinæ varijs corruptelis, quæ in illa habentur petitis argumentis.



SI aliquid esset in sacris literis ecclesiæ Romanæ præsidij, nunquam eiusdem propugnatores tanta contentione earundem synceram tractationē notam esse ecclesiæ Catholicæ negarent. Hæc ipsorum contentio, quam capite superiore explicaui, tacita est huius quod nunc probandum suscepi confessio. Valde etiam illud confirmat Rom. ecclesiæ in scripturis occultandis, & supprimendis summum studium. Quod ex multis indicijs constat: primò enim linguæ hebraicę & Græcę vsum in scripturarum interpretationibus, & allegationibus versioni latinæ postponūt. Quod nihil aliud est quā ipsos fontes obstruere, vt ex turbidis riuis cœnū multū ecclesię pontificiæ hauriamus. Quod ita faciant probatur, primò ex decreto patrū Tridentinorū. Decernunt enim illi veterem, & vulgatam editionē (seu versionē bibliorum) in publicis lectionibus, disputationibus prædicationibus & expositionibus pro *Authentica* habendā, & sub graui pœna interminantur, ne quis eam quouis prętextu reijciat. At de fontibus hebræis, & græcis nec ita decernunt, nec sentiunt. Secundò ex vsu, & consuetudine ecclesiæ Romanæ. Vbique enim apud illos veteris versionis ratio habetur: secundum illam, & in concionibus, & disputationibus, loci allegantur: textus Hebraici, & Græci vix nomen auditur; nulla certè eius ratio habetur. Tertio ex scriptoribus pontificijs qui veterem versionē impudēter fontibus hebræis & græcis anteponunt. Quo in numero sunt[1] *Sixtus Senensis* & [2] *Lindanus*, & etiā *Andradius* ille *Tridentini* decreti defensor. Eamq; versionem quantū potest tuetur etiam cum summa iniuria scripturarū originaliū *Bellarminus*.[3] damnantur deniq; omnes versiones à latina discrepantes licet propius ad textū hebraicum & græcum accesserint. *Isidori Clarij* doctissimam bibliorum versionem hoc nomine condemnarunt quæsitores Hispani. Hoc facto occultari scripturarum, & verbi diuini lumen nemo sanus negauerit, cum nulla versio prototypum perfectione æquare possit: nec possit fieri, vt quis eodem spiritu vertat sacras literas, quo primùm scriptæ sunt. Illæ enim dictante spiritu sancto scriptæ sunt: at à spiritu sancto in linguam latinam scripturas fuisse conuersas probare pontificij nunquam poterunt. Errores enim multi deprehenduntur, deprauationes textus infinitæ.

Secūdò propheticos, & Apostolicos libros nō nisi [4] iuxta mentē ecclesię Rom.

4. Sess. concil. Trident.

[1] Biblioth. sanc. lib 8.

[2] Lib. 1. de optimo gen. interpretand.

[3] In indice librorum prohibit. a Paulo 4.

[4] Bellar. de verbo Dei lib. 1. c. 1.

Rom. in concilio *Tridentino* explicatam volunt esse verbum Dei: hoc enim dicit *Bellarminus*. Illud verò ridiculè, quod concilium *Carthaginense* tertium, & *Tridentinum* vnum, & idem sentire [1] putet: Cum concilium *Tridentinum* numeret librum *Baruch*, & ecclesiasticum in canone, quos libros concilium *Carthaginense* expungit. hinc omnes intelligunt maximè cupere pontificios de scripturæ canone homines incertos reddere, vt à se certam petant determinationem. maximè certè occultatur veritas, cum de fontibus veritatis homines redduntur dubij.

[1] De verbo Dei, lib. 1, c. 10.

Præterea interpretationes seu potius corruptelas suas pro verbo Dei obtrudunt. Si quis habet interpretationē ecclesiæ [2] (inquit Hosius) de aliquo loco scripturæ, etiamsi nec sciat, nec intelligat, an, & quomodo cum scripturæ verbis conueniat: tamen habet ipsissimum verbum Dei. Hoc illi si obtinere potuerint, actum est de scripturis, illæ enim vtpote incertæ, & alio atque alio modo pro temporum ratione, (vt inquit [3] *Nicholaus Cusanus*) intellectæ in situ iacebunt, & tenebris; sensus ecclesiæ *Romanæ*, & decretales epistolæ pro verbo scripto amplectendæ erunt.

[2] De expresso verbo Dei.

[3] De author. eccles. & Concil.

Quarto lo[co] ne populus aliquid apud eos intelligat, docuerunt antiquitus ignorantiā [4] esse pietatis matrem. Et nisi ita crederent nunquam tam indoctos haberent illi non tantum presbyteros sed & episcopos, immò & summos Pontifices. Scholastici docent satis esse si habeat populus implicitam fidem, & se submittat ecclesiæ Rom. credendo quod ipsa credit. Scripturas in lingua ignota tanquam sub sigillo custodiunt: ita vt non liceat publice lingua vulgari in liturgia vti: Populumq; non tantum ratione; quia obscuræ sunt, & difficiles, & errorum causæ; sed etiam pœnis ab earū lectione publica in liturgijs deterreant. In ecclesijs lingua ignota particulas tantum scripturarū minimè ab audientibus vt plurimū intellectas legunt. Ne passim legantur grauissimo cauit [5] concilium *Tridentinum* interdicto. nonnulli apud quos scripturæ vernaculo sermone conscriptæ deprehensæ sunt eo nomine in carcerem detrusi, quidam etiam igni traditi sunt. Canunt & orant in lingua vulgò minimè intellecta: scripturarū maxima pars nusquam apud istos legitur: Conciones & expositiones scripturarum habentur apud eos rarissimè; Nunquam ferè quibusdam in locis nisi in tempore quadragesimali. Episcopi & sacerdotes huiusmodi sunt, vt scripturas publicè explicare nequeant: Episcopi nunquam concionantur. Cardinalis *Lotharingus* quia semel apud suos concionem habuit, à sui ordinis hominibus derisus, postea conticuit. Hæc omnia quorsum spectant, nisi vt verbi diuini lux apud istos opprimatur, & ne vlla eius publicè accurata habeatur tractatio. hæc autem iniuria populo infertur, illa autem quæ sequitur, etiam ad diuinas tabulas pertinet.

[4] Hoc Coleus quidam publicè apud nos professus est, & Hardingus non negat. in respons. ad Iuelli prouocat. art. 27.

[5] Concil. Trid.

Nam

Nam vt verbum non prorsus tollant: tamẽ vim eius, & fructũ suis peruersis translationibus, & interpretationibus, & nouis scholæ suæ commentarijs, seu potius commentis eneruant, & labefactant. Quicquid errauit vetus interpres in libris à synodo recitatis, illud synodus Tridentina non tantum probat, sed à suis omnibus, amplectẽdum proponit. *Rhenatus Benedictus* 3 & 4 Esdræ imo omnes Bibliorum libros à vetere interprete in vnum corpus redactos pro Canonicis scripturis habendos dicit. *Omnes eos libros* (inquit ille) *in Canone & certa Christianismi regula recipite, qui in toto organo, & corpore Biblico adhuc sunt propositi, à Genesi incipiendo, & in Apocalypsi finiendo.* Quam graues autem illius interpretis sint errores, omnes norunt. *Isidorus Clarius* vir & doctus & clarus ingenuè, & suæ ecclesiæ agnoscit in versionis illius approbatione errorem, & interpretem illum reprehendit, & corrigit. editio (inquit *Clarius*) illa qua totus christianus orbis vtitur, ac semper vt facilè coniecto vsurus est, non dum squallorem suum deposuerat, nec ei quisquam errores quibus innumeris penè scatebat adimere adhuc curauerat. errata idem se octo millia in illa versione emendasse profitetur, hunc igitur quæsitores Hispani malè multarunt, libros ab eodem versos legi vetuerunt. multos certè in illo interprete errores esse constat. Vt omnes complectar, nec huius mei instituti ratio patitur, nec postulat. Nihil autem magis hoc confirmat, quam quod *Bellarminus* toties ad varias lectiones, non tantum linguæ Hebraicæ, & Græcæ: sed etiam suæ Latinæ versionis confugere coactus est. Quod quidem si permittatur, non erit difficile aut Hebraicum, ad Latinam versionem tanquam regulam ad opus inflectere, aut versionem Latinam ex alia nescio qua lectione corrigere: quod quidem non est defendere, sed potiùs erratum confiteri. Præterea non tantum [1] *Lucas Brugensis, Erasmus, Valla, Pagninus, & Tremellius:* sed & *Hieronymus* ipse, cuius nomen huic libro vniuerso falsò inscriptum est, multos huius vulgatæ versionis errores reprehendit, & correxit. [2] *Augustinus* versionibus fontes longè præfert. eos qui aliter sentiunt grauiter increpat *Ludouicus Viues*. Imò & missale in nonnullis a vetere interprete discrepat, vt ipse fatetur [3] *Bellarminus*, Duo autem pugnantia simul, vera esse non possunt. Ipsa deniq; linguæ in nonnullis locis barbaries fuisse quosdam codicis istius interpolatores declarat. *Gen. 1 vers. 30.* desunt verba nonnulla versioni Latinæ, nempe omnis herba viridis. *In cap. 2. vers. 8.* transtulit *Mikkedem* à principio, quam tamen vertendum esset in oriente. *Genes. 3.* ipsa manifestè pro ipso supponitur, hoc est *virgo Maria* pro *Christo*: nec aliter tueri potest, hoc erratum *Bellar.* quam negando ita scriptum esse, quod omnes falsum esse norunt, & mentiendo se in quodam codice veteri legisse הִיא. Nam codicem il-

Lib. 1. c. 8. strommat. biblic.

Isidor. Clar. in epist. ad lectorem ante versionem biblior.

[1] In epist. ad Sirletum.

[2] De ciuit. Dei lib. 15. c. 13. & ibid. Viues.

[3] De verb. Dei lib. 2. c. 11.

lum *Guido Fabritius* nuper corruperat. Quod autem patres ita legisse commemorat, nihil ea re quæsisse videtur nisi socios criminis. [1] *Andradius* fatetur legendum esse ipse, non ipsa. Ipse etiam *Hieronymus* ne hanc ipsi versionem ascribamus, affirmat verba quædam *Genes.4.vers.8.* viz. egrediamur foras, expungenda esse ex interprete: negat enim illa in textu hebraico reperiri. verba etiam illa nequaquam ita fiat, eodem capite versuq; 15. pugnant cum originali negando quod ibi affirmatur. *Geneseôs 6.vers.5. & 9 capite vers.6.* aliquid veteri interpreti deesse, nec ipse negat [2] *Bellarminus.* in octauo vocabulum additum est. Nam quod dicit Deus, hominis cogitationem malam esse, ille vertit pronam ad malum. Vbi autem textus *Genes.41.54.* habet panem fuisse in Aegypto; vetus interpres dicit, Famem fuisse in *Ægypto*, quod planè contrariũ est. *Exod.21.3.* malè transtulit interpres hæc verba, *Cum quali veste intrauerit:* nihil enim habetur in textu vt intelligamus agi de veste. Similiter eodem cap. v.10. verba, *Prouidebit puellæ nuptias;* à mente sacrarum literarum alienissima sunt. *Leuit.4.8.* in interpretatione habentur verba illa, *& adipem Vituli offeret pro peccato:* cum tamen in oblatione pro peccato, lex mandet *adipem tolli:* verbum etiam docendi quod Leuitarum continet officium, *Deut.33.vers.10.* omittitur. Libro autem *Iosua cap.11.vers.19.* dicit spiritus sanctus, *Nullam Cananeorum ciuitatem pacem cum Israelitis fecisse, exceptis Ghibeonitis:* vetus interpres contra dicit, *Nullam fuisse vrbem quæ non traderet se Israelitis.* Adduntur etiam *2.Reg.cap.6.vers.12.* verba ista, *ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam:* de quibus nihil in textu audiuimus. Multa etiam in libro *Iob:* plurima verò in *Psalmis* vertendo à veteri interprete peruertuntur. Nec vlla maior illi est in vertendis *Prophetis* aut *Salomonis*, aut Noui testamenti libris religio, aut fides. *Ecclesiast.5.* vbi habet vetus interpres, *de propitiato peccato noli esse sine metu*, peccatum manifestè textui additur. Nec eius vllam excusationem affert *Bellarm.* Errorem *1.Esdræ 9.* vbi habetur *pax illius* pro *paxillus* in librarium, vt multos alios reijcit. In *Psalmo 2.* vbi reddendum erat, *osculamini filium*, vetus interpres reddidit, *apprehendite disciplinam*, quod nihil ad rombum est: egregia tamen videtur *Bellarmino* interpretandi ratio. Quod in *Psalmo 31.* reddidit vetus interpres, *conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina;* reddendum erat *succus meus sine humore, & viror meus versus est in siccitates æstiuas.* Quod nisi per dispunctionem Hebraici textus defendere nullomodo potest *Bellarminus.* Quo quidem ego modo tenebras in lucem verti posse credo. *11.cap. ad Romanos* integer hic versus, *Si gratia, iam non ex operibus; alioqui gratia iam non esset gratia:* ex veteri interprete deletus est. Infinitum esset, quæ supersunt omnia persequi; nec

sanè

[1] Lib.4.defens. Trident.

[2] De verb.Dei lib.2.cap.12.

ſanè neceſſe eſt. Nam etſi graue ſit crimen, alicui in rebus ſacris errori temere aſſentiri: Sunt tamen multa apud pontificios contra ſcripturarum maieſtatem peccata grauiora. verſione enim ſua quædam tantum immutarunt, & leuiter ad ſuos errores, inflexerunt; interpretationibus autem ſuis peruerſis omnes ſuos errores confirmarunt. Adeòque latè manauit hoc flagitium, vt in via planiſſima offendant, in rebus clariſſimis tenebras offundant.

[1] Interpretationes ſuas tanquam a ſancta matre eccleſia profectas omnibus grauiſſimo propoſito interdicto ſeruandas, & recipiendas [2] proponunt. Romanæ ijdem eccleſiæ ſcripturarũ interpretationis prærogatiuam lege confirmant. Quaſcunque autem alias interpretationes ab eccleſiæ Rom. ſenſu diſcrepantes, quantumuis commodas tollunt: eaſq; tanquam à priuato [3] ſpiritu factas damnant. Scripturarum certum ſenſum [4] *Lindanus* nuſquam haberi poſſe dicit, niſi apud eccleſiã: (Romanam ille intelligit) Omnéſque pontificij in ea perſtant ſententia, quam vt tueantur, eo iam redacti ſunt, vt aſſerãt pontifices Rom. errare non poſſe in fide definitiuè. Quod etiam [5] *Bellarminus* ad priuatos pontificum errores tranſtulit & multis defendit. Hinc illa fluxit errorum farrago, quæ eccleſiam Dei obruit, & ex *Bethel* fecit *Bethauen*. *Melchizedek* protulit [6] panem & vinum, hoc iſti ita interpretantur, vt protulit ſignificet obtulit, & quod *Abrahamo* protulit poſt prælium laſſo, illud *Melchizedek* Deo obtuliſſe intelligatur. [7] creauit Deus vt omnia eſſent, ergo inquit [8] Archiepiſcopus Raguſinus Gregorius 12. creatus eſt, vt eſſet Papa, non vt renuntiaret, quam ſententiam Gregorius vt valdè bonam approbauit. Et quia militans Chriſto non implicat ſe negotijs huius ſæculi propterea pontifex quidam ſacerdotibus non eſſe nubendum docet. Chriſtus venit vt ſeruaret, non vt perderet, inde fieri putat quidam [9] noſtrâs, vt accidentia in *Eucharistia* ſine ſubiecto ſubſiſtant. Nunquid [10] gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? Hoc [11] *Nicolaus papa* ita interpretatur, vt inde concludat Romanam ſedem a nullo iudicari debere. Ex illo dicto, ecce duo gladii hic: [12] *Bonifacius* concludit & temporalem & ſpiritualem gladium pontifici Romano conuenire. Quo ille textu fretus duos ſibi in Iubileo gladios præferendos curaſſe dicitur. Locum hunc Pſalmi, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, ad Papam detorquet [13] *Antoninus*, quaſi Deus Papæ homines in terra, animas beatorum in cœlis, & in purgatorio animas igne excruciatas ſubiecisset. Hortatur [14] *Apoſtolus*, vt alter alterius onus portet: hinc vulgò pontificij ſuo Pontifici indulgentias concedendi poteſtatem datam autumant. Quia verò omnia munda mundis ſunt, ideo ſacerdotibus prohiberi nuptias

[1] Corrumpere pontificios verbum Dei peruerſis interpretationibus.
[2] Trid. concil. ſeſſ. 4.
[3] Hoſius confeſ. cathol. fid. c. 18. & Bellar. de verb. Dei li. 1. c. 2.
[4] Panopl. euang. lib. 3. c. 7.
[5] De Rom. pontific. lib. 2. & 3.
[6] Geneſ. 14.
[7] Sapient. 1.
[8] Theodoric. a Niem. in nemor. vnion. tractat. 4. cap. 8.
[9] Harding in confut. apolog. eccl. Anglic.
[10] Iſai. 10.
[11] Diſt. 21. c. inferior.
[12] De maior. & obed. vnam.
[13] In ſum. part. 3. tit. 22. c. 5.
[14] Galat. 6.

nuptias concludunt, Quæ scripturæ de Christo loquuntur, ea multoties isti ad pontificem rapiunt, quem pro Christo tanquam caput, & sponsum ecclesiæ supposuerunt, imo pro Deo, hunc in terris Deum colunt. Quæcunque de Ecclesia dicta sunt, ea ad suam ecclesiam detorquent. Adeóque nunc his interpretationibus confidunt, vt quæ antea tanquam ex [1] traditione non scripta profecta dicebant, vt aquam consecratam, oleum, salem consecratum, exorcismos, Eucharistiam sub vna specie, Missam, purgatorium, satisfactiones, 7 ordines, & huiusmodi: ea nunc ab ipsa scriptura authoritatem habere contendant. neq; certè impedire potest quisquam quominus lucem esse tenebras, & tenebras lucem concludant, si hoc illis concedatur, vt interpretationes Ecclesiæ Romanæ recipiantur. Neque enim vllus vnquam fuit adeo peruersè insanus hęreticus, quin putaret se sententiam suam ex alicuius scripturæ authoritate probare posse. Sed non quid homines putent, sed quid verum sit, quærendum est: nec tam ad conclusiones quæ plerunque malè consutæ sunt, quam ad ipsa scripturarum verba & mentem respiciendum est: nos illos qui peruersa dogmata malè colligunt, vtcunq; scripturas proferant, scripturas adulterare censemus.

[1] Syluest. prier. aduer. Luther. & Lindan. in epit. doctrin. euangel.

Planissimè autem adulterant illi, qui non contenti sacris scripturis, *Apocryphis* scriptis, imò suis somnijs authoritatem parem cum scripturis Canonicis tribuunt. Libros *Machabæorum, Ecclesiastici, Tobiæ, Iudith, Baruch,* [2] synodus *Tridentina* in canonem recipit. Quo quidem facto non illa honorem istis libris habuit, sed sacro Canoni magnam iniuriam fecit. Traditiones prætereà non scriptas pari cum scriptura pietatis affectu & reuerentia suscipiendas, & pro certissimo verbo Dei habendas decernit. Traditionum autem nomine non tantum ab Apostolis deductas consuetudines, aut scripturarum interpretationes, aut ritus & cæremonias ecclesiæ vetustas, vt plerunq; faciunt veteres, intelligunt: sed primò Romanæ ecclesiæ consuetudines (eas enim [3] *Hosius* certissimas esse Apostolorum traditiones affirmat) deinde & Canones conciliorum quæ Rom. ecclesia approbauit: tum vero & decretales Pontificum Rom. à *Gregorio 9.* collectas epistolas: 4 loco cēsetur *Sextus* à *Bonifacio* collectus sacer liber. 5 locum habent Clementinæ & extrauagantes constitutiones. Tanta veneni moles sub hoc traditionum vocabulo latet. Citiúsq; Pontificij, & textum hebraicum, & græcum, & omnes repudiabunt patres, quam ex istis minimam epistolam decretalem. Omnis prætereà missæ apparatus, cæremoniæq; ecclesię Rom. in sacramentis celebrandis, in ecclesiis & imaginibus consecrandis, & monachorum institutis, & huiusmodi negotijs sub nomine traditionum defenduntur. [4] *Gratianus* etiam patrum scripta, & quod maximè

[2] Sess. 4. can. 1.

[3] De express. Dei verbo.

[4] Dist. 15. c. sancta Romana.

maximè pudendum est, legendas martyrum fabularum plenissimas ab ecclesia authoritate *Gelasij Papæ* recipiendas esse docet. Cuius ita puduit [1] *Couerrhuuiam*, vt ex conciliorũ libris sententia *Gelasij* recitata, *Gratiani* errorem corrigat. Deniq; tantum tribuit ecclesia Rom. traditionibus, vt eas scripturæ nonnulli non dubitent anteferre. [2] *Andradius* sententias patrum in disputatione, flexibili scripturæ dicit anteponendas. *Ipsius* (inquit [3] *Lindanus*) *sacræ scripturæ authoritas non constat, sed euanescit penitus, & in vanissimos fumos soluitur, nisi eam traditio in fundamentum stabiliat.* Deniq; quod dicit *Gerson*, cupidè amplectuntur: *sacram scripturam finaliter in sui expositione resolui in authoritatem, & consuetudinem vniuersalis ecclesiæ.* Quis igitur dicet veram esse, & sinceram apud istos verbi prędicationem, cum quantum possint à luce verbi refugiant, & ab originalibus linguis ad corruptas veteris translationis lacunas prouocent, quas portentosis suis expositionibus & commentariis multò reddunt deteriores? presertim verò cum *Apocryphas* probent scripturas, & Romanæ ecclesiæ constitutiones, & consuetudines, omnséq; illas decretales pontificum, imò ferè legendarum fabulas, æquè atq; scripturas canonicas & legant & venerentur. *Apocrypha* enim scripturæ & decretales, & traditiones, & legendæ simul cum scripturis canonicis stare non possunt; ideo & [4] *Gelasius*, & qui [5] collegit Canones quos vocant Apostolorum, sapientiam *Salomonis* vulgo dictam, & ecclesiasticum ex canone expungunt, Et [6] *Origenes*, & *Concilium* [7] *Laodicenum*, quod in sexta generali synodo receptũ fuit, & [8] *Damascenus*, & *Hieronymus* in prologo *Galeato*; & in epistola ad *Chromatium* & *Heliodorum*, ac *Ruffinus* in expositione symboli, & *Gregorius Nazianzenus*, in carminibus quibusdam quæ de sacris libris scripsit, & consensus hebræorum, & [9] *Epiphanius*, & illos libros, & alios *Apocryphos* extra Canonem scripturæ habent. Quod si tanta fides habenda sit pontificibus Rom. cur nos potius *Paulo 3* aut *Iulio 3 Tridentinum* concilium cogentibus credere debere postulent, quam *Gelasio* & *Innocentio* primo qui aliter quam isti sacros canonicos libros recitant? cur autem non maior fides *Clementi* à *Petro* episcopo designato, quam istis qui à *Simone Mago* ordinati videntur adhibeatur? is autem longe à Tridentini concilii sententia discrepat. Prætereà cur cæteros Apocryphos libros patres Tridentini potiùs, quàm 3 & 4 Esdræ inter Canonicos numerent? Præsertim cum vetus interpres cuius illi versionem confirmarunt pari iure istos etiam inter Canonicos censeat? Machabæorum libros cur inter canonicos libros recenseant nulla satis idonea causa videtur, nam & inter se, & cum sacris literis pugnant, & omnino stilo à spiritu sancto alieno exarati sunt, ne illos inter [10] Canonicos libros recensendos censeamus.

[1] Resol.lib.4.
[2] Andrad. lib.2.
[3] Lib.1.c.4. & 5.
[4] Tomo concil.1
[5] Can.84.
[6] In Psal.1.Euseb.lib.6.eccles. hist.c.25.Niceph. lib.5.c.16.
[7] Can.59.
[8] Lib.4.c.18.
[9] Epiph.de mensur.& pond.& Athanas.in synops. sacr.scriptur.
Canon. apost. c.84.
[10] 2.Mac.1.19. & 2.1. 2.Mach. 2.4.& 2.Mach.6. 8. 2.Mach.1.16. & 9.5. de Antiocho.

Traditiones verò Romanæ ecclesiæ & nouitas arguit, non fluxisse ab Apostolis (nouimus enim & quibus authoribus, Canonis missalis partes institutæ sunt, & quis sacerdotum illum mirificum & missificum ornatum inuexit) pleræque enim traditiones non adeo bonas habent origines, nonnullæ autem sacris literis, & veterum traditionibus contrariæ sunt. Traditio de *Enoch*, & *Elia* redituris sub finem mundi ex Apocrypho [1] Euangelio *Nicodemi* desumpta est. vnde etiam & primum crucis multiplex vsus fluxit. Ex eodem libro videtur & limbus patrum manasse. Ibi enim Christus fingitur signum crucis fecisse super *Abrahamum*, & Patriarchas in inferno. Ex euangelio secundùm *Aegyptios* traditiones de nuptiarum impuritate, & cælibatu inuectæ sunt. Ex *Herma* desumptum videtur [2] ieiunium in pane & aqua, quod *Epiphanius* refert ad Apostolos. Traditiones quas [3] *Clemens* de Philosophis veteribus per philosophiam seruandis commemorat euangelio vniuerso repugnant. repugnant scripturis, & quæ isti de crucibus, signis, sale, oleo, vestibus, & harum rerum sanctitate prædicant. *Origenes* doctrinam suam in libris suis περὶ ἀρχῶν traditiones nominat, quæ tamen sana non est. Constitutio de pilis barbæ non radendis, quam traditionem esse diuinam affirmat [4] *Epiphanius*: isti prorsus contraria consuetudine sustulerunt. Traditiones quas de ieiuniis memorant veteres, [5] *Socrates* non fuisse constanter & vbiq; seruatas docet. Euanuêre nunc & *Tertulliani*, & *Epiphanij*, & *Ignatij*, & *Basilij* traditiones, multæq; in eorum locum alterius generis successerunt. Antiquitus sacræ scripturæ tantummodo fidei fundamentum erant. [6] *Marcellus* nihil aliud docendum aut sentiendum tradit, quam quod à *Petro*, & reliquis Apostolis traditum à patribus accepimus. Ex *Hieronymo* [7] *Gratianus duo probat esse Pontificis opera, vt aut à Deo discat legẽdo scripturas diuinas, & sæpius meditando, aut populũ doceat: Idemq́, summi sacerdotis* [8] *officiũ versari circa eloquia diuinitus tradita ostendit. Illa autem eloquia veram esse diuinarum scripturarũ disciplinam asserit.* Nunc verò mutata ratione apud pontificios episcopi muti sunt. Qui autem docendi munus suscipiunt, ij præter scripturas verbũ quoddam Dei non scriptũ proponunt, scripturasq; rarò, creberrimè autem decretales, philosophorũ sententias, & legendicas nugas inculcant. Veterum librorum fidem antiquitùs ex [9] hebræis voluminibus examinarunt, nouum autem testamentũ ad græcæ linguæ normam exegerunt: ex recentiore traditione pulso & hebræo, & græco contextu synodus Tridentina veterem tantum translationem pro authentica habendam censet. Antiqui canones ex ipsis [10] scripturis sensum veritatis capiendũ docent: isti ex Rom. pontificis ore pendent, eumq; posse in fide errare negant. Nec flocci faciunt quod antiqui Canones solis [11] scriptoribus sacris concedunt, vt

1 Augustin. epist. 99.
2 Hermes simil. 5.
Traditiones scripturis, & sibi inuicẽ contrariæ.
3 Strom. 6.
4 Lib. 3. hæres. 8.
5 Lib. 5. c. 22.
6 c. rogamus 24. qu. 1.
7 Dist. 36. c. si quis.
8 Dist. 38. c. omnes psallentes.
9 Dist. 9. c. vt veterum. & dist. 19. c. de quibus.
10 Dist. 37. c. relatum.
11 Dist. 9. ego solis.

vt non errent. contra sententiam [1] patrum, Apostolorũ Canones probant; & numerũ eorundem Rom. pontifices auxerũt: ijdemq; & patrũ decreta violarunt, & mutarunt etiam contrà quàm [2] *Zosimus* faciendum decernit. Christũ satisfecisse non tantũ pro culpa, sed etiam pro pœna, & ex scripturis constat, & etiam veteres affirmant [3] canones. istorũ verò aliter se habet traditio: nam pro culpa aiunt Christũ satisfecisse, pœnam autem partim in huius vitæ angustijs, partim in purgatorio luendam credunt. Iidem etiam ante baptismũ morietes à salute excludunt; cum tamen [4] veteres non illos qui temporum angustiis excluduntur, sed baptismũ cõtemnentes tantum damnationi addicãt. In sacramẽto cœnæ aquã mixtam vino offerunt; contrà vero, & sacræ literæ, & veteres [5] canones faciendum mandant. Peracta consecratione omnes non cõmunicantes [6] veteres excõmunicandos decernunt, nec sine sacrilegio vnum illud [7] mysteriũ diuidi, aut alteram tantum speciem in Eucharistia recipi posse putarunt. Isti verò à cõmunione excludunt vt plurimum astantes, nec sacramẽtum cœnæ aliter, quam in vna specie vbi cõmunicant laici celebrant. [8] Veteres, omnes Apostolos pares inter se agnoscebant; isti super Petri, imo super pontificum Rom. primatu fundamentũ ponunt eclesię suę. Et nomen vniuersalis episcopi pontifici Rom. tribuerũt. Imperatoris in inuestituris episcoporũ ab ipsis [9] pontificibus Rom. cõcessam potestatẽ contrariis postea decretis antiquarunt.

Leges etiam de cælibatu ministrorum, & delectu ciborum, contrà priscæ ecclesię [10] mores nedum contra scripturę leges induxerũt. Iidem coniugia propter religionem frequenter soluunt, contra quam statuerunt antiqui [11] Canones. Monachi etiam nunc iidem presbyteri sunt, tacentibusq; Episcopis loquuntur contra veterum Canonum [12] leges. Adeoq; Apostolicas deseruere pontificii traditiones, vt nec leges Apostolorum sequantur, nec ecclesiæ priscæ mores. quod non tantum ex superioribus, sed etiam ex vniuersa ecclesiæ Romanæ administratione colligitur. Nouæ enim sunt leges, noui sancti quos colant, nouæ legendæ, missale etiam, & partes missæ, & breuiarium nouam nuper formam accepit. Apostolus appellauit prohibitiones [13] matrimonii, & ciborum, doctrinas dæmoniorum. has tamen isti, vt sanctas amplectuntur. Constitutiones multæ *Clementis*, & aliorum Pontificum Rom. vetustate obsoletæ iacent. [14] *Gregorius* presbytero, vt confirmationis celebraret sacramentum, vt vocant permisit; quod isti scelus esse putant. De matrimonio contrarias ediderunt [15] traditiones Pontifices Romani. pro peccatis satisfaciendum dicunt ex veteri traditione: [16] *Innocentius* tamen verè pœnitentes, hoc est, vt illi dicunt, confessos, & contritos qui in bello Saracenico occumbunt rectà in cœlum sine purgatorii vlla satisfactione volare contendit.

1 Dist. 16. c. Apostolorum.
2 25. q. 2. c. contra statuta.
3 De consecr. dist. 4. filius Dei.
4 De consecr. dist. 4. baptismi vicem.
5 De consecr. dist. 2. c. in sacramentis. c. scriptura & c. cum omne.
6 De consecr. dist. 2. peracta.
7 c. comperimus ibidem.
8 22. q. 1. c. loquitur. & dist. 93. c. legimus.
9 Dist. 63. c. Adrianus. & c. Agatho. & c. lectis.
10 Dist. 28. c. de Syracusana. & dist. 23. c. qui episcopus.
11 Dist. 30. c. si qua mulier. & 27. q. 2. c. sunt qui dicunt. & dist. 28. c. si quis.
12 16. q. 1. nemo potest.
13 1. Tim. 4.
14 Dist. 95. c. peruenit.
15 c. licet de sponsa duor. & gloss. & Hostiens. in c. quanto, de diuortijs.
16 In c. maiores, de baptismo & eius effectu.

contendit.

contendit, Pugnant itaque inter se, & cum veteribus traditiones ecclesiæ Romanæ.

Sunt etiam multæ ineptæ eius traditiones, vt mimici illi missam celebrantis gestus, vt mortuorum exequiæ: sed de istis plura dicemus quum ad miracula Romanæ ecclesiæ examinanda deuenerimus.

Nulla autem ex re liquidiùs constat, quantum isti à vera, & legitima verbi diuini tractatione discesserint, quàm quod & veteres hæreses retulerint, & noua, & cum scripturis pugnantia dogmata excogitarint. *Simon Magus* voluit emere à sanctis Apostolis, vt per impositionem manus eius daretur spiritus sanctus. [1] vnde *Augustini*, & Canonistarum sententia [2] simoniaci dicuntur, qui emunt, & vendunt spiritualia, & spiritualibus annexa: & qui hæc sibi licere putant [3] hæresin incurrunt, vt censet magister sententiarum, & Doctores scholastici. *Nicolaus* Papa omnes simoniacos indistinctè [4] hæreticos vocat. Paschalis simoniacos primos & præcipuos hæreticos esse [*] censet, hæc autem hæresis ita ecclesiam Rom. inuasit, vt nihil fere sit integrũ. [5] *Dionysius Carthusianus* nullos fere clericos sine hac simoniæ labe ordinari dicit; omnésq; [6] canonistę vbique de hac Romanæ ecclesiæ labe queruntur. Roma manus rodit, quas rodere non valet odit, inquit *Iohannes* Monachus. Et vt ait author aurei speculi [7] venalitate curiæ Romanæ ecclesiæ inaniter præficiuntur lenones, coqui, stabularii equorum, & pueri. [8] *Felinus* sine simoniæ reditu Romanam sedem contemptibilem fore dicit. Nihil ferè sine simonia fit in illa Ecclesia. pro pecuniis [9] manus imponunt, ecclesias consecrant, Monachos recipiunt, & monachas. visitant, excommunicant, absoluunt, imò baptizant, chrismant, missásque demurmurant. Pro pecunia quiduis licet; sine pecunia nihil licet. Neque hoc tantopere in aliis querendum esset, nisi ad caput vsque huius ecclesiæ lues simoniaca peruasisset. Pontifices Romani quiduis vendunt liberrimè, altaria, sacra, coronas; nihil non Romæ venale est. Siue vis rescripta gratiæ, siue iustitiæ, soluendum est: neque tantum gratia venditur, sed & peccata hominum. Imò ex his magna pecuniæ vis corraditur: cuius rei testis est locuples taxa pœnitentiaria. Ex adulterio simonia, & quauis vt vocant irregularitate, imò ex homicidio, & parricidio pontifices Romani pecunias conflant. Atque ista cum faciant omnia, multóque plura, hæc tamen Canonistæ legitimè facta defendunt, Nonnulli putant simoniam in Papam [10] cadere non posse, quod nisi tenuerit *Bellarminus*; illum hæreticum esse posse fateatur necesse est. Qui autem rectius docere creduntur, illi simoniam à iure positiuo inductam in [11] Papam cadere non posse dicunt, neque enim propriis legibus vt aiunt tenetur. [12] Aiuntque hoc vitium à papa purgari posse, sin autem

[1] Augustin. hære.
[2] Panorm. in c. nemo. de don. & Thom. 2. 2. qu. art. 1.
[3] Lib. 4. sent. dist. 25. & ibi Thom.
[4] 1. qu. 1. c. Statuimus & Petr. Lomb.
[*] Lib. 4. dist. 25.
[5] In 4. lib. sent. dist. 25. qu. 2.
[6] 1. qu. 7. patet.
[7] Aureum speculum in antilogia.
[8] De officio iudic. delegat. c. ex parte. nu. 1.
[9] Nicol. de Clemág. dict. simon.

Baptist. Mantuanus.

[10] Bartol. in l. barbarius 2. col. in fin. ff. de offic. prætor.
[11] Doctores in rubr. de simonia.
[12] Dec. consil. 141. Aym. crau. consil. 122. nu. 12. Aemil. marmanó lect.

tem à diuino iure fluxerit, obligari credunt, & absolutissimæ potestatis pontifices.

Habuit etiam & hoc *Simon Magus*, vt imagines ‡ adorandas esse doceret: vnde primum hæc in papatum *eidolomania* subingressa esse videtur. hanc enim pontificij hæresim habent, & studiosè defendunt. Et *Franciscani*, & *Dominicani* imagines colunt sui *Francisci* & *Dominici*, & *Claræ*. vt Simoniani imagines *Simonis* & *Helenæ*. ‡ Augustin. de hæres. c. 1.

Docuit etiam ille [1] animam non pollui vitijs, sed tantum carnem: hoc in peccato originali tenuit Magister [2] sententiarum, qui nullam voluit esse propriam animæ labem in illo peccato, sed tantum ex contagione Corporis: peccati originalis ille sedem ponit carnem, non animam. Dicit enim illud peccatum manere in carne. Ad quem lapidem etiam nonnulli eius pedissequi offenderunt. [3] *Thomas* autem, & alij planè Magistrum deseruerunt. Dicunt enim animam, non carnē esse subiectū peccati originalis, & ante animæ infusionem peccatum in carne esse negant. [1] Epiph. in Sim. hæres. [2] Dist. 31, lib. 2. [3] Dionys. Carthus. & Thom. in illam distinct.

Marcellina sectæ *Carpocratianæ* quæ porticum suffulsit, colebat imagines *Iesu* & *Pauli*, incensumque illis adoleuit: hoc etiam in religionem suam transtulerunt Pontificij, qui non tantum Christi imaginem diuino cultu honorant, Paulíq; imaginem adorant, sed etiam reliquorum sanctorum venerantur imagines, ijsque thus incendunt, & oscula dant. Augustin. de hæres. c. 6.

Nazarei legales [4] cæremonias in Christianā religionem retulerūt, ijdē que [5] reuelationes & miracula iactarunt: vtriusq; hæreseios rei tenentur pontificij, qui in suo sacrificio, eiusque apparatu plurimas ex leuiticis cæremonijs in arce suæ religionis collocarunt: ijdemque à suis reuelationibus, & miraculis se veram habere ecclesiam argumentantur, & vt *Nazarei* mendacijs plenas habent legendas. [4] Augustin. de hæres. c. 9. [5] Epiph. in illa hæres.

Transubstantiationem suam Pontificij à *Marcitis* habent. Isti enim primum vinum se in Calice in sanguinem mutare dixerunt μεταβολὴν quam à *Damasceno* vsurpatam isti transubstantiationem interpretantur, *Epiphanius* tanquam prorsus ineptam hæreticis obijcit. Epiphanius in tomo. 3. lib. 1.

Heracleonitæ suos morientes per oleum, balsamum, aquam, & inuocationes redimunt. Hunc morem nouum appellat *Augustinus*: Eum tamen Pontificij diu nunc vsurparunt, qui morientes suos vngunt, & fricant, multásque super eos preces more planè hæretico demurmurant; & *Heracleonitæ*, & Pontificij vno illo fundamento ex *Iacobi*, cap. 5, nituntur. Augustin. de hæres. c. 16.

Simile etiam quiddam *Ophitis* habent pontificij, nam vt illi oblationes suas à quodam colubro, quem in altari seruabant sanctificari putabant: sic Pontificij in singulis altaribus locum habent, quem sepulchrum dicunt; vbi aliqua ossa, & [6] reliquias condunt, quibus sanctificari pu- August. ibi, c. 17. [6] Innocent. in c. ad hæc. de consecrat. eccles. vel altar.

 tant

* Ibidem.

1 Aduersus Marc. Tertul.& Epiphanius.

2 Irenæ, aduers. hær. lib 1. c. 30.
3 De consecrat. dist. 4. c. mulier. & 16. q. 1. c. adijcimus.

4 In hæres. collyridian.

5 Augustin. c. 24. de hæres.

6 Ibidem. c. 27.

7 Dist. 82. c. proposuisti.

8 August. c. 26.

* August. ibi. c. 27.

9 Innocent. in c. presbyter de celebr. missæ.

10 August. de hæres. c. 28.
11 Theodoret. hæret. fab. lib. 3.
12 Augustin. de hæres. c. 39.
13 Innocent. in c. quidam de celebrat. miss. in missali est missa de sancto Michaele.

tant hostias & oblationes suas; adeo vt si * lapis ille altaris quo sepulchrum illud operitur fractum sit, iterum altare consecrandum sit, vt missa ibidem sancta dicatur. [1] *Marcionitæ* per Christi ad inferos descensum quorundam animas ereptas, & liberatas somniant: Simile quid de limbo suo, & Christi descensu ad inferos docent pontificij. *Marciō* virginitatem suasit, & coniugia separauit, propter religionem: hoc caput est, & fons monachismi. Idem etiam [2] carnium vsum prohibuit, quod Carthusiani diligenter sectantur. Docent denique [3] *Marcionitæ* mulieres posse baptizare: quod apud Pontificios etiam seruatur. Hoc autem vetus ecclesia pro hæresi semper habuit. Nam in concilio quodam *Carthagine* habito expressè cauetur, ne mulieres illud faciant; & hoc ne virgini quidem Mariæ licuisse dicit [4] *Epiphanius*.

Miracula multa fecerunt [5] Seueriani, & Seueri prophetis *Philumena* præstigijs & ope diabolica; idem legendæ Romanos fecisse sanctos *Franciscum, Dominicum,* & *Claram,* & *Catharinam,* & alios testantur.

Nullum recipiunt in suorum numerum coniugio vtentem *Encratitæ,* ijdemq; [6] carnibus non vescuntur. vtrumq, hoc institutũ ad Monachos translatum est; è quibus Cathusiani non vescuntur carnibus: & ipsi, & reliqui matrimoniũ abiurarũt: *Syricius* [7] nuptias vt pollutiones abominatur.

A Montano etiam habent quod Nonnarũ suarum reuelationes, vt ille suæ [8] Priscæ & Maximillæ, diligenter custodiunt, & mirantur, & in legendis recitant. Martyres etiam illi suos, vt pontificij iactabant: ab eodem primas de ieiunijs suis leges mutuati sunt.

**Pepuzam* vt cœlestem *Hierusalem* admirabantur *Pepuziani,* indéque dicti sunt tanquam à prima ecclesiæ totius sede: Idem nunc peccant pontificij, qui Romam, vt Ecclesiæ totius *Metropolim* venerantur: vnde etiam se Catholicos Romanos nominant. Iidem sacros ordines fœminis conferunt, quod & pontificij faciunt. Nam apud illos moniales nonnullæ sunt Diaconissæ, & licet illis officium [9] dicere; quod laicis interdicitur: apud nonnullos Abbatissæ dicuntur presbyteræ, semper illis manus imponuntur, & benedictio datur solennis, cum primum consecrantur.

Cathari, & [10] *Nouatiani* magnam in operibus suis cõfidentiam habuêre: ijdem [11] rebaptizant ab alijs baptizatos. Ex vtroque capite rei sunt pontificij, apud quos, qui Monachi sunt se perfectos, & præ alijs puros dicunt: soléntque iam in *Gallijs* & *Belgio* in ecclesijs nostris baptizatos iterum tingere. Damnant vtrique secundas nuptias, adeò quidem vt bigamos pontificij ad nullos sacros ordines admittant.

[12] *Angelicorum* hæresim quæ cultum angelorum inuexit cupidè nunc pontificij amplectuntur, qui angelos & precibus, & [13] missis, & reliquo

cultu

cultu venerantur. Nec multi faciunt Apostoli * sententiam qui angelorum cultum scriptis suis condemnauit: nec piorum quidem [1] exempla, qui propter Angelorum cultum reprehensi sunt, aut patrum contra [2] angelorum cultum decreta morantur.

* Colos. 2.
1 Apoc. 19. & 22. deut. 17.
2 Theodoret. diuin. decret. c. de angelis.

Apostolicorum hæreticorum multæ sunt apud pontificios in Monachis, & fraterculis propagines. Nam quod isti nec coniugio vtuntur, nec propriũ possident, ab ipsis habent. ijdem ad dogma suum confirmandum Apstolorũ exemplis, & [3] *Apocryphis* scriptis pariter cum illis abutuntur.

3 Epiphan. in eorum hæres.

Quod de purgatorio credunt pontificij, id ab Origene habent, qui de animarum post mortem purgatione primus noua fabulari cœpit, eóque nomine [4] hæreseos notatur.

4 August. de hæres. c. 43.

Plurimas etiam à *Manicheis* errorum sordes traxerunt. Nam vt per creaturas iurabant *Manichei*: sic iurant & isti. vt oua, & lac, & huiusmodi prohibuerunt illi: sic & isti prohibent, omninoque quibusdam diebus esum [5] ouorum, lactis, butyri, & eorum quæ, vt ipsi loquuntur, sementinam trahunt originem à carne vetant: denique vt [6] coniugia in suis electis *Manichei* damnarunt; sic in suis sacerdotibus damnant & isti.

5 Augustin. contra Faustum manich. Lib. 19. c. 21.
6 Augu. de morib. manich. lib. 2. & de hæres. c. 46.

[7] *Audiani* qui & alias *Anthropomorphitæ* dicti sunt, Deum fingunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: multò autem deterius pontificij, Deum patrem, non menti tantum, sed & oculis in ligneis, & lapideis statuis & imaginibus in humana specie repræsentant. Romæ quæ ad Collegium Anglorum pertinent ædes trinitatis signo internoscuntur. In ædium enim frontibus Deus in senis forma pingitur, filium crucifixum genibus tenens, insidente spiritu sancto cruci.

7 Augustin. de hæres. c. 50.

Quod [8] *Monachi seculo* renuntiarunt, propriáq; nulla possident, & coniugia damnant & carnes; Illud non tantum à *Tatianis, Seuerianis*, & *Manicheis*, sed etiam ab *Aerianis*; qui hoc nomine inter hæreticos censentur, habent.

8 Augustin. hæres. 53.

Continuum illud precum murmur, quod *Monachi* circumeuntes faciunt, habent illi à [9] *Messalianis*, vtrisque hoc commune est, vt propter battologias se à deo audiri credant, vtrique verbi prædicatione contempta in precibus partim decantatis, partim demurmuratis, partem magnam diuini cultus & meriti collocarunt.

9 August. hæres. 47. & Epiphan.

[10] *Aquarios Augustinus* inter hæreticos censet, quòd aquã in calice offerrent; cur igitur non sunt etiam hoc nomine censendi pontificij, qui aquam vino contra Christi institutum miscent, & aquam in calice adorant, cum tamen de aquæ consecratione nulla verba extent in sacris literis, nec possint illi rationem afferre, cur aqua in sanguinem Christi transubstantietur; Quod tamen fortiter [11] tuentur?

10 August. de hæres. c. 64.
11 Innocent. in c. cum Marthæ. de celebrat. missæ.

Neque caruit hæreseos nota, quod quidam, vt se sanctiores ceteris declararent nudis incederent pedibus, quod cordigeri faciunt *Franciscani*, quos obseruantiæ vocant. vtrosq; *Augustinus* inter hæreticos numerat.

August. de hæres. c. 68.

Multum autem veneni pontificij à *Donatistis* hauserunt. Nam vt illi intra *Africæ* fines & *Donati* partes: sic isti intra partes pontificis Romani ecclesiam esse definiunt, vt illi se à magistratus iurisdictione propter religionis causam, sic isti etiam eximunt. Vt illi in aduersarios suos sicarios emiserunt: sic isti veneno & ferro Romanæ ecclesiæ quoscunque aduersantes tollunt. vt illi martyres, & reuelationes, sic isti iactant, & eisdem argumentis dogmata sua vtrique confirmarunt.

August. hæres. 69.

Augustin.

Neque ita Pelagij memoria & hæresis extincta est, quin multæ eiusdem partes apud pontificios rediuiuæ nobis molestiã exhibeant. Quod iustos seu renatos ita viuere posse docent pontificij, vt nullum habeant peccatum, illud * *Pelagianũ* est. Item quod gratiam ex merito congrui se disponenti, & præparanti dari asserant, illorum est. Illi etiam limbum [1] quendam infantibus sine baptismo decedentibus præpararunt, hoc tantum interest, ne sint omnino Pelagiani, quòd illi salutem libero arbitrio ascribant, isti salutis media inter liberum arbitrium, & gratiam Dei partiantur.

* August. de hæres. c. 88.

Catechism. Rom. & abiuratio Burdegal.

Ex transubstantiationis etiam commento sequitur, & *Eutychiani*, & *Nestoriani* etiam planè contrarij dogmatis absurditas. Nam si Christi corpus localiter (vt aiunt) & realiter infinitis in locis esse possit: non habebit Christus verum corpus, hoc enim pugnat cum veri corporis Christi natura, quam *Eutyches* sua hæresi destruxit. Nec potest miraculum aliquod huiusmodi fieri quod contradictiones efficere possit, ne pugnent, at hoc dogma de reali præsentia, si vera sunt quæ pontificij tradunt, pollicetur. Nam cum Christus in vltima cœna sederet & sacramentum manibus suis teneret, sedebat ipse, in sacramento autẽ non sedebat, erat cum sanguine ipse in sedili, sine sanguine in manibus: offerebatur, & non offerebatur, traditus est, antequam traderetur; idem viuus erat, & mortuus. Infinita sunt, si vellem omnes contradictiones, quæ hinc consequuntur persequi: sin autem impius, imò & mus possit corpus Christi vorare, quod isti docent; separetur diuinitas, ab humanitate necesse est. Illud enim abominor vt quod Deus est, & homo à tam turpi bestia, aut ab impijs accipi dicatur. A mure non posse comedi fateantur necesse est: Nam Christus Deus & homo ab ijs tantum sumitur, quibus se dedit.

Iacobitarum, seu *Armeniorum* à [3] *Nicephoro* hæreses commemoratas isti vt sana dogmata amplectuntur. Imagines enim patris, & spiritus sancti fingunt, quod illi videbatur, & certè est perabsurdum, prætereà imagines

3 Niceph. lib. 18. c. 53. & 54.

imagines digito contingentes oscula figunt. Denique crucem isti diuino honore impertiunt. [1] Hæc tamen *Nicephorus* vt *Iacobitarum*, & *Staurolatrarum* dogmata impia damnauit.

[1] Niceph. lib. 18. c. 35. & lib. 14. c. 45.

A *mirabiliarijs* etiam, qui quòd miraculis sua dogmata confirmarent inter hæreticos numerantur, mutuati etiam hoc sunt pontificij, vt singulas suas sententias singulis miraculis confirment. Neque aliundè authoritatem nactæ sunt imagines, aut purgatorium, & transubstantiatio, & inuocatio sanctorum, quam ex [2] miraculis fictitijs. Quare cum tot isti hæreses ab inferis reuocarint, videant postea quo iure nos hæreticos appellent, cum ipsis tot vlceribus vniuersæ religionis corpus putreat, ipsique tot vulneribus laborent; neque tamen ego quidem omnes dixi veteres hæreses, sed quæ primò occurrerunt.

[2] Histor. Lombar. Petr. de natal. & Gregor. Turon.

Iam igitur dicam, quæ præterea noua contra fidem dogmata teneant & defendant. *Petrus Lombardus* blasphemè sanè, & impiè spiritum sanctum affirmauit esse (substantialiter) charitatem, seu dilectionem, quæ in nobis inest, quáque Deum & proximum diligimus. hac autem ille sententia destruit æternam spiritus sancti Deitatem, & quod æquè absurdum est, substantiam deitatis cum creaturarum substantia miscet & confundit. Nec vllo loco pontifices Romani hanc impietatem damnarunt, aut libros *Lombardi* correxerunt. Nescio sanè vtrum *Parisienses* hoc nomine pronuntiatam contra *Lombardum* sententiam probarint.

Lib. 1, dist. 17. §. 2.

Impium est etiam quod Deum, & Trinitatis arcanum ex rebus creatis aliquo modo intelligi posse, asserit. Cui enim nos Deum eiúsque incomprehensibilem essentiam assimilabimus? Multo maior erat patrum in hoc mysterio explicando modestia, quam *Lombardi*. Iste patribus longè audacior. Qui enim potuit aut signis adumbrare, illud mysterium, quod sensus nulla ratione capere possit, sed fide tantum sola credimus, & veneramur?

Lib. sent. 1. dist. 3.

Vniuersam vero tollit Trinitatis fidem, quod alibi docet, cum dicitur *Distinctio personarum, pluralitas personarum, trinitas personarum, vel vna, vel duæ personæ*, non eum esse horum verborum vsum, vt aliqua ponerent, sed vt excluderent, & remouerent tantum à simplicitate Deitatis. Nam nisi vera esset personarum distinctio, & nisi alius esset pater, alius filius, alius spiritus sanctus, actum esset de fide Christiana. Hoc itaque *Parisienses* transuerso calamo è suo Magistro etiam deleuerunt. Pontifices Rom. silentio præterierunt.

Lib. sentent. 1. dist. 24. § 1. & 2.

Neque certè ferendum est, quod dicit æqualitatem, vel similitudinem, cum filius dicitur similis, & æqualis patri, nihil ponere. Quorsum enim patres de hac æqualitate personarum in Trinitate, contenderent contra

Lib. eodem dist. 31. § 2.

euacuant, vt in seipsis homines miselli vitam quærant. Hominem per fidem iustificari sine operibus, scripturæ affirmant: isti boni viri negant, & ante primam iustitiam opera quædam præparatoria fieri contendunt. Secundam autem iustitiam, quam illi perfectiorem esse affirmant, sibi ipsis sumunt: at scripturæ duplicem hanc futilem iustitiam refutant. vnam enim dicunt nostram esse coram Deo iustitiam Christum Iesum, qui factus est nobis [2] iustitia, sanctificatio, & redemptio. Et licet inchoata nostra iustitia apud homines valeat, & opera nostra apud Deum amplam recipiant mercedem: tamen illa Christi iustitia vera, & sola est, qua acquiescendum dicunt sacræ literæ, vna etiam voce assentientibus patribus.

2 1.Cor.1.

Affirmat [3] *Andradius* fidem circa vniuersalia tantum versari, & non circa singulorum actiones. Scriptura tamen Christum singulis fidelibus vnicam spem objicit, & singuli illum fide amplecti tenentur: valdéque absurdum esset, si crederem Deum tantum se catholicæ eccclesiæ benignum fore patrem polliceri, & non mihi, qui in illa sum ecclesia.

3 Lib.6.p.543.

Tridentini [4] patres dubitandum esse semper in hac vita docent de diuina erga nos clementia. Neque enim illi fidem, sed diffidentiam docent. Sed longè hoc à fidei πληροφορίᾳ, & [5] Apostolica persuasione, & fidei natura, & diuinæ erga suos clementiæ certitudine alienissimum est.

4 Sess.6.c.9.

5 Rom.8. dicit se certum esse.

Illud vero ridiculum est, quòd, cum huiusmodi fidem describant, ea tamen se nonnulli vitam æternam promereri posse [6] glorientur: neque enim vlla fide vitam nos meremur, sed Christus nobis credentibus meruit. Iustificamur enim fide, sed non propter fidem, sed propter Christum fide apprehensum. In hac autem vacillante, & fluctuante fide, quid expectandum est, si illius merito fidamus, nisi vt fluctibus obruamur?

6 Catech.Rom. p.121.

Apostolus vnum esse [7] sacrificium, & vnum & æternum sacerdotem affirmat: ex istis enuntiatis isti neutri credunt. Nam & aliud nescio quod sacrificium incruentum, & aliam nouam sacerdotum turbam in Christi locum subrogarunt.

7 Ad Hebræ.7. & 9.

Christus communionē instituit, & disertè præcepit, vt ederent & biberent omnes qui illi cœnæ interderant. [8] Canones etiam Apostolorum quos vocant, episcopum, presbyterum, diaconum, & quoslibet ex sacerdotali catalogo, qui facta oblatione sine causa legitima non communicant, excommunicando specernunt. Isti contra epulas instituunt, vbi vnus misellus missifex omnia vorat solus: reliquos autem si maximè edere cupiant, legibus arcent.

8 Can.9.

Christum vnicam esse illam victimam cuius oblatione nostra peccata expiata sunt, vbique docent sacræ literæ; ipsi plures expiationum docent formulas, & quasi leue aliquid esset pro peccatis satisfacere, & paruula

peccato-

peccatorum noxa: ita peccata [1] grauissima per pœnitentiæ sacramentum, per eleemosynam, per condonationem offensę, & fratris lucrationem, denique per abundantiam charitatis, & contritionem deleri, & purgari putant: venialia autem peccata facillimè per dignam communionem, aut aquæ benedictæ aspersionem, aut eleemosynam, aut iniuriarum remissionem, aut orationem dominicam, aut confessionem generalem, aut episcopalem benedictionem, aut deuotam pectoris contusionem, aut cordis contritionem, aut extremam vnctionem, aut denique per quoduis opus bonum abstergi contendunt. Quo illi facto nouam ad cœlum viam præmonstrant, Christum qui nobis & via est, & vita, & ostium per quod ingrediendum est in cœlos, fastidiosè prætereunt.

[1] Catechism. Iesuit.

[2] Affirmāt quædam esse peccata, quæ non sunt contra legem Dei, nempe quæ committuntur contra Romanæ ecclesiæ leges & prælatos (quos ego facilè patior nulla lege Dei defendi) quæ tamē multò sunt legis transgressionibus grauiora. aliter tamen erudimur à sacris literis: docent enim illæ legem perfectum esse morum canonem, & peccatum nullum esse, quod non sit ἀνομία, hoc est, legis transgressio.

[2] Andrad. lib. 5. de lege.

Lindanus quasi frustra lex lata esset, ita hoc præceptum, Non concupisces, nihil ad nos in hac vita pertinere contendit. Nam [3] propter huius mandati violationem iusti nomen amitti non putat. Negant & reliqui [4] concupiscentiam esse peccatum, aut lege Dei prohiberi. imò peccatum originis quidam peccatum esse, quidam peccatorum minimum dicunt. At contrà loquuntur sacræ literæ: nam legem accusare homines, & arguere peccatum, & concupiscentiam lege prohiberi, adeo vt nec primi motus excipiantur; & grauissimum esse peccatum illud quod per *Adamum* ingressum, in omnes homines communi nascendi lege editos redundat, apertissimè docent.

[3] Lib. 3. c. 19.
[4] Coloniens. Iesuit. p. 64. catechism. Rom. in 9. pręcept.

Legem ab hominibus in hac vita integrè [5] præstari posse, & esse viam ad vitam, & vitæ ministrationem, traditio est Iesuitica. hanc tamen & scripturæ, quæ hominis docent cæcitatem, peruersitatem, & imbecillitatem, et communis experientia, & conscientiæ morsus (si quis istis sit conscientiæ sensus) conuincunt. Cum ista doceant de lege & peccato; non miror, si de hominis iustificatione peruersa loquantur. Quis enim eos morbum curare posse dixerit, qui eius grauitatem nesciant? Iustitiam nostram (*qua Deo placemus*) constantem esse mentis rationisq; æquitatem, & moderationem, quia omnes nostras actiones, & consilia diuina lege, atque voluntate metimur definit [6] *Andradius*. Huic suffragatur & [7] *Tapperus*. dicit enim *iustitiam qua iustificamur, esse qualitatem, qua intrinseca denominatione verè iusti dicimur*. De peccatorum remissione, aut gratia diuina

[5] Catechism. Rom.
[6] Lib. 6. p. 459.
[7] Tapper. art. 8. p. 16. de iustific.

euacuant, vt in seipsis homines miselli vitam quærant. Hominem per fidem iustificari sine operibus, scripturæ affirmant: isti boni viri negant, & ante primam iustitiam opera quædam præparatoria fieri contendunt. Secundam autem iustitiam, quam illi perfectiorem esse affirmant, sibi ipsis sumunt: at scripturæ duplicem hanc futilem iustitiam refutant. vnam enim dicunt nostram esse coram Deo iustitiam Christum Iesum, qui factus est nobis [2] iustitia, sanctificatio, & redemptio. Et licet inchoata nostra iustitia apud homines valeat, & opera nostra apud Deum amplam recipiant mercedem: tamen illa Christi iustitia vera, & sola est, qua acquiescendum dicunt sacræ literæ, vna etiam voce assentientibus patribus.

2 1.Cor.1.

Affirmat [3] *Andradius* fidem circa vniuersalia tantum versari, & non circa singulorum actiones. Scriptura tamen Christum singulis fidelibus vnicam spem obijcit, & singuli illum fide amplecti tenentur: valdéque absurdum esset, si crederem Deum tantum se catholicæ ecclesiæ benignum fore patrem polliceri, & non mihi, qui in illa sum ecclesia.

3 Lib.6.p.543.

Tridentini [4] patres dubitandum esse semper in hac vita docent de diuina erga nos clementia. Neque enim illi fidem, sed diffidentiam docent. Sed longè hoc à fidei πληροφορία, & [5] Apostolica persuasione, & fidei natura, & diuinæ erga suos clementiæ certitudine alienissimum est.

4 Sess.6.c.9.
5 Rom.8. dicit se certum esse.

Illud vero ridiculum est, quòd, cum huiusmodi fidem describant, ea tamen se nonnulli vitam æternam promereri posse [6] glorientur: neque enim vlla fide vitam nos meremur, sed Christus nobis credentibus meruit. Iustificamur enim fide, sed non propter fidem, sed propter Christum fide apprehensum. In hac autem vacillante, & fluctuante fide, quid expectandum est, si illius merito fidamus, nisi vt fluctibus obruamur?

6 Catech.Rom. p.121.

Apostolus vnum esse [7] sacrificium, & vnum & æternum sacerdotem affirmat: ex istis enuntiatis isti neutri credunt. Nam & aliud nescio quod sacrificium incruentum, & aliam nouam sacerdotum turbam in Christi locum subrogarunt.

7 Ad Hebr.7. & 9.

Christus communionẽ instituit, & disertè præcepit, vt ederent & biberent omnes qui illi cœnæ interfuerant: [8] Canones etiam Apostolorum quos vocant, episcopum, presbyterum, diaconum, & quemlibet ex sacerdotali catalogo, qui facta oblatione sine causa legitima non communicant, excommunicandos decernunt. Isti contra epulas instituunt, vbi vnus misellus missifex omnia vorat solus: reliquos autem si maximè edere cupiant, legibus arcent.

8 Can.9.

Christum vnicam esse illam victimam cuius oblatione nostra peccata expiata sunt, vbique docent sacræ literæ; ipsi plures expiationum docent formulas, & quasi leue aliquid esset pro peccatis satisfacere, & partula

peccato-

peccatorum noxa: ita peccata [1] grauissima per pœnitentiæ sacramentum, per eleemosynam, per condonationem offensę, & fratris lucrationem, denique per abundantiam charitatis, & contritionem deleri, & purgari putant: venialia autem peccata facillimè per dignam communionem, aut aquæ benedictæ aspersionem, aut eleemosynam, aut iniuriarum remissionem, aut orationem dominicam, aut confessionem generalem, aut episcopalem benedictionem, aut deuotam pectoris contusionem, aut cordis contritionem, aut extremam vnctionem, aut denique per quoduis opus bonum abstergi contendunt. Quo illi facto nouam ad cœlum viam præmonstrant, Christum qui nobis & via est, & vita, & ostium per quod ingrediendum est in cœlos, fastidiosè prætereunt.

[1] Catechism. Iesuit.

[2] Affirmāt quædam esse peccata, quæ non sunt contra legem Dei, nempe quæ committuntur contra Romanæ ecclesiæ leges & prælatos (quos ego facilè patior nulla lege Dei defendi) quæ tamē multò sunt legis transgressionibus grauiora. aliter tamen erudimur à sacris literis: docent enim illæ legem perfectum esse morum canonem, & peccatum nullum esse, quod non sit ἀνομία, hoc est, legis transgressio.

[2] Andrad. lib. 5. de lege.

Lindanus quasi frustra lex lata esset, ita hoc præceptum, Non concupisces, nihil ad nos in hac vita pertinere contendit. Nam[3] propter huius mandati violationem iusti nomen amitti non putat. Negant & reliqui [4] concupiscentiam esse peccatum, aut lege Dei prohiberi. imò peccatum originis quidam peccatum esse, quidam peccatorum minimum dicunt. At contrà loquuntur sacræ literæ: nam legem accusare homines, & arguere peccatum, & concupiscentiam lege prohiberi, adeo vt nec primi motus excipiantur; & grauissimum esse peccatum illud quod per *Adamum* ingressum, in omnes homines communi nascendi lege editos redundat, apertissimè docent.

[3] Lib. 3. c. 19.
[4] Colonienſ. Iesuit. p. 64. catechism. Rom. in 9. præcept.

Legem ab hominibus in hac vita integrè [5] præstari posse, & esse viam ad vitam, & vitæ ministrationem, traditio est Iesuitica. hanc tamen & scripturæ, quæ hominis docent cæcitatem, peruersitatem, & imbecillitatem, et communis experientia, & conscientiæ morsus (si quis istis sit conscientiæ sensus) conuincunt. Cum ista doceant de lege & peccato; non miror, si de hominis iustificatione peruersa loquantur. Quis enim eos morbum curare posse dixerit, qui eius grauitatem nesciant? Iustitiam nostram (*qua Deo placemus*) constantem esse mentis rationisq; æquitatem, & moderationem, quia omnes nostras actiones, & consilia diuina lege, atque voluntate metimur definit [6] *Andradius*. Huic suffragatur & [7] *Tapperus*. dicit enim *iustitiam qua iustificamur, esse qualitatem, qua intrinseca denominatione verè iusti dicimur*. De peccatorum remissione, aut gratia diuina

[5] Catechism. Rom.
[6] Lib. 6. p. 459.
[7] Tapper. art. 8. p. 16. de iustific.

ne gry quidem dicunt. Imò illis qui soli Dei gratiæ, & diuinæ iustitiæ innituntur, *Tridentini*[1] *anathema* pronuntiant. Sed quid si cœlum sputis impetant? *Apostolus* certè quam illi execrantur sententiam, disertè tuetur.

[1] Sess. 6.

Initium fidei à nobis esse dicit *Gabriel*, non ille à cœlo, sed ex scholæ cœno[2] *Biel*. Omnes scholastici gratię[3] infusionem præparationibus, & dispositionibus suis, homines de congruo mereri docent. In iustificatione qui rectissimè loquuntur, affirmant[4] libertatis interuenire arbitriū. Adeò hoc vnum ipsis propositum est, vias Domini & Apostolicam peruertere doctrinam. Ille enim in peccatis mortuos, non modò afflictos viuificari, & non posse nos vel cogitare aliquid ex nobis boni, vitamq; æternam, & salutem donum esse gratiæ diuinæ affirmat.

[2] Lib. 2. dist. 27.
[3] Biel. de mer. congrui.
[4] Burdegal. abiurat.

Vnum ecclesiæ vniuersalis caput, & summum moderatorem docet Apostolus: ecclesiamq; vbiq; per orbem, interq; gentes omnes collectam esse. Isti vicarium Christo substituunt atriensem seruum, omnesq; qui illius superstitioni fidem non habent extra ecclesiam eijciunt.

Sacerdotes nullos admittunt, nisi qui matrimonium abiurant. contrà Apostolus docet *Heb. 13. 1. Tim. 3. & Can. Apost. 6. & conc. gang. c. 4.*

Episcopos[5] διδακτικοὺς esse debere monet Apostolus, vetustique ecclesiæ Canones, illos qui negligenter in opere Domini versantur, & populum non erudiunt in pietate, à[6] communione fidelium arcendos; si in socordia perstiterint de gradu deijciendos decernunt. Isti mutum idolum in sede *Petri* collocarunt, pontificésque Rom. faciunt, qui nec docent pietatem, nec eam norunt. Qualésque sunt pontifices, illa inquam Romanæ vrbis lumina: huiusmodi sunt & ceteri per orbem ab illis dimissi culinæ potius quam ecclesiæ episcopi. *Galliæ* plerosq; episcopos[7] *Budæus* præ morum turpitudine, & inscitia suibus, quàm hominibus similiores esse dicit. vt morum omittamus turpitudinem, eorum inscitiam & infantiam, omnes qui non prorsus cæcutiunt, vident. Deniq; ne singula persequar, dicam de vniuersa fidei doctrina: atque vtinam non verè dicere possem; vniuersam ecclesiæ Rom. doctrinam ab istis superstitionum, nouorum rituum, & peruersissimorum errorum colluuie factam esse inquinatissimam. Nihil sanè apud istos in vlla fidei parte sanum est, aut syncerum. Quid est igitur quod vanum nobis Romanæ ecclesiæ nomen ostentent, cum ecclesiæ veras opes in fidei naufragio iampridem apud illos facto amiserint? Aut cur deinceps ecclesiæ nomen venditent, cum nulla vnquam vera ecclesia scripturas, & fidei doctrinam tam fœdè lacerarit?

[5] Tit. 1.
[6] Canon Apost. can. 57.
[7] Annot. prior. in lege 2. de legib. p. 121.

CAP. 3.

Vbi demonstrat Romanam synagogam non esse veram & orthodoxam Christi ecclesiam, quia de sacramentis, & reliquo cultu diuino sanam non habet doctrinam.



T milites ex tesseris; sic Christianos ex fidei veræ genuinis symbolis agnoscimus. Sin verò propter diaboli astutiam, aut perfidiam hæreticorum, qui rebus pessimis pulcherrimos illinunt colores, aliqua in sacramentis obuersetur obscuritas: attamen si ad sacramentorum synceram tractationem, reliquus in verbo Dei præscriptus cultus purus, & illibatus accesserit: nulla relinquitur de ecclesia, an ibi sit, dubitatio. Vbi autem vel sacramenta conspurcantur, vel cultus diuinus deest, aut grauiter adulteratus est, ibi ecclesia verè catholica esse non potest. Cum igitur nec syncera sit sacramentorum apud pontificios tractatio, nec cultus diuini puritas; ex Ecclesiæ vere Catholicæ & Christianæ hic in terris militantis numeris, illos tanquam milites sine legitimo sacramento, aut militari disciplina militantes delendos censeo. In hanc igitur disputationem nunc incumbendum est, vt Christianæ militiæ tesseras incorruptas & legitimas, & veram cultus diuini disciplinam (quæ duo in signis ecclesiæ à nobis allatis secundum, & tertium locum obtinent) illis deesse ostendam.

Sacramentorum ecclesiæ Romanæ deesse synceram administrationem, ex quatuor argumentis cognoscere licet: primò quod signa quædam, & vsum eorum legitimum à Christo institutum è sacramentis sustulerint: deinde quod quædam signa sacramentis à Christo institutis addiderint: tertió quod sacrosancto baptismo, & cœnæ Dominicæ, quæ duo sigilla & sacramenta noui Testamenti sola Christus instituit, alia sacramenta pari cum illis duobus auctoritate, ipsi instituerint: denique quod vniuersam Christi de Sacramentis doctrinam suo nouo fermento scholastico infecerint, & inquinarint.

In baptismo aquæ vsum mutarunt. Nam quam Christus ad abluendum, & baptizandum tantum instituit, illi ad fugandos dæmones abutuntur. Non miror itaque si morbos, & mures, & huiusmodi bestiolas fugari putent aqua sua consecrata, cum diaboli potentiam ab ea superari credant. Signi autem baptismi extra baptismum nullum vsum haberi docet exemplum baptismi à Iohanne & Apostolis administrati in fluminibus, & locis apertis: & quod signum nisi ad sanctificandum nullum

vsum

vsum habet: vt & *Lombardicæ* doctrinæ hæredes testantur, & verbi vsus docet.

In cœna Dominica vsum calicis populo abstulerunt: qua in re se contra Christi institutum fecisse non obscurè præ se ferunt. Nam ita patres [1] Constantienses loquuntur: *Præcipimus (inquiunt illi) sub pœnae excommunicationis, quod nullus presbyter communicet populum sub vtraque specie panis & vini.* Anteà vero habetur: *licet Christus instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraque specie: & licet in primitiua Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie: tamen se contrariam consuetudinem probare:* adeóque noua, & non ferenda hæc est constitutio; vt eam nec *Petrus Lombardus*, eiúsque [2] complures interpretes nouisse, aut probasse videantur. Nam licet sub vtrauis specie totum Christum intelligant; tamen non frustra asserunt *vtramque speciem sumi, nempe ad significandum Christum & corpus, & animam humanam sumpsisse;* & *si in altera specie sumeretur, inquiunt, tunc ad alterius tantum, hoc est, vel animæ vel corporis non vtriusque pariter tuitionem valere significaretur.* Adeo vt *Bellarmini* portentosam impudentiam satis mirari non possim, qui quod sui tot strenui doctores ferè ignorarunt, & [3] concilium generale recentem habere originem non diffitetur, id ab Apostolis repetit, & vetustate, & consuetudine defendit. hic nempe pontificiorum mos est: si quid prisca concilia in rem Romanæ ecclesiæ loquantur, quantiuis pretij videntur. sin verò aliquid contra eam obloquantur, nullus adeo minutus est sophista, qui non omnia conciliorum decreta flocci faciat.

[1] Sess. 13.

[2] Petr. Lombar. senten. 4. dist. 11. sed quare. & ibid. Thomas, Occam. & reliqui.

[3] Concil. Constant. sess. 13.

Præterea non signa tantum, sed ipsam communionem sustulerunt, & quod veteres synaxim, & communionem dixerunt, hoc illi priuati vnius sacrifici actionem constituunt. Nam dum sacrificus omnia peragit solus, reliquis spectandi quidem conceditur; comedendi certè nulla datur facultas. Hoc isti & contra Christi institutionem, & priscæ ecclesiæ morem, & legitimum sacramentorum vsum faciunt. Christus enim quod ipse sanctificauit, illud abijs etiam comedendum, & bibendum dedit: quod verba indicant, Accipite, comedite, bibite. Contextus etiam verborum, & institutionis, & narrationis Apostolicæ hæc consecuta indicant. *Augustinus* ad *Paulinum* disertè docet quæ sanctificantur in mensa dominica, ea postea distribui. Cui cur ego in re clara alios adhibeam suffragatores? Apostoli frangebant panem, non vt soli ipsi sumerent, sed vt reliquis astantibus distribuerent. Hoc graui sanctione statutum in veteri ecclesia iam diximus. Apostolus cõmunionem appellat hoc sacramentũ; neq; tantum respectu nostræ coniunctionis cum Christo, quod

Epist. 59.

quod sine sacramenti sumptione ibidem significari non potest; sed etiam respectu nostræ mutuæ coniunctionis, quam de vno pane edentes, & vno calice bibentes testificamur. Neque essent hæc nobis sacramenta efficacia, nisi sumerentur: ideo enim instituta sunt, ideóque ad cœnam dominicam accedimus. valdéque ille insulsè faceret, qui ad mensam instructam famelicos homines inuitaret, nihil tamen ex illis cibis eos sumere sineret. vsu verò sublato illi ad alios vsus hæc sacramenta rapuerunt. Nam missis suis peractis non solum se peccata ex opere operato purgare profitentur, sed & ægrotis sanitatem, virginibus maritos, nautis fœlicem nauigationem, venatoribus prædam & capturam vberem, militibus victoriam pollicentur. Consecratis verò hostijs, & fulgurum & tempestatum vim, & dæmones, & pestem, & alios morbos, arceri contendunt. Hunc vsum, vero vsu sublato illi sacramentis affinxerunt.

In additionibus & assumentis ad sacramenta multò etiam audacius versati sunt. In baptismo enim præter signum aquæ à Christo institutum adhibent [1] exorcismos, exsufflationem, salem, sputum, oleum, aquam exorcisatam (illi consecratam dicunt) cereum accensum, vestémque candidam. Quorum [2] *Bellarminus* ipse mentionem facit. Neque tamen omnia dicit: nam [3] *Lombardus* exorcismum etiam post baptismum requirit. Neque tantum gustationem, cuius meminit *Bell.* sed & linitionem salis postulat [4] *Dionysius Carthusianus*. Hæc contra Christi institutionem in sacramentum irrepsisse, ne ipsi quidem pontificij negare audent. nam eorum originem ad traditiones referunt. Sed aut vniuersaliter mandata, aut hoc casu & modo quo illi vtuntur seruata, ne ex traditione quidem probare possunt.

[1] Hugo de sacramentis lib. 2. part 6. & Biel. lib. 4. sent. dist. 6. q. 3.
[2] Bellar. de baptis. c. 26.
[3] Sent. 4. dist. 6. § illa autem.
[4] In § prædict. & antisiodor. ibidem.

[5] *Lindanus* cum magno hiatu se cæremonias has nobis probaturũ pollicitus esset, vno aut altero facto de vnctione verbo manibus gypsatis rem integram reliquit. quæ autem *Bellar.* attulit, etiam apud suos non probantur. Sed si traditiones fuerint omnes æquo iure seruandæ, dicant quo iure lactis & mellis à *Hieronymo* memoratam prægustationem omittant, reliquas de sputo & sale conspuendas & insulsas cæremonias seruarint: dicant inquam, quo iure noua signa cum signis Christi coniungant; cum sacramenti institutionem ad Christum tantum pertinere etiam pontificij doctores scripserint.

[5] Lib. 4. c. 24.

Calici dominico aquam admiscent, quódque multò stultius fit, quod Christus de vino pronuntiauit: hoc illi de aqua audacter asserunt. Dicunt enim aquam esse [6] sanguinem Christi. At hoc nec verba quidem Christi sonant, vt fuerit autem antiqua consuetudo ecclesiæ, vt aqua vino misceretur: Quid ad rem, cum multò fuerit Christi institutio antiquior, contra

[6] Innocent. in cap. cum Marthæ de celebrat. miss.

[1] Cypr.lib.2. ep.3.

quam nulla valet [1] temporis præscriptio? Christo enim mandante silere debet humana præsumptio.

Eucharistiæ infinitum addiderunt apparatum, neq; sine illo missam vel vitiosa nuce emissint. Instruuntur altaria, consecrantur sacerdotes, induũtur vestibus, proponuntur candelabra & cerei, & paratur thus. Altaria plures habere debent partes. Eius autem præcipuæ sunt tabula illa suprema seu lapis, & intus quod vocant [2] sepulchrum, vt se religioni veræ funus fecisse, & eam in sepulchro condidisse demonstrent, cuius aliud nihil habent præter nudum nomen, vt in illo sepulchro, ossa, pannos laceros, saniem cariémque hominum mortuorum. Sacerdoti bene tonso & raso adesse debet diaconus, seu minister. Vestibus ad arcendum fortasse frigus charitatis pluribus operiuntur, præcipuæ sunt humerale, alba, cingulum, stola, manipula, casula. præter vestes consecratas ad missam requiruntur in diebus solennibus aqua benedicta, candelabra, lucernæ, ampullæ, thuribula, thymiamata, oscula, imagines, cruces & campanæ. Omnia hæc in missam tralatitia sunt, factu operosa, opinione imperitorum superstitiosa, vsu noua, Apostolicæ ecclesiæ nullum habuerunt harum rerum vestigium.

[2] Innocent.in cap.ad hæc.de consecrat. ecclef.

Ista additamenta sunt: nunc dicamus quæ sacramenta noua ipsi inuenerint, aut saltem sacramentorum nomine appellarint, cum non essent à Christo pro sacramentis instituta. Hæc autem quinque sunt: [3] confirmatio nempe, & pœnitentia, ordo, matrimonium, & extrema vnctio. Quorum quædam signis, quædam promissione propria, quædam mandato, quædam duobus ex his, quædam vero omnibus destituuntur. Matrimonium, ordo, & pœnitentia ante Christi aduẽtum in ecclesia fuerunt. Cur autem ista nouæ legis sacramenta dicantur nescio, præsertim cum matrimonium in paradiso, ordo in consecratione Aaronis institutus fuerit, pœnitentia semper in ecclesia ab hominis lapsu esset, neque vsquam ista in sacramentorum ordinem redacta videantur.

[3] Trident.conc. sess.7.c.1.

Confirmationis quidem morem priscum in ecclesia Christiana probamus; nempe vt episcopus pueros in fide Christiana examinet, & manus illis imponat, & spiritum sanctũ inuocet. Hunc enim morẽ vbiq; seruatũ testatur aduersus luciferianos *Hieronymus*: Confirmationem autem sacramentum esse sicut baptismum à Christo institutum negamus. In confirmatione enim nullum extat signum à Christo mandatum. nam quod de impositione manuum fabulantur Pontificij, non cœpit illa primum Christi temporibus; nec ab ipso mandata legitur, nec confirmationis propria fuit, sed miraculorum potius operationis, quæ iamdudum cessauit. Ipsi etiam in signo huius sacramenti constituendo nutant; alij enim impositionem

nem manuum, alij crucis signum, alij orationem his adiunctam signum faciunt. Sed non miror illos nutare, cum rerum quæ nunquam fuerunt difficillimè contexi soleat historia. promissio certè, vt quibus manus impositę essent, reciperent spiritum sanctum, nulla vsquam facta est. Quam autem affert *Bellarminus* aliena est. Sedete ([1] inquit Christus) in ciuitate donec induamini virtute ex alto; & accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos. Sed nihil hæc verba ad confirmationis sacramentum faciunt. neque enim tunc Apostoli confirmandi erant, nec virtus illa dabatur, vt alios confirmarent, sed vt miracula operarentur, linguísque loquerentur, & donis spiritus sancti præditi, Euangelium promulgarent. Præterea, nec mandatum Christi extat, ad commendandum impositionis manuum sacramentum, nec si eo signo vsi sunt Apostoli; eorum exempla imitanda sunt ad noua sacramenta efficienda. denique nec tempus institutionis nec minister certus confirmationis sacramenti proferri potest. Nam quod de Presbyterio loquûtur *1. Tim. 4.* memorato, nihil pertinet ad Pontificium confirmationis sacramentum. Agitur enim ibi potius de vocatione ad ministerium, quam de confirmatione Christianorum. Quam vt nos probemus, nunquam tamen ex ea sacramentum facimus, vt antè dictum est.

[1] Lucæ vlt. Actor. 1.

Pontificiorum etiam de pœnitentia sententia valde fluctuat. nonnulli enim absolutionem constituunt esse pœnitentiæ sacramentum, quò etiam spectauit [2] *Bellarminus* qui verbis his: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* & signum, & promissionē in sacramento pœnitentiæ requisitam contineri dicit. Promissionem verbis disertis; signum, quia non erat verisimile Deum voluisse peccata dimitti sine aliquo externo signo. Sed malus est ille diuinæ voluntatis interpres: nam cum videamus Christum peccata dimisisse sine externo signo; qui dubitare possumus de eius voluntate? hoc verò valde insulsum videtur, vt sacramentum pœnitentiæ constituatur in absolutione, quam illi negant esse pœnitentiæ partem: (tres enim tantum eius partes faciunt, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem.) & nos fatemur non esse. Alij sacramentum in contritione quærunt, alij in confessione, alij in satisfactione, alij in duobus ex his, aut omnibus. *Pighius* [3] in medio dubius fertur: nam sacramentum inter absolutionem, & pœnitentiam partitur. Adeo vt ex vnius sacramenti partu multiplex iam sacramentorum fœtus prodierit. Sed nullo videmus mandato, aut signum promissioni coniungi, aut aliquem huic sacramento ministrum certum constitui, ne ipsi quidem certi sunt. nam si contritionis signa sunt sacramenti partes; non presbyter, sed quiuis è populo quem verè pœnitet minister erit eius sacramenti.

[2] De pœnitent. c. 10.

[3] Pigh. contr. 10.

Ordinis eadem est ratio, quo ad multitudinem signorum. Nam cum 7 ordines sacros constituant: si ordo sit sacramentum, totidem signorum genera erunt. Sed cui ex istis iure sacramenti nomen tribuamus, nullum est. non est enim promissio gratiæ ordini annexa: multos enim videmus ritè ordinatos quoad istos, qui sunt sceleratissimi. nec verbum aliquod extat, quo ordinatio istis signis facienda mandatur. Et pœnitentiæ & ordini hoc conuenit, sacramenta esse ab hominibus sine vlla diuina ordinatione inuenta: de diaconatu planè fatetur *Bellarminus* nec verbum extare, nec traditionem, quæ eum sacramentum faciat. Ipse tamen audacter affirmat, & diaconatum & subdiaconatum sacramentum esse, nec de minoribus ordinibus dubitat quin sint sacramenta, & quod maximè mirandum est omnes hos septem numero ordines, qui nec personis, nec temporibus, nec lege vna coniunguntur; vult vnum tantùm efficere sacramentum. sed vt ista probaret: non deliramenta, sed argumenta afferenda erant.

Matrimonium etiam sacramentum constituunt. Tantum valet erroris semel suscepti pertinax defensio, vt quod veteris interpretis errore decepti semel crediderunt, illud nullo modo retractare instituerint. sed iustas pœnas vertiginis huius pendunt. Nam licet multum inuestigarint, tamen nec vbi, nec quo loco Christus matrimonium sacramentum constituerit, nec quam habuerit promissionem gratiæ, nec quod est ei signum reperient. Si in *Matthæi* 19. capite, his Christi verbis, *quod Deus coniunxerit homo non separet* constitutum sacramentum putent: errant. nam nihil ibi de signo est. Quod autem isti signum faciunt, nusquam mandatum reperitur. nam verba contractus, non sunt illa à Deo instituta, nec sunt visibilia, nec semper eadem, nec certa, sed plerúmque dubia, magnísque sæpe iurisconsultorum rixis agitata. nec verba, sed consensus facit matrimoniũ. Præterea verba illa non tam ad ecclesiam, quam ad *Ethnicos*, & ad omnes spectant, apud quos matrimonium tanquam à lege Dei profectum in honore habendum est. Illud verò insulsum est, quod cum matrimonio gratiam conferri doceant, tanquam opere operato; suos tamen sacrificos quibus omne genus illicitæ turpitudinis potius quam nuptias cócedunt, pollui affirmant matrimonio. Quibus locis hoc sacramentũ instituatur, aut si mandatũ fuerit aliquo loco, cur omnes vti eo nõ possint, rogo *Bellarminũ* vt mihi ne grauetur dicere: nobisq; participet suam summam sapientiã. Multus enim in eo inuestigando fui, nec tamen quicquam extricare potui.

a Bell. de matrimon. lib. 1. c. 2.

Superest extrema vnctio quam in extremis agentes celebrant, isti sacramenti nomine insigniunt: quod si emplastri etiam meminissent Apostoli, & sacramentum habuissemus emplastricum. Nam locus ille *Iacobi* Apostoli vnde huius sacramenti originem repetunt, ad corporis curam

spectat,

spectat, ne nobis deinceps ex medicina faciant sacramentum. Præterea durabat mos ille tantum, quamdiu in ecclesia miraculorum vigebant operationes. Præposterè certè isti vnctione hac vtuntur. *Iacobus* enim finem huius sacramenti sanitatem fecit corporis, & oleo vngendos censuit infirmos, vt sanitatem reciperent, pollicetúrq; eos sanitatem recepturos: Isti ad salutem animæ vngunt, & nonnisi in extremis constitutos, & nonnisi quos putant morituros. Raróque sanitatem recuperant, qui apud istos vnguntur. Adeò vt signum sit hoc apud eos mendax potius, quàm sacramentum. Si patrum iudicio standum sit, nullus est fidei indubitatæ ex illo numero author, qui vnctionem sacramentum appellet; veterísq; illud repudiauit ecclesiæ consuetudo. Recentésq; Pontificum constitutiones, nouellam esse institutionem clamant. nec mandatum extat de eo in ecclesia seruando, nec promissio. remissionis autem peccatorum promissio, apud *Iacobum* non ad vnctionem, sed ad orationem refertur. [1] Iacob.5.

Vidimus iam istorum in sacramentis ecclesiæ mutandis, & interpolandis audaciam; videamus etiam nunc breuiter eorundem in sacramentaria doctrina corrumpenda studium. [2] Sacramenta primum veteris & noui testamenti effectu distinguunt, quod illa salutem tantum leuiter adumbrarint, hæc autem (vt isti putant) contulerint, & effecerint: Cum tamen Apostolus Paulus clarè contrà, iustitiam nostram non rebus externis, sed Christo acceptam ferat, doceátq; Israelitas eandē cum Christianis escam spiritualem comedisse, & eundem potum spiritualem bibisse. Quod prorsus falsum esset, si tantum esset inter vetera, & noua sacramenta, quantū isti fingunt interuallum. [3] *Hugo* dicit & sacramenta vetera iustificasse per accidens, ne in hac re discrepantiā inter vetera, & noua sacramenta statuant.

[2] Concil.florent.

[3] In 4. sentent. dist. 1.

Deinde sacramenta nouæ legis conferre iustificationem ex opere operato asserunt. Hoc [4] omnes scholastici ad ipsorum sacramentorum vim referunt. Sacramentum ijdē [5] causam esse gratiæ affirmant. [6] *Thomas* autem sacramenta dicit & consecrare & sanctitatem significare: Idem & *Petrus Tarantasius*. [7] nam affirmat sacramenta consecrare actiuè, & sanctitatem efficere. Et *Bonauentura*, & *Biel* opus operatum, à fide distinguunt, & sine ea iustificare sacramenta dicunt. Quod quidem ita turpe est, vt etiam verecundiores pontificios pudeat, etiam & *Bellarminum* hominem non nimis verecundum. Omnino enim gratiam Christi signis alligat, & sanctitatem sine bono motu vtentis sacramentis effici probat. Ideo bonus ille vir, [8] suos deserens per nouam rimam elabi conatur. nam per opus illę [9] operatum vniuersam Christi passionem, & gratiam, & sacramenta, & ministri & communicantis commodam fidem, pœnitentiam, & charitatem intelligit. Sed neq; sic euadet. nam quod illi sacramentorū, vt ita dicā efficientiæ

[4] In lib. 4. sentent. dist. 1. sacramenta.

[5] Ibidem.

[6] In 4 dist. 1. ad 1. q.

[7] Ibidem.

[8] In 4. sentent. dist. 1.

[9] Cap. 1 de effectu sacramentorum.

entię soli tribuunt, hoc iste cum alijs cómunicat. In eo tamẽ reus est, quod gratiã Dei in rebus externis includit, & magnam partem gratiæ diuinæ à Christo delibat, vt eam cum sacramentis, & rebus externis communicet.

[1] In sent. 4. dist. 1. q. 3.

[1] *Gabriel Biel* in ea sententia est, vt non requiratur motus interior in suscipiente sacramentum: vnde sequitur etiam impios ex sacramentis recipere gratiam, & iustitiam, quod valde est ἀθεώλογον, & insanum.

[2] Marsil. in 4. sentent. q. 2. art. 2.

[2] *Iohannis* baptisma negant esse verum baptisma. Ita nõ pudet eos scripturæ affirmanti repugnare. Eundem gratiam non contulisse asserunt. Ex sacris tamẽ literis constat fuisse sacramentũ pœnitentię & remissionis peccatorũ. Et absurdum prorsus est quo baptismo Christus Iesus ipse tinctus est, illũ verum baptismũ esse negare. sed decet eos qui Christũ ducem sequi iampridẽ destiterunt, eiusdem baptismũ vtpote imperfectũ accusare.

[3] Petr. Lomb. sent. 4. dist. 1. § fiebat autem.

[4] Quidam pro die ætatem supposuerunt.

Christi resurrectionem (si non sit error librarij, & cadere in quenquam tanta possit insania) magister [3] sententiarum octauo die factam dicit, scripturis tertia die illum resurrexisse disertẻ affirmantibus. Illa autem nõ potest esse librarij culpa, quòd in resurrectione generali in seculo futuro dicit Christum octauo demum à resurrectione [4] *die* omnem corruptionem ab electis abscissurum. vnde sequitur electis resurgentibus non esse gloriosa corpora, nisi post aliquod temporis interuallum; & aliquam in seculo futuro futuram circumcisionis imaginem.

[5] In sentent. 4. dist. 1, § si vero.

Omnes paruulos nunc sine baptismo, & anteà sine circumcisione morientes damnari [5] communiter tenent. Iidem tamen paruulos innocentes (quos vocant) martyres esse putant; & de eorum salute non dubitant. Præterea quendam esse baptismum flaminis, quendam sanguinis asserũt. At hæc pugnant, nempe damnari sine baptismo morientes, & seruari tamen: & illud durum videtur, Omnes sine baptismo morientes è cœlis excludere. nam filios fidelium Apostolus sanctos esse dicit. Sanctitas autem vera fieri non potest, nisi a spiritu sancto.

[6] Dionys. Carth. in 4. sentent. dist. 6. q. 4.

[6] Infantes ante baptismum, sunt qui asserunt non habere mortale peccatum, Iidémq; peccatum originale mortale esse negant, quũ tamen Apostolus per illud, peccatum in mundum ingressum esse dicat. Cui consentaneum est, quod dicunt *Tridentini* paterculi, peccatum originale, non verẻ esse peccatum. Sed credimus nos Deo potius, quam his homuncionibus.

[7] Ibidem.

Exorcismis vim tribuunt diabolum expellendi, imò & fugandi, [7] & infantes negant habere mortale peccatum. Quid igitur superest baptismo quod agat? Præterea si baptismus tantum ad anteriora peccata respectum habet, non autem ad sequentia, vnde illud de prima & secunda tabula: sequitur Christi sanguinem quem baptismus nobis repræsentat, anteriora peccata tantum eluisse, reliqua autem per satisfactiones proprias eluenda

esse: quod isti fieri putant.

Non tantam in baptismo dicit esse efficaciam [1] *Thomas*, quin par sit in assumptione habitus religionis. Multi autem [2] baptismum vel per ludum, & iocum administratum satis valere credunt. Hinc sequitur sacramentorũ contemptus, ludúsq; in religionem inuadit. De charactere baptismi an aliquid sit nécne contendunt inter se *Thomas* & *Scotus*, Itáq; tandẽ contemptus est, vt campanis indatur baptismus. Quod quidem licet fortiter neget *Bell*, tamen & ab illis cæremonijs quæ vtriq; actioni conueniunt, & à nomine campanis imposito, & à communi hominum memoria probatur.

[1] Thom. in 4. sent. dist. 4. art. 3.
[2] In 4. sent. dist. 3

Multa in baptismo quidem isti mutarunt, in eucharistia autem omnia propè nouarunt, de signis & celebratione Eucharistiæ iam dixi. Nunc in doctrina quid nouarint dicendũ est. Primùm ex [3] vna Christi cœna, & sacramentum, & sacrificium propitiatoriũ faciunt. Quę duo ita distinguunt, vt sacramẽtum ex opere operato immediatè iustificet, sacrificium nonnisi mediatè; vtrúmq; absurdè & blasphemè, nam vis Christi passionis signis applicatur. Institutionẽ cœnæ dominicæ in canonẽ missæ transformarunt, sine quo nullam fieri [4] dicunt consecrationem. Hunc canonẽ vniuersum à Christo, & Apostolis institutum iactat [5] *Innocentius*. Cum tamen Apostolos oratione tantum dominica adhibita celebrasse testetur *Hieronymus*, & varijs temporibus variæ partes additę sint: mentióq; multorũ fiat in canone, qui longè post Apostolos vixerũt. In eodẽ loco ipse in missa canonem [6] mutat, vt cum antea pro Leone in eius missa preces funderẽtur, postea ad Leonem vt ipsis illa prodesset oblatio, preces fundantur.

[3] Thom. in 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4. Concil. Trid. sess. 22. c. 2.
[4] Lindan. lib. 4. c. 41.
[5] c. cum Marthæ. de celebr. miss.
[6] §. Tertio loco eodem.

Panem in corpus; vinum, & aquam in sanguinem transubstantiari dicũt. Ex quo multæ sequuntur teterrimæ hæreses. nam si Christi corpus sit in pluribus locis, quod illi asserunt; [7] non habebit verum corpus. si fuerit in monstrantijs, vt vocant: non certè ascendit in cœlos. Si quotidie immolatur, falsum est quod dicitur Christus semel oblatus. Si hoc istorũ sacrificium purgat nostra peccata, non vnica Christi oblatione sanctificati sumus. Pręterea corpus Christi gloriosum fiet ex pane corruptibili, & glorificabitur quod erat panis, & partes Christi fient mutabiles. Et corpus Christi quod erat mortuũ in sepulchro, deberet esse viuũ in manibus Apostolorũ illo tempore sacrificium offerentium: Et si Christus carnaliter est in sacramento, impij Christum carnaliter comedent, & ipsi fient vnum cum Christo; quæ omnia manifestam sapiunt hæresim.

[7] In 4. sent. dist. 11. q. 7. Dionys.

Multa pręterea sequuntur ex hac transubstantiatione inexplicabilia absurda. nam fiet motus in instanti: peribit panis, & quomodo perijt, nescietur: accidentia hęrebũt sine subiecto: accidentia nutrient, vbi nihil est solidi: accidentiã quędã, vt qualitates in quantitate [8] fundabũtur. Erit corpus

[8] Scholast. in 4. sent. dist. 11. & 12.

sine

sine dimensionibus: Erit vnũ & idem corpus & animatum,& inanimatũ; passibile,& impassibile; mortuum,& viuum; quæ non tam mirabilia sunt, quàm mendacia contradictoria,quæ nec ipsi huius sententię authores explicare possunt.Præterea cum frangetur sacramentũ; nulla erit fractio,sed tantum visus decipietur: hæc tamen absurda isti magna vi,summa cum legentium admiratione defendunt.

Sacramentum hoc præterea multos habere effectus docent. *Tollere enim peccatum veniale,& mortale etiam,nisi quod* [1] *pœna manet: augere item virtutes; prodesse ad adeptionem gloriæ,& præseruare à peccatis futuris.* Non mirandum igitur si à muribus metuant, ne hoc tam bellum & efficax sacramentum deuoretur,& si etiam munde [2] seruandum decernant. [3] *Honorius* quidem tertius lumen huic sacramento accēdendum,& cultum deferendum statuit. Quod genus cultus [4] pattes *Tridentini* vt dixi cultum latriæ esse definiunt. Sunt etiam *qui aduersus pestem, & morbos epidimiales, contra fulgura, pluuias, ventos, & tempestates, imò contra ferrum hostile, & insidias,omnésq; morbos valere putant.* Adeóq; illud sacramentum facile & benignum esse dicunt, vt mendicantes fratres inde vberem quæstũ, mercatores lucrum,milites victoriam,amantes rem amatam apud Pontificios (si vlla illis habenda sit fides) impetrent. Cùm itaque sacramenta isto modo mutilent,mutent,interpolent,nouísque institutis refingant: quis non videt istos ab Apostolicis institutis in sacramentorum doctrina ad nouarum hæreseôn nouas labes discessisse?

[1] Scholast.in 4 sent.dist.12. Dionys.Carth. ibid.qu.4.

[2] c.sane cum olim.de celebrat. miss.

[3] Ibidem.

[4] Sess.3.c.5.

[5] Pontificios cultum diuinum, immutasse & corrupisse.

[5] Cultum ijdem diuinum mutarunt,& corruperunt.Hoc autem illos facere ex tribus argumentis colligimus. Primò enim cultum diuinum qui præcipuè internus est,illi pro externis cæremonijs,& ritibus commutarũt: deinde nouos cultus ipsi sine mandato aliquo excogitarunt:Cultu deniq; diuino antiquato idololatriam inuexerunt. Quàm autem illorum religio in externis cęremonijs versetur,testor eorum omnium qui istorum ritus & cæremonias norunt,memoriam.Hoc verè affirmare possum,licet nullo vnquam quis interno motu ad Deum inuocandum accendatur, tamen si ipsorum ritus obseruet,optimum illis fore illum Christianum,& Catholicũ. Neq; enim plus illi à Christianis postulant, quam vt nascentes primò exorcisentur,vngantur,signentur,conspuantur,alba veste contegantur,deinde confirmentur,signentur,Chrismentur, cedantur statuto die ab episcopo,tempore deinde quadragesimali, & diebus veneris ieiunent, die cinerum cineribus consignentur, ante pascha confiteantur, & absolutionem petant,tum ad Eucharistiam percipiendam pectus contundant,sacramentum adorent,missam audiant,sacramentum accipiant,& demum in extremis vngantur,& ad sepulchrum cum lumine,& cantu ferantur.In ipsorum

ecclesijs.

ecclesijs statuę, cæremonię, ritus, loquuntur: sacerdotes nisi fortè in officio, & missa muti sunt. Hæc tamen omnia externam habent potiùs speciem, & pompam, quam religionem. Sonitus clarus auditur campanarum; voces confusæ canentium, organorum modulatio.

Annus his cæremonijs spectandis circumagitur. In Purificationis festo candelæ circumferuntur, in die cinerum, cineres asperguntur: Asinus in die palmarum circumducitur, palmæq; feruntur, in Quadragesima imagines pullatis vestibus luctum præ se ferunt; Post passionem sepulchro adduntur vigiliæ: In die resurrectionis expugnatio inferni tanquam in scena repræsentatur: Crux eleuatur: Ante ascensionis festum solennes habentur processiones, imagines sanctorum in pompa illa portantur. Post Pentecosten solennitas Corporis Christi magno apparatu celebratur. Sequuntur deinde frugum benedictiones: In quibus vt pompa & species est gloriosa; sic nulla religio.

In templis verò omnis religio in externo apparatu versatur. Sunt ibi altaria deaurata, & [1] multæ statuæ, & picturæ, campanæ, chorus, & organa, lampades, monstrantiæ: procedit deinde cum suo Idolo sacrificus splendidè, vt ante diximus, ornatus: procidit adoratura plebs, pulsantur Campanæ, accenduntur cerei, thus adoletur, omnia organis, & cantu resonant. Et in his posita est Romanæ ecclesiæ religio. Quàm autem ista à vera religione aliena sint, inde constat, quod *Veri* [2] *Dei serui illum in spiritu colunt, & veritate.* Et hunc externum cultum sine vera pœnitentia, & legis obedientia sæpe Deus repudiauit. Aspernatus est Deus *Sabbata & neomenias Iudæorum*, nec eorũ sacrificia curauit, cum impij essent. Nec illis profuit lex, aut cęremoniæ, aut labiorũ cultus, cum corde à Deo essent alieni. Deo enim cor cõtritum, & interna animæ affectio sola placet.

Hæ autem externæ cęremoniæ nouitatem sapiunt, nusquam enim præceptæ sunt. Præter has externas cæremonias, multas isti diuini cultus species excogitarunt. Nam & in votis religionis, & omnibus alijs votis magnam religionem, & meritum [3] ponunt. *Habitum religionis* [4] *ex voto susceptum ad peccata delenda instar baptismi* valere nonulli dixerunt. Hinc tot Monachorum familiæ, *Dominicani*, *Franciscani*, & cucullatorum greges, & sine cucullis palliati *Iesuitæ*. qui ex voto pro terra sancta pugnantes occumbunt, eos statim in cœlum volare censet [5] *Innocentius* magnásque Pontifices Rom. & ad terram sanctam, & vrbem peregrinantibus concedunt indulgentias. Pro expiandis peccatis nonnullis monasteriorum aut templorum substructiones, alijs peregrinationes, alijs ciborum aut carnium abstinentia iniuncta est. Maximam vero partem cultus diuini in inuocatione sanctorum, in adoratione crucis, imaginum, reliquiarum, in

[1] Linwood de eccles. ed. sic. c. 2.

[2] Ioh. 4.

[3] Soto. in assert. cathol. de votis.

[4] Thom. lib. 4. dist. 4. art. 3.

[5] In c. maiores de baptismo, & eius effectu.

horis canonicis dicendis, & in missæ sacrificio collocant. At hæc omnia noui sunt cultus, & nusquam instituti leguntur. In istos igitur quadrat quod dicit [1] Christus: *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. & hic populus labijs me honorat, cor autem longe à me est.* Grauiter igitur isti in cultum diuinum delinquunt.

[1] Mat. 15.
[2] Marc. 7.

Nam non leue est peccatum in religione quicquam noui statuere. Deus enim coli vult, prout ipse mandauit. Quid igitur merentur isti, qui non tantum alienum, & nouum cultum diuinum inuexerunt, sed etiam leges à Deo latas suis institutis multifariam violarunt. Qui Angelorum cultu, crucis, & imaginum, & reliquiarum adoratione, & mortuorum inuocatione, & panis eucharistici adoratione, Idololatriam quasi multiplici legum sanctione in ecclesia statuerunt qui possunt illi ecclesiæ nomen iactare? [3] *Bethel enim, quæ prius vocabatur domus Dei, postquam vituli in ea positi sunt Bethauen erat, id est, Domus inutilis, & Domus Idoli*, vt inquit *Hieronymus*. Qui huiusmodi cultum inuexerunt, certum est diuinum illos cultum aut abrogasse, aut certè violasse. Ille enim se solum colendum, & inuocandum proponit, disertéque & superstitiosam [4] imaginum fabricationem, & cultum prohibet. Angelorum cultum Apostolus [5] damnat, vetus ecclesia eorum cultores inter hæreticos numerauit. Et *Augustinus* docet ecclesiam priscam non *coluisse* [6] *martyres, aut ijs templa fecisse, sed ad eorum memorias gratias Deo egisse.* Qui igitur possunt se ab idololatriæ crimine liberare? Dicunt quidem se non cultum latriæ, sed duliæ sanctis exhibere. At hoc insulsum est. Nam seruitute nullũ genus cultus est humilius. Præterea negat [7] Augustinus ecclesiam *seruire debere vlli creaturæ. Ecclesia* (inquit) *Catholica, mater Christianorũ verissima, solum ipsum Deum cuius adeptio vita est beatissima purissimè atq; castissimè colendũ prædicat: Nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui seruire iubeamur.* [8] *Idem soli incorruptæ & inuiolabili æternitati hominem subijcit.* Hieronymus in epistola ad Riparium eidem astipulatur. *negat enim imagines, reliquias, & creaturas adorandas.* Hoc etiam quod isti faciunt, qui coram imaginibus procidunt expressè vetat Deus. Non inquit [9] Deus, adorabis nec coles. Adeò vt si cultum, & adorationem distinctione eleuent; tamen hanc prostrationem, & humi procubationem & adorationem & cultum excusare non possint.

[3] Hieronym. in Oseam, l. 1. c. 4.
[4] Exod. 20.
[5] Coloss. 2.
[6] Aug. lib. 22. de ciuit. Dei. c. 10.
[7] De morib. ecclesi. lib. 1. c. 30.
[8] Ibidem.
[9] Exod. 20.

Denique falsum est, quod se sanctos, creaturas, & imagines, dulia, non autem latria adorare dicant. Nam de missæ sacrificio clarum est. docet enim *Honorius* sacramentum esse [10] adorandum, & *Tridenti* decisio edita est, vt diximus, hunc cultum esse latriæ. Quin autem sacramentum creatura sit, nulla potest esse dubitatio. Nam Christus

[10] Sane cum de celebrat. missar.

non

non est simul & sacramentum, & res sacramenti: solent etiam illud quod vident adorare; at Christum non vident, sed vt ipsi fatentur species, vt nos dicimus panem. sunt igitur planissimi artolatræ. ijdem etiam cruci latriæ cultum exhibent. Nam hunc illi deberi cultum profitetur *Thomas*. At crux creatura est: nec in cruce transubstantiationem prætendere possunt. Sunt igitur & artolatræ, & staurolatræ, & quoniam saxa & lignum osculantur, & ijs gentilium more incensum adolent, idololatræ. Atque ita turpes etiam Idololatræ, vt nec gentiles fuerint illis turpiores. Multi enim ex his non probarunt imagines, nulli diuinitatem in ligno, aut lapide esse censebant: sed plane quod isti faciunt, *Statuis incensum adolebant, & ijs oscula ferebant. Et propter honorem eius, cuius formam statua gerebat, statuam venerabantur.*

Vt huius turpitudinis amoliatur à se infamiam, distinguunt primum inter imagines, & idola. Et dicunt se imagines quidem venerari, sed non idola gentilium: deinde inter mediationem, & intercessionem: Aiunt enim sanctos intercessores esse, non mediatores, sed vt verborum sit aliqua discrepantia res tamen eædem sunt. Nam quod εἴδωλον & εἰκών est græcè, latinè imago dicitur. Coluntque isti simulachra, quorum lege vetitus est cultus, imo & gentilium colunt idola. Nam Iouem [1] Capitolinum in æde *Petri* quæ in vaticano est nomine *Petri* colunt. Excusso autem è Iouis manu fulmine *Petri* imposuerunt claues. Imaginem autem esse Iouis quæ ad *Petri* altare prostat ex crispis imaginis cincinnis constat: ego cum primum viderem, non dubitabam ipsum esse Iouem. nam & alias Iouis persimiles antea videram imagines. *Petro* autem nihil illa imagine dissimilius. *Petrum* enim omnes fingunt recaluum, nulli capillatum.

Secundũ autem mandatum tam imagines, quàm idola coli vetat. Simulacris enim cultum exhiberi non vult. nec iuuat quod Christum faciunt solum mediatorem, & istos intercessores. Nam Apostolus Christum apud Deum [2] vnicum interuenire mediatorem, nullos ad Christum esse intercessores docet. nec potest quidem sanctis tribui intercessio. Nam quicunque cordis cogitationes nouit, & audire vndique orantium potest preces, non is humana creatura, sed prorsus Deus erit. Nam is solus est καρδιογνώστης is solus vbique est, is solus se vndique inuocantes auditurum pollicetur; illis ille solus adesse potest. Nisi igitur diuinitatem illis affingant, dicant isti, quid ad illos nos iuuent fusæ preces.

Sed falsum est quod dicunt se Mariam virginem, & sanctos vt intercessores tantum inuocare, vniuersum enim missale, & legendæ, & officium ecclesiasticũ contra loquitur. [3] *Sixtus quartus Mariam dominam mundi, & Reginam poli salutat, & ab ea liberationem ab omni malo expetit. In breuiario*

[1] Antichità di roma.

[2] 1. Tim. 2.

[3] In orationibus Sixti 4. ad Mar. Virg.

uiario Romano dulcis amica Dei vocatur, & ab eadem inum auxilium expetitur. Eandem rogant isti, *vt se ad vitam æternā perducat:* vulgóque decantatur: *O* [1] *fœlix puerpera, nostra pians scelera, iure matris impera redemptori.* Iidem sub nomine [2] *Bonauentura* omnes *Dauidis* psalmos, quos ille ad Deum cecinit, ad *Mariam* impiè detorserunt. Neque tantum à Christo isti per *Mariæ* mediationem, peccatorum remissionem, & à malis liberationem, sed directè ab ipsa hæc petunt *Mariæ.* In quibusdam sequentijs in officio beatæ *Mariæ* hæ habentur orationes. *Per te* [3] *mater aboleri filiorum flagitamus crimina, nósque omnes introduci in sempiterna Paradisi gaudia.* Item: *Dona nobis pacem mater tu veracem, iuuamen tribue mutans nomen Euæ: mala nostra pelle, trahens sine felle, crimina ignosce, bona cuncta posce.* Et Paulo post: *O gloriosa Domina, hirsutos hostes callidos sternis collisa Tartara: per te resumit populus priores vires perditas; tu Regis alta ianua, per quam intramus curiam,* Et [4] in Vespertinis precibus dici solet, *Aue maris stella, Dei mater alma, atque semper virgo, fœlix Cœliporta: solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce. Monstra te esse matrem: nos culpis solutos, mites fac & castos.* Tantáque veneratione Mariam prosequuntur, vt ad Christum raras fundant preces. *Stephanus* quidam *Archiepiscopus* in constitutione sua quadam apud nos prouinciali Christum expungit, eiúsque loco *Mariam*, & sanctos ponit. [5] *Authoritate* (inquit) *Dei Patris omnipotentis, & beatæ Mariæ, & omnium sanctorum excommunicamus, &c.*

[1] In missal. parisiensi ad Mariā.
[2] Psalterium beatæ Mariæ.
[3] In missal. secundum Vsum Sarum.
[4] In breuiario in offic. beatæ Mariæ.
[5] Linwood. Const. prouinc. de sententia excom. e authoritate.

Neq; tantum *Mariam*, sed & minorum gentium sanctos rectà adeunt, & ab eis remissionem peccatorum, & liberationem à malis petunt. A *Nicolao* [6] petunt *Vt se ad salutis portam trahat: Deum orant, vt per* [7] *Vincentium patronum consequantur vitæ donum. Qui peccatorum pondere se premi fatentur, ij vt per Gregorij patrocinia subleuentur, postulant. Iidémque petunt vt* [8] *Petronillæ interuentu à peccatorum suorum nexibus soluantur, & ab omni semper aduersitate defendantur. Thomæ* autem *Becketti* adiutorio freti ita Deum compellant: *Tu per* [9] Thomæ *sanguinem, quem pro te impendit: fac nos Christe scandere quò* Thomas *ascendit:* Adeóque miseri homines sanctulorum suorum fidunt meritis, Christo diffidunt, vt cum Christum se offerre asserant patri, rogent tamen, *Vt ea munera per sanctorum merita sanctificentur.* Ea quæ quotidie in Canone recitantur, audire & legere potestis. Legite etiam obsecro, orationem in missa *Batildis*: *Vt hæc,* inquiunt, *munera tibi* [10] *Domine accepta sint sanctæ* Batildis *obtineant merita: quæ seipsam tibi hostiam viuam, sanctam, & bene placentem exhibuit:* Non igitur intercessores tantū sancti habentur

[6] In missali Sarum in Nouembr.
[7] Ibid. Febr.
[8] Mense Maij ibid.
[9] Horæ ad Vsum Sarum.
[10] In missali Sarum. Febr.

apud Christum, sed ad Deum patrem mediatores, & bonorum datores, si hæc quæ in ipsorum habentur missalibus, & officijs tueri instituerint.

Verùm vt possint aliqua ratione cultum sanctorum excusare, quid habent, quod pro cultu Angelorum expressè [1] prohibito, afferant? Et si ista possint tueri, quomodo tamen poterunt preces apud ligna & lapides defendere? meminisse enim possunt, quæ soleant illorum esse ad angelos & imagines preces. *Michaelem* venerantur, vt *se defendat* [2] *in prælio, & à periculo mortifero: Gabrielem vt diabolos omnes à se fuget: Raphaelem vt oculos sibi aperiat: omnes deniq; Angelos, vt sibi succurrant, & vt angelorū numerum casu Luciferi diminutum suppleant.* Iidem coram cruce, etiam orant his verbis, *Crux Christi protege me, Crux Christi defende me ab omni malo:* ante [3] Veronicam (hoc est, ante imaginem faciei Christi expressam datam Veronicæ vt aiunt) dicere solent: *Salue sancta facies impressa panniculo: nos ab omni macula purga vitiorum, atq; nos consortio iunge beatorum.* In benedictione ligni crucis, hac vtuntur verborum formula: [4] *Digneris benedicere hoc lignum crucis, vt sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra sæua iacula inimicorum.* In benedictione imaginis Iohannis Baptistæ: *sit hæc imago dæmonum sancta expulsio, Angelorum aduocatio, fidelium protectio, eiusq; in hoc loco potenter vigeat intercessio.* Coram imagine agni Dei procidentes [5] *peccatorum veniam, & malorum depulsionem deprecantur.* Nam ita habetur in Pontificali:

[6] *Balsamus & cera munda cum chrismatis vnda*
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum
Fulgura desursum depellit; omne malignum
Peccatum frangit, vt Christi sanguis & angit,
Prægnans seruatur simul & partus liberatur.

Cum igitur diminuto, & valde contempto cultu diuino, non tantū Angelorum, virginis Mariæ, & sanctorum mortuorum faciant inuocationes, sed etiam coram imaginibus, & crucibus se prosternant, & homines mortuos, & mortuorū ossicula, & laceras reliquias venerentur, & colant, & ab ijs ea sperent, & petant, quæ Deus à se petenda mandauit; quis non videt iacere apud istos verum cultum Dei, & nouas institui religiones? quas vt illi mordicùs retineant, & defendant; tamen cum Deus suam ecclesiam coram Idolis procidentem, vt [7] adulteram repudiarit: nihil est cur quisquam dubitet, eum etiam Romanam ecclesiam, quæ Deo vero, eiùsque verbo relicto, lignis & lapidibus, & cariosis ossibus se prostituit, vt adulterinam à se abiecisse.

[1] Coloss. 2. Apoc. 19. & 22.
[2] Horæ ad vsum sarum, in suffragiis.
[3] Durand.
[4] Durandus.
[5] Pontif. lib. 1. sect. 7.
[6] Cærem. pontif. lib. 1. sect. 7.
[7] Ierem. 3.

CAP. 4.

Non esse Romanam synagogam veram Christi ecclesiam, ex singulari quae illam inuasit morum turpitudine colligitur.

DIximus de religione Romanae ecclesiae: restat vt nunc de moribus eiusdem dicamus. opus sanè magnum & spissum. Video enim mihi magnum nunc ingrediendum aequor, & immensa exiguo phaselo sulcanda maria. Adeò vt antequam è portu soluam, illud mihi occurrat quod ad phaeaces suos labores, & errores narrans *Vlysses* dixit, nec principium, nec exitum se orationis reperire: etiam huc accommodari posse.[1] *Neque enim vnde exordium sumam, nec quid secundum, aut tertium dicam facile reperio.* Adeò enim sunt omnia summa, vt difficile sit quod maximè excellat videre; adeóque multa, vt si omnia persequi vellem, nullum dicendi finem facerem. Nam quę antea in tenebris latuerunt, ea nunc in lucem & oculos hominum peruenerunt.

Odiss. 9. Homer.

[1] τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω.

Sperabant quidem Iesuitae impudentia, & confidentia sua se vulnera Romanae ecclesiae aut sanare, aut occultare posse; & ideo quae veteres affirmarunt, ea negarunt. Sed vehementer eos fefellit opinio. Negando enim quae manifestò tenebantur, nos ad veritatis accuratiorem inquisitionem excitarunt. In qua non tantum vetera vera esse sensimus, sed etiam multa noua inuenimus & occulta eius ecclesiae scelera. adeo vt, quamuis sit illa ecclesia, superstitione, & errorũ multiplici labe inquinatissima, morũ tamen turpitudine religionis corruptelam aut superasse, aut saltē aequasse videatur. Haec inquam in tam exiguo libello explicatu difficilia sunt: complectar tamen quantum possum: dicámque primo de vniuersa illa ecclesia, deinde ne se isti vulgi & sordidae plebis inuidia iniquè grauari querantur, adiungam de pontificibus, & cleri Rom. magistris veram narrationem: ostendámque non tam plebis inuidia illos immerito laborasse, quam plebem hos ad omnem nequitiam magistros, & monstratores habuisse.

Cognoscetis igitur istorum impietates, impuritates, perfidiam aduersus principes, periuria episcoporum Rom. haereses, impietatem, luxuriam, prodigalitatem etiam & auaritiam, veneficia denique & reliqua scelera: neque hoc ex testibus suspectis, sed ex priscis & fidedignis historijs, & viris Romanae ecclesiae studiosissimis. Nam quod isti faciunt, qui ex suis quosdam scelerados scurras aduersus nos testes producunt, & iniquissimum, & ineptissimum est. Quis enim hominibus precio conductis & inimicitia incitatis, testibus sine fide aut grauitate, scurris perditis & profligatis,

fligatis, quibus nihil aliud pensi erat, nisi vt nobis malè dicerent, fidem habebit? Inimicos non esse audiendos decernit [1] *Anacletus*. [2] à testimonijs repellunt & leges ciuiles: testes conductitios, & criminosos, & scurras etiam vrbanos vbique [3] Canones reijciunt. Si nostri nullam habent rationem, at pudeat istos se contra suos Canones proloqui. Nostra autem alia est ratio: nullis enim credi postulamus, nisi illius sedis amicissimis viris doctis, & fide dignis. Exspectato igitur non istorum more vulgò iactata maledicta, sed grauissimorum hominum fide dignissima testimonia.

[1] 3.q.5.c.accusatore.
[2] L.testium fi. des.ff.de testibus.
[3] c. placuit.de testib. & attest.& c.super eod.

Iampridem eius ecclesiæ vastitatem, & corruptelam deplorauit *Bernardus*. *Serpit* ([4] inquit ille) *hodie putida labes per omne corpus ecclesiæ, & quo latius, eò desperatius, eóque periculosius quo interius.* Et paulò post: *Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt: Inde is quem vides quotidie meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in sellis, in frenis, & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibis & scyphis, inde comessationes, & ebrietates, inde cithara, & lyra, & tibia.* vnde concludit *intestinam & insanabilem esse plagam ecclesiæ, & propinquum esse Antichristum, qui in meridie apparebit, & in media ecclesia versabitur.* Nihil potuit in illam ecclesiam dici grauiús: addit tamen ipse maiorem verborum acerbitatem. *Coniurasse* ([5] inquit Deum alloquens) *videtur contra te vniuersitas populi Christiani, à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas vlla. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicarijs tuis qui videntur regere populum tuum: non est iam dicere, vt populus, sic sacerdos: quod nec sit populus vt sacerdos.* Idem docet eos esse *in persecutione ecclesiæ & Christi primos, qui videntur in ecclesia primatum diligere, & principatum gerere: & multos tunc fuisse Antichristos & complures qui existimarent, quæstum esse pietatem. Omnes* ([6] inquit) *Christiani, & omnes fere quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque ecclesiastica dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere. Nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro episcopatibus, & archidiaconatibus, Abbatijs, alijsque dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipentur. Superest vt reueletur homo peccati filius perditionis.* Tantum autem Romanam curiam inuasisse vidit labem, vt *aulam pontificiam multos bonos accipere, nullos reddere dicat.* Neque hæc primum *Bernardi* ætate labes cœpit. *Hieronymus* [7] in suæ ætatis mores etiam grauiter inuehitur.

[4] Ser.super Cant. 33.
[5] In conuers. sanct. Pauli serm.1.
[6] In Psal. qui habitat.serm.6.
[7] In Hierem. cap.2.

Post

Post tanta (inquit) *beneficia verterunt in contemptum priuilegia dignitatis, vt sacerdotes Dominum non quærerent, vt doctores legis ignorarent eum, qui alios docere debebant, & pastores per negligentiam prævaricatores fierent, & Prophetæ qui in populis disputant, non Deo loquantur, sed idolo, & sua figmenta venerentur.* His autem verbis vtendum est aduersus nostri *ordinis magistros, qui deuorant plebem Dei, velut cibum panis, & per mala opera non inuocant Dominum.* Idem in suis [1] in *Sophoniam* commentarijs, *episcopos & presbyteros leonibus rugientibus similes esse dicit; eósque quòd plebem contererent, & possessiunculas ecclesiæ in lucrum verterent, accusat: plurimósque in ecclesia fuisse dicit, qui licet se in Christum credere profiterentur, tamen nec audierunt vocem eius, nec receperunt disciplinam, nec iuxta eum esse voluerunt.* [2] *Ambrosius* sui temporis plerósque Christianos *vulpibus comparat, quòd ore Dominum confiterentur, moribus negarent.* Labem [3] *auaritiæ* in ecclesiam subingressam idem indicat: nec aliter loquitur [4] *Gregorius: mundum dicit sacerdotibus esse plenum, sed raros esse in messe Domini operatores. Eos lupis qui lacerant agnos comparat, magnámque morum ecclesiæ labem fuisse queritur.* Quare si non *Bernardi* tantum, sed etiam *Hieronymi, Ambrosij,* & posteà *Gregorij* ætate tanta fuerit morum ecclesiæ Rom. labes: quid de sequentibus sæculis cogitabimus, quando potentia metum sustulit, luxùs omnem modestiam minuit, opes frænos laxarunt: cupiditates ad omne peccati genus incitarunt?

1 In cap. 3.

2 Serm. 79.

3 De offic.

4 Gregor. hom. 17. in Ezech.

Postquam ab imperatoribus dissidere cœpissent pontifices Rom. non religionis augendæ, sed potentiæ firmandæ illis cura erat: populus Rom. continuis seditionibus vexabatur, Italia bellis ardebat, mores in peius ruebant. Pontifices *Gallorum* armis *Longobardos* domarunt: *Gallos* inter se commiserunt: ad *Germanos* tandem imperii nomine translato eos armis *Normannorum*, & *Italorum* variè exercuerunt; cum autem nec sic satis proficerent, odii semina inter *Germanorum* proceres sparserunt, & mutuis eos vulneribus confecerunt. nec religio interim, nec respublica integra stetit. Tandem verò dum principes Christiani mutuis odiis certarent, pontifices Rom. ad summas peruenerunt opes: non illi quidem honestis artibus, sed vi, fraude, & rapinis. bella maxima gesserunt, quæ cœpta à *Leone 3* ad nostram ferè ætatem durarunt. Quo omni tempore quæ potuit esse religionis cura, hominibus qui in bellis, & seditionibus omnem ætatem exegerunt? Quidam de ecclesiæ moribus [5] temporibus Imperatorum Caroli Calui, & Caroli tertii loquens flebiles edit gemitus: *heu heu* (inquit ille) *Domine Deus quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta sede Apostolica, quàm vsque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala? Quales contentiones,*

5 Author fasciculi temporum in Martin 2. Adrian. 3. & Steph. 5.

æmulationes, sectæ, inuidia, ambitiones, intrusiones, persecutiones? O tempus pessimum in quo defecit sanctus, & diminuta sunt veritates à filiis hominum. [1] Idem temporibus Lotharij secundi dicit *sanctitatem papas dimisisse, & ad Imperatores accessisse.* [2] *Theodoricus à Niem* vniuersam temporum illorum, quibus ille vixit corruptelam vix pluribus libris complecti potuit. Perlege illius historiam, & si præter expilationes, libidines, ambitiones, contentiones, cædes, seditiones, bella, quicquam aliud inueneris: nega illam ætatem fuisse inquinatissimam. Quales fuerint illius temporis Monachi & moniales, constat ex [3] testimonio papæ *Gregorij 12.* illos enim *vt ebrios, concubinarios, & homicidas taxat; idemque excusso omni Dei timore, & religionis obseruantia illos libidine æstuare, & criminibus non nominandis laborare queritur.* Imo longè ante hæc tempora insolentia in vestitu, & luxus in victu, & in canibus, & auibus alendis ecclesiam inuaserat, vt ex actis [4] synodorum constat.

Quæ autem esset Petrarchæ ætate ecclesiæ Rom. facies, ex ipsius [5] elegantissimis carminibus videmus. Ecclesiam Rom. scholam appellat errorum, & templum hæreseos: eamque à Deo ad Veneris & Bacchi cultum defecisse arguit. In ea gigni [6] proditiones, vigere ebrietatem, luxuriam & turpissimos dicit mores: ab illa oriri omnia, quæ per orbem spargebantur mala. Propterea *Babyloniam* appellat, & impudentem meretricem; minaturq; fore, vt idola eius in terris spargerentur, altissimæq; turres diruerentur. fuit ille *Iohanni 22* perfamiliaris, sed deceptus eius fallacijs [7] aulam vitiorum & scelerum plenissimam reliquit. Eiusdem mores, & pietatem optimè depingit. *Omne* ([8] inquit) *ibi bonum perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ iactura ingentes, sed in regno auaritiæ nihil damno ascribitur, modo pecunia ibi salua sit: futura ibi vita spes, inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia, resurrectio carnis & mundi finis, & Christus ad iudiciū venturus, inter nenias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia rusticitas, pudicitia probrum, ingens deniq; peccandi licentia. quo pollutior, eò clarior vita, quo plus scelerum, eò plus gloria. bonorum hostis, & malorum hospes, atq; asylum pessima rerum Babylon feris Rhodani ripis imposita. famosa dicam an infamis meretrix fornicata cum regibus terræ.* multis idē demonstrat *pontificis aulā Babylonem esse, & meretricem ebriam sanguine sanctorum. neq; vel religioni vel iustitiæ aliquem ibi locum relinquit. nec aliam ob causam homines pij* [9] *ad veritatis oppressæ inuestigationem excitati sunt post diutinas in ecclesia tenebras, quàm propter insignes Romanæ aulæ impietates, & scelera.* Eo nomine principes Christiani concilio *Constantiensi, & Basileensi* indicendo pontificibus Romanis authores erant, [10] *Petrus* de

1 In Iohan. 12.
2 Scripsit ille de schism. inter Vrban. 6. & Clementem.
3 Theodoric. à Niem. Nemor. Vnion. labyr. tractat. vi. c. 34.
4 Matisc. conc. 1. can. 3. & 2. can. 13.
5 Canto. 106. 107. & 108. *Schola d'errori tempio d'heresia. ha fatti suoi dei Venere, e Baccho.*
6 *Nido di tradimenti de via ferua di letti, et di viuande. Babilonia falsa e ria putta sfacciata. Gli idoli suoi saranno in terra sparsi.*
7 In vita Petrach.
8 Ex epistolis Francisc. Petrarch. vid. orthuin. Gratium f. 94 & 95.
9 Confessio fratrum valdensium in orthuino gratio.
10 De reformatione ecclesiæ.

de *Aliaco* Cameracensis cardinalis non tantum populum, sed pontifices Romanos & vniuersum clerum reformandum esse docet. multos ille notauit detestabiles, vt ipsi videbantur, abusus: maximè autem insignes ne nouerat quidem. temporibus concilii *Basileensis* Episcopi *nihil aliud erant quam vmbra*, vt inquit *Ludouicus* [1] Cardinalis Arelatensis, nihilque aliud habebant episcopi, præter baculum & mitram. propterea in multas flebiles erupit[2] *Aluarus Pelagius* voces, planxitq; sui temporis ecclesię miserandam faciem: ecclesiæ inquam fœdæ, lippæ, squalidæ, incultæ, exustæ, & deformis. *fortes* (inquit ille) *opprimunt iustitiã, & in tantum quorundã doctorũ rabies processit, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant.* quod si hæc in aula põtificia, & quasi arce religionis ecclesię fuerit deformitas; quantum fuisse eius in plebe squalorem putabimus; præsertim verò cum illa doctores suos sequi soleat? dum *Vrbanus sextus Neapoli* esset, adeo in omnem nequitiam erupit vniuersa ciuitas, vt gratia Dei factum dicat *Theodoricus Niemensis*, quòd *non perisset, vt* [3] *Sodoma in aeternum.* magna tunc ecclesiam Rom. inuaserat per omnes partes labes. pastores amasse munera, mutos fuisse, & thesauris exaggerandis studuisse dicit *Gualterus* [4] *Mapesius*, nihil (inquit) sunt *virtutes cunctæ, en iacent quasi defunctæ: nullibi est charitas.* & postea: *in veritate comperi quod sceleri, cleri studet* vniuersitas: *liuor regnat, veritas datur funeri. hæredes Luciferi sunt Prælati. iam elati gloria membra domant alia. capitis insania cæci ducesq; cæcorum, & cæcati terrenorum idololatria. Luge Syon filia, fructus vrit messium, ignis in caudis vulpium, tristes per hypocritas simulata sanctitas. Non est qui bonum faciat istorum, quorum conscientia spelunca est latronum.* [5] Aulicos Rom. *Ganfredus* non illepido perfricat versu; ita tamen, vt nihil vniuersa illa turba intelligamus aut rapacius fuisse, aut sceleratius. Monachos ante 100 annos grauiter exagitauit [6] Stiblinus. *Olim* (inquit) *in Monasterijs virtutum exercitia, honesta disciplina industria vigebat: hodie impura morum lues, vitia, luxus, omnia profanant. Et quæ contubernia quondam eruditione, & virtute claros viros in orbem dabant: hodie præter Penelopes sponsos, nebulones, Alcinoósque neminem educant.* Sed quid ego singulorum hominum genera commemorem; cum vniuersos ferè contagione malorum morum laborasse constet? hanc igitur labem complures deflerunt.

Audite *Breidenbachij* viri illustris propter sui seculi corruptos mores grauissimas quærelas. fuit is olim Decanus ecclesiæ *Moguntinæ*, vixitq; temporibus Imperatoris *Caroli* quarti, & è peregrinatione terræ sanctæ reuersus, cogitans de ecclesiæ insigni labe, illas effudit. *Magistratus* (inquit) *omnes ecclesiæ, & vniuersi optimates dormiunt graui lethargia depressi,*

[1] Aeneas Silu. Comment. de gest. concil. Basil. lib. 1. fol. 12.

[2] Pelag. Aluar. de planctu ecclesiæ in proœmio.

[3] De schism. lib. 2. c. 65.

[4] In rhythmis. floruit ille temporibus Hen. 2. Angl. Reg.

[5] Ganfredus de statu curiæ Rom.

[6] In coropædia.

In suæ peregrinat. historia.

depressi: modo ipsi salui euadant, ceteris pereuntibus nihili pendunt, ac floccifaciunt, & paulò post: *cui monstro huiusmodi Prælati, aut Principes comparandi sint, hinc aduerti potest; nimirum quod rector nauis in medio maris dormiens, & quasi sopitus gubernator amisso clauo inter tempestates iactatur. Quemadmodum* (inquit ille) *custos Ciuitatis carens gladio, canis non valens latrare, speculator absque buccina: sic pastor, & idolum, quicunque perfunctoriè ex magnatibus agens.* Dicit præterea *non subitanea ruina defecisse ecclesiam, sed per incuriam præsidentium, & Prælatorum paulatim virtutibus & exercitijs primis decedentibus, & per hoc sensim vitijs crescentibus tam miserabili concidisse casu. Sordes, litigia, & omnia genera vitiorum, quæ in ecclesia regnabant*, persequitur: Cúmque multa complexus esset, ita concludit: *Recessit lex à sacerdotibus, à principibus iustitia, consilium à senioribus, à populo fides, amor à parentibus, à subditis reuerentia, charitas à Prælatis, religio à Monachis, à iuuenibus honestas, à Clericis disciplina, à Magistris doctrina, studium à scholaribus, à Iudicibus æquitas, à Ciuibus concordia, timor à seruitoribus, à rusticis communitas, veritas a mercatoribus, à nobilibus virtus, castitas à virginibus, à viduis humilitas, dilectio à coniugatis, à pauperibus patientia. O tempora, O mores: tempora turbatissima, tempora calamitosa; mores reprobi, mores perditi, & cleri & populi. Nec Verstéganus*, nec *Michael Agniolus* suis penicillis rectiùs Romanæ ecclesiæ mores exprimere potuit quam fecit iste *Breidenbachius.* [1] *Vrspergensis Innocentij* tertij, & *Bonifacij 8* temporibus, qui fuerunt ecclesiæ Romanæ mores ostendit. *Tunc* (inquit) *cœperunt multiplicari mala in terris. Orta siquidem sunt in hominibus simultates, doli, perfidiæ, traditiones, vt se inuicem tradant in mortem, & interitum. Rapinæ, deprædationes, depopulationes, terrarum vastationes, incendia, seditiones, & bella, & rapinæ, siue in* [2] *stratis, siue in latrocinijs iustificata sunt, vt omnis homo sit iam periurus, & prædictis facinoribus implicatus, vt vix excusari possit, quin sit in his sicut populus, sic & sacerdos.* Et paulò post: *claustrales alienati sunt à vulua sanctæ matris ecclesiæ.* Vnde sequitur illa cantiuncula, *Gaude mater Roma &c. Quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti.* Queritur & [3] *Hildegardis neglectam legem esse spiritualem in populo, magistros & prælatos neglecta* iustitia dormire, sacerdotes non docere legem Dei, sed destruere. Extat eiusdem de fraterculis prophetia, quos appellat gentem insensatam, pomposam, perfidam, & dolosam, præuiditq; eos peccata populi voraturos. Lumina intelligit illa ecclesiæ Franciscanos, Dominicanos, & hos nuper exortos *Iesuitas.* Extant etiam & [4] *Brigittæ* quædam reuelationes,

[1] Abb. Vrsp.

[2] Plateis.

[3] Floruit anno 1170.

[4] Floruit an. 1370.

 lationes,

lationes, quas non (credo) repudiabunt. eam enim inter sanctas retulerũt, *Sacerdotum culpa, dicit illa, doctrinam Christi neglectam iacere*; eósque decem Dei mandata in vnum mutasse, nempe in hoc, *da pecuniam*. Romam vero asserit esse *agrum feracem, sed zizania*. *Deus* (inquit [1] *Vrspergensis*) *ex alto prospiciens non permisit, vt per totam Alemaniam deperiret cultus diuini officij, & ecclesiasticæ dignitatis, licet vbiq; per incentiua vitiorũ, maximeq; luxuriæ deprauata sint.* Si vellem omnia quæ authores de huius ecclesiæ turpitudine scripserunt persequi, dies vos legentes deficeret. Nusquam enim in historijs Romę fit mentio, quin multæ in eisdem appareant eiusdem turpitudinis vestigia. Iam ne Iesuitæ fortasse hæc vetera, & prisca esse causentur, & iniquè nos agere dicant, qui hæc illis objiciamus, quæ iam vix in annalibus reperiuntur, ostendam prisca illa præ sequentibus seculis, & nostra ætate, aurea esse secula, hæc autem satis ostendunt paulatim istos, ad tantam scelerum omnium licentiam delapsos esse. Audiant igitur pontificiæ laudis quandocunque vel minima datur occasio studiosissimum præconem Platinam mores sui seculi deflentem, & prisca illa virtutum exempla desiderantem, *Vtinam* (inquit) *nostris temporibus Ludouice, viueres:* (legibus hic paulo antea disciplinam cleri astrinxerat.) *indiget nunc ecclesia tuis sanctissimis institutis, tuáque censura, adeo in omnem luxum & libidinem sese effudit ecclesiasticus ordo. Coccinatos, & trabeatos nunc conspiceres non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos & iumenta, dum incedunt magno adolescentum, & altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, vt Christus nostri dogmatis author, sed in equis præferocibus &c. De argenteis vasis, & egregia eorum suppellectile, déque cibarijs non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc aspicias, nullius precij dici possint.* Similia quædam in vita *Dionysij* primi refert. *Paulum enim Samosatenum, licet valde superbus esset, a sui temporis hominibus longo dicit interuallo superatum: multósque propter eius superbiam Christianam religionem detestatos. quod multò potius facturos affirmat, si sui temporis mores superbos vidissent. quid* ([2] inquit) *facerent nostra tempestate, qua nil vel superbiæ, vel pompæ, nolo dicere luxuriæ, addi potest: si tot adolescentes anteambulones sericatos, & coccinatos in equis præferocibus, ac phaleratis viderent? siq; subsequentium presbyterorum turbam cernerent, chlamydibus optimi cuiusque coloris hinc inde ab equis deauratis pendentibus? execrarentur eos sat scio: dicerent nil eis cum Christo præter similitudinem quandam religionis commune esse.* Idem etiam pompam dum clerus orans procedit pulchrè depingit. *Itum est* (inquit ille) *a Lateranensi basilica, ad sanctum Petrum cum maxima omnium religione nudis pedibus, & a pontifice & ab omnibus qui tum aderant: nunc vero adeo refrixit pietas,*

[1] Loquitur de temporibus Innocentij 3.

Plat. in Gregor. 4.

[2] In Dionys. 1. Platin.

In Steph. 3.

& reli-

& religio; non diuo nudis pedibus, sed caligati, & cothurnati vix supplicare dignantur; non flent inter eundum, vel dum sacrificatur, vt illi sancti patres; sed rident, & quidem impudenter: de his loquor quos purpura insigniores facit. Non hymnos canunt (id enim seruile videtur) sed iocos & fabulas ad risum concitandum, inter se narrant. Multa denique in sui temporis mores dicit, concluditque Christianam religionem quotidie in peius labi. Sed hic quod de *Ioanna* papa veram narrauit historiam, idcirco his leuis author videtur. Audite igitur quæ summo consensu dicta sunt in synodo *Tridentina*: quibus (inquit * quidam grauis apud illos author) turpitudinum *monstris, qua sordium colluuie, qua peste, non sunt corrupti, non fœdati in ecclesia sancta Dei, & populus, & sacerdos? A sanctuario Dei incipite patres, si vllus iam pudor, si vlla pudicitia.* Et Paulo post: *Dicunt in corde impio, & ore impuro, non est Deus.* Eam ipsi illius temporis esse morum turpitudinem fatentur, *vt complures à Deo ad Epicurum defecisse videantur.* Vnde [1] Hermannus Riddus, *propter multitudinem luxuria alia vitia quasi peccata non haberi dicit.* Cheregatus pontificis ad Germanos legatus, *Omnia ecclesia mala à culmine pontificio profecta fatebatur.* Qui plura videre cupit legat Nicolai de [2] Clemangijs de ecclesiæ Rom. impietate, luxu, superbia satis prolixum librum. Inter synodi [3] Constantiensis appendices 450 *meretrices, item Abbates & doctores* 564. *Ioculatores, fistulatores, coqui* 320 *numerantur.* Ad Leonem decimum grauissima extat oratio *Pici Mirandulani*, qua illum hortatur, *vt leges* contra luxum, libidinem, *auaritiam diligentiùs seruet. complures enim priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam*: liberalitatem & parsimoniam, in luxum, & auaritiam conuertisse. Apud pleròsque *religiones primores, aut nullum aut exiguum Dei cultum esse, nullam benè viuendi rationem, atque institutionem, nullum pudorem atque modestiam: Iustitiam in odium vel in gratiam declinasse, pietatem in superstitionē procubuisse: Sacras ædes & templa lenonibus, & catamytis committi, nefarijs lupis optimi pastoris ouilia esse mandata: cateruas & exoletorum greges vbique volitare.* Adeóque hos quandóque pudere horum cœpit, vt Cardinalibus delectis datum sit à [4] Paulo tertio mores corrigendi negotium. Plurimas illi quidem suæ ecclesiæ sordes inuestigarunt, & de ijs ad pontificem retulerunt: Sed nihil præstitit ille. Qui enim potuit, cum esset ipse inter sordidos inquinatissimus? *Tridentini* patres Camarinam placidè quidem mouerunt, sed manent adhuc eædem sordes. Et licet nunc tectius scortari, & luxuriari soleant; tamen qui antea mores obtinuerant, eos nunc isti diligentissimè persequuntur. Queritur [5] Budæus *doctrina virtutisque præmia in quosdam conferri tam stolidos, tam inertes tantáque nequitia, vt illis anima data sit pro sale vt*

* Sess. 2.

[1] De vit. & honest. cleric.

[2] Floruit ante concilium basileense.

[3] Paraleip. Vrsperg.

[4] Onuphrius in eius vita.

[5] Annot. prior. in leg. 2. de legibus.

sibus. Vnde liberiùs in Romanam vrbem inuectus videtur *Baptista Mantuanus:* *Viuere* (inquit) *qui sanctè cupitis discedite Roma. Omnia cum liceat, non licet esse bonum. Sanctus ager scurris venerabilis ara cinaedis Seruit: honoranda diuum Ganymedibus ades.* *Ecclesiam Romanam à priscis moribus declinantem, Christianae religionis authoritatem minuisse dicit* [1] Guicciardinus. Sale etiam eosdem non infacetè perfricat [2] Palingenius.

[1] *Le cose della chiesa allontanatesi totalmente da gli antichi costumi faceuano ogni di minore lauttorità della Christiana religione.* Guicciard. lib. 2.

[2] Paling. lib. 6.

Vt meritò (inquit ille) *possit mundus spelunca latronum*
Dicier, en Reges sub honesto nomine, necnon
Pontifices spoliant populos: en depeculantur
Certatim ciues lanantes viscera matrum.
Quid tot stupra loquar? sunt cuncta libidine plena,
Et passim prostant & clam fodiuntur ephoebi.
[3] *Quis non moechatur? mystae, vafrique cuculli*
Quos castos decet esse palam cum pellicibus, vel
furtim, cum pueris, matronis, virginibusque
nocte, diéque subant.

[3] Lib. 5.

Multa sunt adeo turpia, vt & mens, & manus illa refugiat. sacerdotes, Monachos, fratres *Vt pestem immanē, vt hominū facem, vt fontē stultitiae, sentinamq́, malorum abominatur. Illis non esse pietatem aduersus Deum, nec iustitiae studium dicit: obijcit illis incestas libidines, raptus, foedos puerorum complexus, auaritiam, gulam, concluditque esse porcos ventri tantum, veneríque, & somno vacantes.* Sed in re tam clara quid opus est verbis? Omnes qui Romae, quam isti vrbem vocant sanctam versantur, videre, & palpare possunt crassissimam huius ecclesiae turpitudinem. volitant per plateas meretrices & cinaedi: noctu discurrunt qui eos sectantur, monachi & presbyteri libidinosi. Et sub [4] initium Quadragesimae, quasi nihil aliàs perpetrassent mali, laruati, imò & aperta, & explicata fronte circumcursant, fraenósque ad omnes libidines, & luxum laxant, vt non tam ieiuniorum dies instare, quam lupercalia agi videantur.

[4] Itali carneuale dicunt.

Quibus ista videre non licuit, credant illi viris grauissimis, qui ea narrant: & si plura expetunt, legant *Zoppini* cuiusdam [5] tractatum de Rom. meretricibus. fuit is olim leno, posteà Cardinalis cuiusdam famulus, demùm verò fraterculus; Nihilque non benè compertum narrat. Et si masculae veneris probationes quaerat, perquirat sibi [6] *Grappam* quendam, librum infandum & scelestum. Reperiet quales sint Italicae ecclesiae mores. Hos si habueritis; nihil vobis opus erit Rhythmis Itali-

[5] Italicè.

[6] *Cicalamento del grappa.*

cis,

cis, nec salacibus cantiunculis Neapolitanis, nec *Iohannis Casæ* odis. In quibus tamen mores istorum hominum turpissimi, tanquam in speculo lucent.

Hanc igitur ecclesiam quid est quod vereatur *Verstegamus*, aut *Bellarminus* sanctam dicere, præsertim verò cum concubinatum concedant laxatis legibus; pro adulterijs & stupris tam facilè dispensent, lupanaria publica vbique habeant, vectigaliáque magna inde colligant, vsurariásque societates mercatores per omnes vrbes instituant? Pontificésque Rom. ex vsuris & fœnore familiam lautijs alant? *Clericum concubinarium in officijs non esse vitandum dicit* [1] *Panormitanus*. *A communione cõcubinarios decernunt non esse repellendos* [2] *canones*. constitutionésq; [3] prouinciales licet specie tenus videantur concubinas velle à sacerdotibus remouere; *tamen iuramento, vt illas relinquant non censent cogendos. in Hybernia, & Norwegia, Hispania, etiam Portogallia, & Gasconia, & episcopi & presbyteri publicè olim tenebant cõcubinas: idque ex consuetudine quasi licitum defendebant, teste Theodorico Niemense. Cum* [4] *adulterijs Clericorum episcopis datur à pontifice dispensandi facultas*. Lupanaria & Romæ, & in Hispania & Gallia esse, & rei euidentia docet, & ipsi fatentur. [5] imò defendunt, etsi Cardinales delectos ad inquisitionem criminum publicorum [6] tantæ turpitudinis puduerit. Exigi à meretricibus tributum Romæ, & illæ miseræ flebiliter queruntur, & publica omnium ciuium Rom. scientia testatur. Prætereà scripsit idem *Iohannes Andreas*, & ille qui [7] commentarios edidit in constitutiones nostras prouinciales, & *Cornelius Agrippa*.

[1] In cap. fin. de cohab. cleric. & mul.
[2] Dist. 34. is qui.
[3] C. licet ad prof. de cleric. concubin. remou. constit. Othonis. Tractat. nemor. vnion. 5. c. 35.
[4] C. At si clerici. de iudicijs.
[5] Harding confut. apol. Anglic.
[6] Concil. tom. 3. concil. delec. cardinal.
[7] In c. licet. de concub. cleric. remou. constit. Othon.

Vsuras Canones multi, nec iniuria quidem condemnant. Quibus tamen non obstantibus, *& mercatorum societates vsuras publicè exercent*, quod omnes qui Italorum mores, & Italiam norunt probè, sciunt: & ex vsuris principes & ciuitates vectigalia habent, & redditus non contemnendos. habent etiam & Pontifices Rom. ne ad laicos tantum hoc flagitium pertinere videatur. [8] *Lateranense sub Leone decimo concilium publicè vsuram impiam sub nomine pio, & titulo glorioso probauit*. Nam pecuniarum summas, quas fœnori pauperculis sub pignore locant [9] *Montes pietatis* vocant: Cum reuera thesauri scelerum sint montes illi: vt optimè norunt qui in Italia versati sunt.

[8] Sess. 10. concil. Lateranens.
[9] Monti di pietà.

Iulius 3 cum magnam pecuniæ vim ex vectigalibus collegisset, eam [10] *centesimis*, id est maximis vsuris, quas leges [11] ciuiles Romanorũ damnarunt, fœnori locauit. *Paulus* 4 *quatuor mensas argentarias, seu vsurarias quas montes isti dicunt pietatis, instituit*. Multò autem deterius fecit *Pius* 4. *Is enim sanctæ Sabbæ fundis distractis, pecuniam quam ex direptione & præda*

[10] Hoc est 12. pro centum aureis annuos.
[11] l. eos qui. Cod. de vsuris, 15. Onuphrius in eorum vitis.

& prada ecclesia corraserat, fœnori exposuit. Sed quid ego in re sermone omnium tritissima immorer? Hoc certè constat, ecclesiæ Romanæ mores esse corruptissimos: neque tantum reliqua ecclesiæ membra, illam luem depastam esse, sed etiam summos Pontifices. Nolite igitur mirari si illa valde laboret, cum tanta insania, & phrenesis caput ecclesiæ occuparit? Præsertim verò, cum reliquorum morbi præ Pontificum Rom. desperata insania leues, & tolerabiles videri possint. Omnes enim vel impijssimos Ethnicorum tyrannos omni impietate, & morum spurcitie Romani pontifices longè superarunt. Nam si Episcopos Rom. ad Constantinum vsque, & ex sequentibus ad *Gregorium* magnum nonnullos exceperis; reliqui exiguum religionis sensum habuere. plerique bellorum, seditionum, & rebellionum erant faces: Pauci fidei vllam habuerunt rationem. Auaritia, & libidines multorum erant singulares: Iidem superbi, falsarij, crudeles & sanguinarij, monstráque potius quàm homines.

Hæretici fuere *Zepherinus, Fœlix, Honorius, Anastasius, Vigilius,* & ex postremis plerique omnes: Apostatæ, *Marcellinus, Liberius*: de quibus postea dicemus. Complures necromantici erant: de *Syluestro* secundo, narrat [1] Platina, cum diabolum secutum cui se totum tradiderat, ad summum Pontificatum diabolicis artibus peruenisse. Eidem suffragatur & *Martinus Polonus, Galfridus, & Iohannes Stella.* Negat quidem Onuphrius, Sed quid ille cum antiquæ fidei historicis homo leuis, & conducticius rabula certet? Easdemque artes exercuisse constat [2] *Syluestrum* tertium patre *Laurentio* mago sceleratissimo natum: Cui qui successit *Gregorius Sextus*, in eisdem artibus etiam eidem successisse dicitur. *Benedictum* nonum, specie horrenda cuidam apparuisse testatur Platina. [3] *Benedictum nonum, Syluestrum tertium & Gregorium sextum, tanquam tria teterrima monstra, coactos ab Imperatore scribit Platina, vt se magistratu abdicarent.* Iohannem duodecimum quem Platina decimum tertium numerat hominem moribus turpissimis, *diabolum in alea inuocare* solitum narat *Luitprandus*; eidemque vinum libasse author est [4] fasciculus temporum. *Eundem nec Deum nec homines præ oculis habuisse dicit* [5] Theodoricus *à Niem.* Gregorius *septimus vt manifestus* [6] *Necromanticus, & Pythonicus à synodo quadam* Brixiæ Noricæ *coacta condemnatus est:* Eum Iohannes portuensis quod *responsum ab hostia consecrata petierat, & eam nihil respondentem in ignem coniecerat*, accusauit: acta concilij operæ pretium est audire. *Hildebrandus* (inquit ille) *sacramentum Corporis Domini, responsa diuina quærens contra Imperatorem fertur igni iniecisse.* Et Paulò post, familiarem sibi librum necromanticæ artis semper solebat

1. In Syluestr. a. & fascicul. temporum.
2. Benno Cardinalis.
3. In eius vita.
4. Fascicul. tempor.
5. Lib. 3. c. 9.
6. Abb. Vrsper. Anno 1080. Benno. cardin.

lebat secum ferre. Ideò dicit [7] *Vrspergensis eum tanquam diabolicum, ac somniorum cultorem ac manifestum necromanticum, & pythonico spiritu laborantem, à synodo depositum, & expulsum.* Fuit Alexander sextus moribus [8] *(ipsi-cissimis)*, [illegible] illud omnium deterrimum, quod de eo refert *Franciscus Guicciardinus, nullum sibi fuisse vnquam religionis sensum.* Arma tractabat *Iulius secundus*, religionis cura nulla affectus est. *Arma magis decuisse quam sacrosanctum Pontificem decerent fatetur Onuphrius*. Hic synodum in Lateranensi basilica indixit [9] bellásque seruauit ibidem cæremonias, sed mens ei à concilio alienissima fuit.

Nec si vlla illis religionis cura vel minima fuisset, aut ambitu & fœda pactione sedem occupassent, aut tanta perfidia administrassent. De perfidia alius erit dicendi locus: hic de simoniaco quorundam ingressu pauca dicemus. [5] Vigilius gratia *Theodoræ* imperatoris coniugis sedem occupauit. Multæ etiam ante istum & ambitiosæ petitiones, & sanguinolentæ contentiones fuere, vt inter *Damasum & Vrsicinum, Laurentium & Symmachum*, multósque alios. *Iohannes* vndecimus opibus [a] Marotiæ meretricis famosissimæ Pontifex constitutus est. *Syluerius* autem *factus est Papa per vim*, vt inquit [3] fasciculi temporum author. Rex enim *Gothorum Theodatus* corruptus pecunia, minas clero, & populo intulit, nisi in eius electione conuenirent. *Leo* qui *Iohannem* sextum præcessit non *ponitur in catalogo pontificum propter malum introitum*, vt inquit fasciculus temporum: *nam factus est per vim. Constantinus* 2 per tyrannidem pontificatum inuasit, & magno scandalo fuit. *Iohannes* 12 à patre intrusus est. *Benedictus* 5 à [4] Romanis per vim in sede collocatur expulso *Leone. Iohannes* 17, *Benedictus* 9, *Syluester* 3, & *Gregorius* 6, omnes aut vi, aut largitione teste [5] *Platina* in sedem ingressi sunt. *Eo* ([5] inquit) *tum pontificatus deuenerat, vt qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis obtineret; quem morem vtinam aliquando non retinuissent nostra tempora.* [6] *Iohannes* 18 per factionem corrupto *Crescentio* consule scandit pontificatus fastigium argenteis gradibus. *De Damaso* 2 sic scribit fasciculi temporum author: *hic fuit inuasor ecclesiæ.* Manifeste etiam tenetur eiusdem criminis reus *Gregorius* 7. nam hoc nomine in synodo *Brixiana* damnatum testantur *Vrspergensis*, & *Benno*. Eadem fuit in ingressu pontificatus, & cæterorum ratio, nisi quod *Bonifacius* 8 non pecunia, sed fraude ingressus sit. *Et enim vt vulpes intrauit.* Aperte enim [7] Cardinalium suffragia *Alexander* 6. *Pompeio Columna* cum *Clemente* 7 de papatu largitione, & pretiosis contendente tandem res transacta est, [illegible] splendidissimis *Raphaelis Riarij Cardinalis* [illegible]. Sed quid ego de paucis dicam, quod omnes de omnibus

7 Anno 1080.

8 Di costumi oscenissimi [illegible] sinceri-tà, non vergogna, non verità, non fede, non religione. Guicciard. lib. 1.

9 Ceremonie belle, pensieri diuersi. Guicciard. lib. 10.

5 Fasciculus temporum.

a Luitprand.

3 In Syluerio.

4 Fascic. temporum.

5 In vita Syluestr. 3.

6 Platin. in Ioh. 18.

7 [illegible] Guicciard. lib. 1.

verè

verè affirmari posse norunt?

Exigua certè his videtur religionis fuisse cura, qui tanto pretio, & periculo pontificatum mercati sunt. *Leo 10.*[1] voluptatibus effusè deditus fuit. Is cum animam jam ageret, nihil cogitauit aliud, nisi de *Parmæ* & *Placentiæ* recuperatione. De pontificum autem in religione ignorantia, quid alia postulemus argumenta, quàm quòd in synodo[2] *Lateranensi* canon editus sit, *animam intellectualem esse immortalem, & hæreticos esse qui contra sentiunt?* nam nisi plerique omnes, aut ista crederent, aut saltem, vita profiterentur; nihil opus esset tanta in hoc decernendo diligentia. *Paulus 2 eos qui nomen*[3] *Academiæ vel seriò, vel ioco nominarent*: Alius pontifex illos *qui antipodas esse dicerent hæreticos esse decreuit*. Adeò quid religio esset, belli isti pontifices ignorarunt.

1 Onuphrius in Clemente 7.

2 Sub Leone 10. sess. 8.

3 Platin. in Paulo. 2.

Omnia per hos 700 annos bella per orbem Christianum excitata hos fere semper authores habent. Quòd tot regna euersa, tot ciuitates vastatæ, & populatæ, quòd tot nobiles & regiæ familiæ extinctæ sint; hoc omne Christianus orbis Rom. pontificibus acceptum ferre potest. Adeò pontifices isti posteriores à primis degenerarunt, vt non plus illi Euangelio propagando doctrinæ, quàm isti tyrannidi suæ stabiliendæ armis studuerint.[4] *Gregorius 2* factione & seditione *exarchum Rauennæ, hoc est Imperatoris Constantinopolitani legatum oppressit*: quo facto vires Imperatoris in Italia fractæ sunt. *Gregorius 3.* & *Leo* etiam *3 Italiam* ad defectionem impulit. *Zacharias Pipini* aduersus *Childericum* Regem suum rebellionem probans, eidemque regnum *Galliæ* concilians illorum motuum causa fuit, in quibus stirps Regia funditus extincta est. *Adriano primo* authore arma gallorum aduersus *Longobardos* mota sunt: Cuius belli finis erat *Longobardici* Regni euersio. *Berengarios* Italiæ Reges Pontifices armis *Germanorum* fregerunt. Inde bella inter *Germanos*, & *Gallos*, pontificibus illos committentibus, orta sunt. Bellum autem aduersus *Henricum 4.* & *5.* item aduersus *Fridericum 1.* & *2.* & *Ludouicum Bauarum* ipsi gessere, aut saltem gerendo præfuère Rom. Pontifices, eorumque satellites. De Regno *Neapolitano*, quæ maximæ ortæ sunt contentiones, primò inter *Normannos*, & *Græcos*; deinde inter Imperatores, & *Normannorum* hæredes; etiam inter *Gallos*, & *Aragonenses*; & demum inter *Gallos*, & *Hispanos*, hunc vnum fontem habuerunt. Istis classicum canentibus, & *Galli* cum *Germanis*, & cum *Gallis Angli* infestis signis sæpe concurrerunt. Hi principes in subditos, & hos vicissim in principes inflammarunt.

4 Platina.

Plat. in Adrian.

Omnia illa bella quæ *Barbaræ* nationes post occasum Imperij Orientalis in *Italia* gesserunt, à Pontificibus Rom. vt plurimũ originem habuisse testatur[5] *Machiauellus*. Illos enim barbaros in auxilium vocasse, & etiam

5 Tutte le guerre che dopo questi tempi fecero, in maggior parte da i pontefici, furo fatte ... [illegible]

vocare solitos ætate sua. Quod de suis temporibus, suæq; Italia loquitur *Machiauellus*: illud nos in nostris singuli regionibus experti sumus. 1 *Venetos* excommunicarunt *Innocentius & Alexander* 6 quod non arma ponerent, quæ ipsis authoribus susceperant. Orbem Christianum in Venetos concitauit *Iulius* 2. his debellatis, coniunctis viribus *Hispani, Veneti*, & pontificis copiæ Gallos adorti sunt.

1 Hauendo contrattato, vergognosamente proceduto loro contro con censure. Guicciard. lib. 1.

Sed ista quia bello gesta sunt aliquam quodammodo excusationem habere possunt. Illa verò quæ in *Gallia* nuper, & in Belgio contra inermes designarunt, nefanda sunt, & iniqua. Nunquam enim magis impar fuit concertatio. Isti enim cædendo, & iugulando; miseri fideles, multas iniurias patiendo, vtriq; multos annos depugnarunt. Huiusmodi stragem consilio 2 *Nicolai* tertij & *Siculi* in Gallos edidere. Signo enim dato quoscunque per insulam reperiebant, inermes, & securos trucidarunt. Multos etiam mortales in *Gallia*, & *Allobrogibus Innocentius* 3 trucidandos curauit. *Paulus 3* (fatale est enim hoc tertij nomen) *Hispanos*, & *Italos* in *Germanos* emisit, bellúmq; conflauit Germanicum. Quæque in *Anglia* olim contra *Iohannem* Regem, & subditi, & exteri moliebantur, ea omnia pontificū consilio, & suscepta, & perfecta sunt. Omnésq; quæ nunc Europā vexant turbæ, ex ab vno fonte pontificiæ malitiæ profectæ sunt, per istos iampridem & Belgium & Gallia arsit; maioréq; ni Deus auertat, tempestas aut iam adesse, aut saltē impendere videtur: vt non tam pontifices, quam carnifices huiusmodi homines dici mereantur. Ista nunc cursim attigisse satis erit. fusius enim ea tractaturi sumus, vbi de pontificum rebellione erga principes, & crudelitate erga omnes dicendum erit. Eorundem etiam perfidiam suo in loco persequemur. Nunc autem pontificias illas artes, quibus exhaustis *Europæ* opibus seipsos illi locupletarunt, si modo illud assequi possimus, omnes, aut saltem plurimas dicamus: inexplebilémque eorum auaritiam ante oculos omnium constituamus.

2 Seguisse tempo si mando ad effetto la pratica mossa da papa Nicolao mediante laquale i Siciliani amazzarono tutti i francesi. Mach. hist. forent. lib. 1.

Magna iamdudum de Romanorum pontificum inexhausta auaritia totius orbis querela increbuit. Sancta & profana ea violauit; & quoscúnque attigit, magno, & solido mulctauit incommodo. Reliqua imperia, aut iure, aut armis constituta sunt; pontificia autem potestas ex omnium generum rapinis conflata & aucta, fraudulentia & perfidia stat. Quibus igitur artibus ea constituta est, iisdem etiam conseruetur necesse est; faciunt itaque pro se sedulò, & vndique pecuniam corradunt: hic iustitia, ibi peccata venum proponuntur. Et etiam vbi pœnæ purgatorij æstimatæ relaxantur. Quæstus autem vberrimus est in beneficiorum nundinationibus, & extraordinarijs tributis, & decimarum indictionibus. Nulla præterea est lex cuius illi violationem non

Haueua vendute cose sacre, e profane. Guicciard. de Alessandr. 6. lib. 6.

faciant

faciant sibi quæstuosam. Adeóque hoc medullitus istis insedit vitij genus, vt *Benedictus nonus*[1] insulam pontificiam, [2]*Bonifacius* 7 reliquias & ornamenta templorum furto ablata vendiderit. Solent quidem Cardinales suffragia sua vt plurimum vendere. Nihil enim suum sponte, aut temere amittunt. Sed qui pontificatum pro argento præsentario dimiserit, Pontifex hic, quod sciam, solus inuentus est. *Paulus secundus* iniurias sibi factas pecunia æstimasse dicitur. Nam quotquot ex coniuratis argentum pendere potuere, eos ipse dimisit. Magnum deniq; ex priuilegijs concessis quæstum faciunt, atq; hæc ego generatim explicaui. nam singula aucupij argentarij nomina quis enumerarit?

1 Plat. in eius vita.
2 Platin. & fascicul. temporum.

Omnes lucrandi vias, & attentant,[3] *ex beneficiorum minorum institutionibus, ex electionibus, collationibus, reseruationibus tam generalibus quam specialibus praeuentionibus prouisionibus, expectatiuis, resignationibus in fauorem, ex rescriptis dignum arbitramur, in forma communi, de parua data, de signatura gratiæ, & in forma pauperum pro graduatis, ex deuolutionibus, vnionibus beneficiorum, & vnionum reuocationibus, ex commendis, translationibus episcoporum, & monachorum, pro erectione ecclesiæ in cathedralem, secularem, vel alium statum; pro exemptionibus non visitandi, & ex canonizationibus sanctorum* (nullos enim in Calendarium referunt nunc pauperes) item *ex rescriptis etiam, & perinde valere & subrogationibus*; etiam *ex rescriptis rationi cõgruit, & dispensationibus de non promouendo, de nõ residendo, ex dispensationibus cum regularibus, cum corpore vitiatis, super defectu ætatis, & natalium*, item ex permutationibus beneficiorum, regressibus, tolerantijs concubinarum, *dispensationibus pro simonia, adulterio, cæde, & omnibus criminibus, ex omnibus denique rescriptis & breuibus, vt vocant Apostolicis nummos*, illi cudunt aureos, chartámq; & plumbum carissimè vendunt.

3 Lud. Gomez. practic. cancel & ræbuff. de benefic.

[4]*Si quis peierauit absoluitur pro grossis 6. Si quis virginem vitiauit, pro grossis item 6.* Pro *monacho portante sotulares rostratos, & tunicas nodatas grossis septem absolutio æstimabitur.* Pro *presbytero qui coniunctos in gradu prohibito matrimonio copulauit*, grossi 7. Pro *laico qui rem sacram de loco sacro cepit*, grossi 7. Pro laico qui Abbatem, aut alium presbyterum minorem episcopo, monachumue vel clericũ interfecit, grossi 8, vel 9 soluentur. Absolutio pro eo qui interfecit patrem, matrem, aut fratrem, grossis 7 æstimabitur, Sed animaduertendum est, hanc summam pœnitentiario, aut scriptori deberi, post concessam à summo pontifice gratiã: sed vt concedatur gratia non grossi, sed solidorum aureorum, centena millia pendenda sunt: maximè verò vt de pœnitentia iniuncta fiat relaxatio. *Henrico* enim 2 propter cædem *Thomæ Becketi*, non 9 grossi sed maxima multa imposita est, & militia transmarina maximo sumptu facienda imperata, *Edgaro* magno constitit

4 Ex taxa cancellariæ Apostolicæ Lutetiæ excusæ, an. 1520 cum priuilegio parliamenti Parisiensis.

constitit quod sanctimonialem vitiasset: omninoq; ridiculum esset, si pro tam exigua pensione tantorum peccatorum concederentur remissiones. Imperator *Fridericus* à *Gregorio 9* excommunicatus centum millibus auri vncijs absolutionem emit, vt testis est *Onuphrius*, & *Franciscus* item *Guicciardinus*.

Præter peccata, beneficia, & episcopatus publicè vendunt. *Alexander 6* Cardinales multos pretio [1] creauit, omniaq; officia venalia habuit: vendidit & Iubilæi indulgentias, & beneficia. vendere iure potuit, nam profusissima largitione corrupto *Ascanio Sforza* prius papatum ipse emerat: adeóq; ea res honesta visa est, vt in duabus Cardinalium lectionibus *Leo 10.* paucissimos nisi pro pretio crearit. [3] *Clemens 7* hasta *proposita in foro tres Cardinalitios galeros venales fecit* plurimum offerentibus, pro auro bono, & præsentario. Non mirum est itaque, minora vendere illos beneficia, qui maximas dignitates vendunt.

[1] *Alessandro 6 creo 12 Cardinali non de piu benemeriti, ma de quegli che gli offersono prezzo maggiore.* Guic. hist. lib. 5. *concede il Iubileo per denari. ibidem.*

[3] Onuphrius.

Hunc quæstum Canonistę defendunt. Pontificem enim in his quę sunt simoniaca de iure positiuo non teneri putarit, eúmq; reditum necessarium esse putat *Felinus*. [1] Cessante *tali reditu* viz. simoniæ (inquit ille) *qui maximus est, attenta hodierna tyrannide sedes Apostolica contemneretur*. Hic tamen mos adeò nonnullis fœdus visus est, vt eum liberius notarit *Mantuanus*. *Venalia nobis* (inquit ille) *templa, sacerdotes, altaria sacra, corona, Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deúsq;*. *Constauit* (inquit *Onuphrius* de *Clemente 7*.) *omnia sacrorum templorum ornamenta, vt inde pecunia cuderetur militibus diuidenda*. Vrbanus 6 *calices, & cruces, imo ecclesiæ* fundos distraxit, vt inquit [4] *Theod. à Niem*. *Bonifacium* idem voraginem [5] appellat insatiabilem. hanc olim detestans auaritiam scripsit *Thomas Beckettus* noster [6] sanctus canonizatus, *Romam factam esse meretricem, & prostitutam esse pro mercede*.

[1] In c. ex parte nu. 1 de officio iudicis deleg.

[4] Lib. 1. de schis. c. 11.

[5] Lib. 1. c. 68.

[6] Ad Archiepiscopum Moguntin. epist.

Alexander 6 duos alios habuit quæstus modos insignitè nefarios, & impios. nam in morientium inuasit bona hæres non nominatus, quósq; ipse veneficio sustulerat eorum bona diripuit. *Opulentissimum* ([7] inquit *Onuphrius*) *quémq; in aula sacerdotem, & in his aliquot Cardinales ceteris ditiores veneno tollendos constituit, vt eorum opibus in fiscum redactis potitus profusissimè largiretur*. Præterea ex *Maranis*, & *Iudæis* magnum tributũ collegit. Quem modum quæstus posteriores etiam retinent pontifices. *Iudæos* enim Christi professos hostes Romæ alunt, eósque priuilegijs augent. desinite igitur mirari, cur christianos ferre non possint pontifices, cum fœdera cum Christi hostibus ferire soleant.

[7] In Alexand. 6.

Ex meretricibus, & vsuris, quanta vectigalia habeant; iam antea diximus: vetus est enim quæstus genus; hoc postremum à Iudæis didicerunt:

Illud prius à *Carpocratianis* habent: hoc tamen sunt illis turpiores, quòd vt in rebus sua opinione licitis nullum exegerint illi pro turpitudine ista pretium; isti ex oblationibus meretricijs in sanctuarium Rom. illatis ditescant. Prætcrea tanta arte Canones pontificij plerique conditi sunt, vt instar hamorum quicquid adhæserit statim capiant. Sanctiones pontificiæ (inquit [1] *Budæus) non motibus regendis vsui sunt, sed propemodum dixerim, argentariæ faciendæ authoritatem videntur accommodare.*

[1] Annotat. in pandect.

Innocentius 8 Ferdinandum Neapolitanum ob non solutum vectigal [2] anathemate notauit. Eodémque nomine *Bonifacius 8 Philippum* pulchrum excommunicauit; regnóque sententia sua deiecit. Prohibuerat enim ille pontificias harpyas pecunias in regno suo rapere. fingunt quidem pontificij *Philippum* ob adulterium excommunicatum, sed & in re & in homine aberrant. historiæ enim nullas alias causas commemorant, quam pontificis auaritiam, & animum insatiabilem. Nec alia de causa simultates inter *Iohannem Angliæ* Regem, & pontifices ortæ sunt, quam quod pontificijs rapinis is authoritate sua obstitisset. Quos igitur arte non possunt, eos anathematis armis spoliare moliuntur: Adeo vt superioribus fere ætatibus principes, pontificibus Romanis istorum armorum metu nihil non concederent. [3] *Armis, & censuris isti opes maximas exaggerarunt.*

[2] Onuphrius.

[3] Machiau. hist. florent. lib. 1.

Iohannes 22 ille qui de animarum post mortem statu malè sensit, moriens tamen in [4] ærario reliquit ducenties quinquagies aureorum; vt vulgò dicimus, viginti quinq; aureorum ducatorum miliones. vnde illud *Codri Vrcei:* [5] *pontifex maximus est, si non virtute, tamen pecunia:* fortasse cogitauerat ille se non moriturum: aut ita de hac vita erat sollicitus, vt futuram neglexerit. *Bonifacius 9* propter auaritiam omnes propè reliquos superauit pontifices. Is centum [6] millia florenorum, ex indulgentiis, ex vnius regni prouincia exiguo temporis spatio contraxit: eò sanè facilius, quod vt improbus mercator vnum sacerdotium pluribus vendidit, & promisit; & nulli fortasse nisi coactus præstitit. Tantæ erant Innocentij per Germaniam expilationes, vt maximas ille opes collegerit. *vix* [7] *remansit*, inquit *Vrspergensis*, *aliquis episcopatus siue dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua.* vnde hoc illi accinit [illegible]: *gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt confluant riui, & aggeres nummorum in magna copia: lætare super iniquitates filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi pretium. Iocundare super adiutrice discordia,*

[4] Francisc. petrarcha.

[5] Codr. Vrc. serm. 1.

[6] Theodoric. a Niem. lib. 1. c. 68. & lib. 2. c. 8.

[7] Vrspergens. in Philip. Imperator.

cordia, quia erupit è puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti: decanta canticum, quia per malitiam tuam, non per religionem orbem vicisti. Blondus Romæ veteri quam propter summas diuitias & opulentiam Athenæus non dubitat epitomen [1] orbis vocare, Romam nouam, aut [2] superiorem, aut parem facit.

[1] ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης.
[2] Romæ restauratę lib. 3.

Hanc pontificum Rom. insatiabilem pecuniarum sitim plurimi testati sunt, nonnulli liberius reprehenderunt. Camera Apostolica (inquit Theodoricus à Niem) assimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non exundat. sic enim in istam portantur auri pondo millia, attamen non impletur. In qua est generatio quæ pro dentibus gladios commutat, vt comedant inopes de terra, & pauperes ex hominibus: In qua sunt multa sanguisugę dicentes, Affer, affer. Cuius quidem cameræ officiales gentes cameræ nuncupantur: bene quidem. Gentes enim sunt barbaræ nationes, habentes ritus extraneos à moribus hominum. O iustissimæ gentes rectè cum infernalibus furijs seu harpyis, & Tantalo sortem sitibundi posituri, qui nunquam satiantur. Iohannes monachus non ille quidem elegantibus versibus, sed certè qui huic barbaræ & immani auaritiæ rectè respondent, papalis curiæ mores depingit. [3] Roma (inquit) manus rodit quas rodere non valet odit. Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit: Curia curarum genitrix nutrixque malorum ignotos notis, inhonestos æquat honestis. Idem dixit Romam à prædonibus fundatam adhuc de primordiis retinere. Vnde & in margine ascribitur, Romam esse [4] caput auaritiæ, & ideo omnia ibi vendi. Hoc etiam testatus est [5] Abbas Cluniacensis, omnia enim dicit Romæ esse cum pretio; cui & suffragatur Mathias [6] Parisiensis. In Romana enim curia omnia posse pecuniam expertus erat.

Nemor. vnion. tractat. 6. c. 37.
[3] C. fundamenta de elect. in sext. in gloss.
[4] In margine gloss. ibid. & gloss. in l. libertas de reg. iuris.
[5] In satyr.
[6] Anno 1247.

Regnum Galliæ senatus Parisiensis in quibusdam ad Ludouicum vndecimum postulatis à pontificibus Romanis exhaustum queritur. Quotannis enim ad pontifices vltra 946 millia aureorum efferri docet. Exactiones per aulæ Rom. quæstores factas prohibuit Philippus [7] Imperator, & Ludouicus (sanctus qui dicitur) Gallorum rex. Exactiones (inquit [8] Ludouicus) per Rom. curiam impositas, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum est, seu etiam post hac imponendas leuari, & colligi nullatenus volumus. Nec nos qui penitus toto diuisam orbe incolimus Britanniam, pontificis Romanæ effugere potuimus rapaces manus. Monasteria per Angliam expilauit, sacerdotum exhausit loculos ([9] inquit Matth. Parisiensis.) Eundem spirituali [10] hydrope laborasse, & bona decedentium episcoporum, & inferiorum sacerdotum inuasisse dicit,

[7] Abbas Vrsp.
[8] Constit. Gallic. Tit. de Tailles.
[9] Anno 1215.
[10] Anno 1248.

Benefi-

Beneficiorum ecclesiasticorum, vbi aberant possessores, pontifex Rom. dimidiam partē; vbi aderant tertiam sibi dicitur [1] vendicasse. idem [2] marcarum auri vndecim millia vno anno exegit. episcopum *Vintoniensem* in 365 marcis singulis annis mensæ papali applicandis, & soluendis condemnauit. [3] *Alexander* 4 950 marcarum millia vna pensione corrasisse dicitur, quod (vt inquit *Mathias Parisiensis*) est horribile cogitatu. *Prædus papales vectigalia huius regni fere æquasse* testatur [4] *Bonnerus*. Henricum tertium Angliæ regem, reprehendit *grauiter Imperator Rom. quod permitteret* [5] *regnum suum tam impudenter expilari.* [6] *Iohannes Sarisburiensis*, apertè Rom. Pontificem accusat, *quod esset omnibus intollerabilis; quod lætaretur ecclesiarum spolijs, quæstumque omnem reputaret pietatem, prouinciarúmque diriperet spolia,* ac si Crœsi thesauros studeret reparare. *Pontificios* [7] *legatos pro pecunia furentes* Tisiphone, *vel* Megeræ *ab inferis missæ comparat.* Adeóque tandem ista Rom. aulæ impudens auaritia omnibus exosa esse cœpit, vt cum *Leo 10* emissarios suos in Germaniam ad indulgentiarum suarum fœdas merces distrahendas, pecuniásque colligendas legasset, rei indignitas excitarit *Lutherum* & alios ad veritatis diligentem inquisitionem. Audierant fortasse illi Germaniæ [8] indulgentias Leonis sorori Magdalenæ meretrici, & prostibulo famoso concessas. Quæ turpitudo quem non planè socordem, & somnolentum, ad excogitanda remedia non excitaret? opposuit se etiam & Academia Parisiensis Leonis decimi infinitæ cupiditati, & cum nihilominus pergeret ille ecclesias & plebem expilare, ad concilium prolixa facta Rom. aulæ virtutum narratione appellauit. Quid opus est verbis, præsertim verò vbi facta videmus? nulla vnquam charybdis hac pontificum auaritia magis inexplebilis, nulla tempestas rapacior, nulla pestis magis perniciosa, aut odiosa. luxu tamen & libidine sua illi auaritiam superarunt.

Idcirco enim maximas collegerunt opes, vt eas in luxu & libidine profunderent, pontificum Rom. vestitus est splendidus, victus dapsilis, ædes magnificæ, comitatus plane Regius, luxúsque, vt vno verbo multa complectar, planè *Sybariticus*, & Persicus. Caput tyara ornatum, & vt triplo se reliquorū regum luxum superare ostendant, corona triplici gemmis mirū in modum ornata redimitū. vestis est laxa, & talaris, purpurea, serica, pretiosissima: mensę omnibus delicijs instructissimæ: adest ganymedes qui illis à poculis ministrat: astant musici, & risui concitando cōparati parasiti: Palatia illis excelsa, & laqueata auro fulgent, marmore sternuntur, turribus sunt munitissima, hortis iucundissima: deducunt eos reges, & principes, & magna satellitum caterua. Neq; nunc primum hic profusus luxus cœpit, sed valde antiquus est. Nam temporibus *Damasi* testatur *Marcellinus*

[1] Anno 1247.
[2] Eodem.
[3] Anno 1247.
[4] In præfat. in lib. Steph. Gard. de ver. obedient.
[5] Anno 1240.
[6] Lib. 6. c. 24.
[7] Lib. 5. c. 16.
[8] *Leon x. donò a Maddalena sua sorella lo emolumento et l'esattione delle indulgentie di molte parti di Germania.* Guicciard. l. 13.
Lib. 27.

cellinus, episcopos Romanos ex oblationibus matronarum opulentos iam tum processisse vehiculis insidentes, circumspectè vestitos, epulas autem curasse profusas, adeo vt eorum conuiuia regales superarent mensas. Posteà verò cum reditus pontificum regias opes superarent, quid ni & luxu, & cultu etiam reges superarent? Cardinales purpurati, & aurati procedunt, qui olim vel in regibus vix ferendus erat cultus. Non est igitur mirandum, si qui illis tantum præstant pontifices multò lautius vestiantur, & viuant. A [1] *Constantino* enim ferunt pontifici tributa regni insignia: diadema nempe, *Phrygium*, chlamidem purpuream, tunicam coccineam, sceptrum, & omnia imperatoria ornamenta. Qualis fuerit *Bernardi* temporibus eorum ornatus, ex ipso constat. Nam hunc luxum reprehendit. *Petrus* (inquit) *nescitur* [2] *processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis.* Imò idem in inferioribus episcopis notat *meretricium nitorem, histrionicum habitum, apparatum regium, aurum in frænis & sellis: Splendidas idem mensas, & cibos, &* [3] *scyphos reprehendit*, Pontificij autem hanc pontificis pompam & agnoscunt, & vt debitam defendunt. [4] *Imperatorem papæ equum inscendenti stapham tenere, Reges & principes eius equum ducere debere dicunt*: In mensa eosdem papæ ministros faciunt, Coronatio Pontificum celebratur maxima cum pompa, præsentibus ibidem principibus & nobilibus multis. In coronatione [5] *Clementis* 5 *Lugduni* aderat rex *Galliæ*, & eius frater, & dux *Britanniæ*, tantáque multitudo, vt vrbs eam capere vix posset. Ex tyara amisit ille Carbunculum pretij aureorum sex milium. *Leo* 10 [6] centum aureorum millia in coronatione sua effudit, *Paulus* 2 [7] in mitram multas opes contulit, coemptis vndique *magnis pretijs adamantibus, Saphyris, Smaragdis, Chrysolithis, Iaspidibus, vnionibus.* Conuersus ad otium, ludos & epulas lautissimas populo dedit: Is etiam fucis sibi faciem (vt inquit *Platina*) concinnare solebat. Fœlicis qui *Basileæ* in locum *Eugenij* exauthorati electus est in pontificem, corona 30 aureorum millibus æstimabatur. [8] Xystus 4 quantum temporis à bellis sibi superfuit in conuiuijs & ludis consumpsit. Nec miror ipsos pontifices tantum bonarum rerum absumpsisse, cum & Cardinales tanquam gurgites tantum deuorarint. *Petrum Riarium Xysti* 4 nepotem, 300 aureorum millia edendo, & bibendo & reliqua Cardinalitij officij munera peragendo duobus annis abligurriuisse testatur *Onuphrius*, Is voluptatibus confectus anno ætatis 28 mortuus est. Quid ille fecisset, si vita longior illi contigisset? *Innocentius* 8 [9] inutile pondus terræ, vel *Guicciardino* teste, totum *se voluptatibus & otio tradidit.* Nec vllum vnquam in terris *Alexandro sexto* monstrũ immanius fuit. Mores ei impurissimi, vt inquit *Guicciardinus*; incestis libidinibus fuit idem cõtaminatissimus, Eum & spurios

[1] C. Constantinus dist. 96.

[2] Lib. 4. de consid. ad Eugen.

[3] In cantic. ser. 33.

[4] Lib. 1. cærem. pontif. sect. 3. c. 3.

[5] In vita Clementis 5 ante Clementinas.

[6] *Spese nella sua incoronatione 100 m. ducati. Guicciard. lib. 11.*

[7] Platina.

[8] Onuph. in vita Xisti. 4.

[9] *Inutile al publico bene per altro, vtile alla pace, perche si daua a ociosi diletti. Guicciard. lib. 1.*

rios habuisse complures, & omnibus se voluptatibus dedisse non negat *Onuphrius*. De *Astore Manfredo* subinsinuat *Guicciardinus* eum pontificis libidinem [1] satiasse, conciliante & lenocinante *Cæsare Borgia* filio patri simillimo. Non dicam ea quæ *Sannazarius* de incestu filiæ, & reliquis eius libidinibus scripsit. Hæc tantum retuli quæ omnibus sunt notissima. Nec adeo bellis vacauit *Iulius secundus*, quin & comessationibus, & compotationibus, & scortationibus tempus tribueret, diésque bibendo laceraret. libidines arguit notha eius *Fœlix*, [2] ebrietatem notat *Guicciardinus*. Notissimæ autem [3] libidines erant *Leonis decimi*. *Leoni* (inquit *Onuphrius*) *datum, quòd voluptatibus, venationibus, aucupiisque effusè deditus, luxui & splendidissimis conuiuijs totos dies impenderet*. *Iohannem 23* synodus constantiensis de solio deturbauit ob vitæ insignem spurcitiem & sordes. voluptuariam potius quam Christianam vitam agebat. Quid ego de *Paulo tertio* loquar, cuius nomen propter infandas turpitudines semper infame erit? habuit ille sui simillimum filium nothum *Petrum Aloisium* talique patre dignissimum. Sed omnium impuritates longe superauit *Iulius tertius* qui *Iohannem Mariam de Monte in amoribus & delicijs palam habuit*; nisi fortè *Xistus quartus* eum æquarit. Is enim non sibi tantum, sed & alijs publicis [4] diplomatibus masculæ veneris vsum indulsit, & lupanaria vtrique veneri extruxit. In eius sepulchro inscriptum erat: *Hic scelus omne clauditur, & vitium*. *Iulium tertium* fatetur, *nimijs indulsisse voluptatibus* [5] *Onuphrius*: & licet longo post interuallo sequeretur *Paulus secundus*, *Heliogabalum* tamen luxu, & turpitudine teste Platina, æquauit; edendo, tandem & scortando in apoplexiam veneficam incidit. *Pium quartum* sunt qui in meretricum complexibus animam efflasse narrant. Hos imitantur & Cardinales. *Hippolitus Estensis* [6] Cardinalis oculos fratri eruit, quod sibi illum in amore cuiusdam meretricis prælatum videret. *Pompeius Colonnius* propter amores, & luxum maximè infamis erat. Cardinalem papiensem *Guicciardinus*, vtpote hominem *sceleratissimum, &* [7] *turpissimum iure casum fatetur*. Sed quid nos testimonia quæramus rei, quæ palàm & vulgò fiat? Cum igitur tot exempla, & recentia habeamus pontificalis luxus vestigia, quid opus est ad [8] *Iohannem 12, 18, Gregorium septimum & Ioannam* meretricem, & vniuersum illius sedis cœnum recurrere? Quanquam non peccauit illa in sexum suum, illi & contra leges, & naturæ iura peccarunt. *Iohannes 12* omnibus probris, & libidinibus se polluerat; idemque tandem vitæ parem exitum sortitus in adulterio confossus occubuit. *Sergius 3* non tam sedit, quam procubuit in Maroziæ meretricis complexibus, vnde sibi similem genuit filium

incestis

[1] Guicciard. lib. 5. Lucretia Alexandri sexti filia, sponsa, nurus, f

[2] *Iulio secondo cassato d'ebrietà*, Guicciard. lib. 7.

[3] *Dedito a vdire buffoni, & a piaceri*. lib. 14. Guicciard.

[4] Wessel. tractat. de indulgentiis & Agripp. de lenocinio. in lib. de vanit. scient.

[5] In Iul. 3.

[6] *Il Cardinal Hippolito da Este cauà gli occhi al fratello per vna causa d'amore*. Guicciard. hist. p. 305.

[7] *Degnissimo per suoi vitij enormi & infiniti* Guic. lib. 9.

[8] Duas suas sorores incestauit. ex Episto. Otho. imperat. ad Iohan. papam.

incestis amoribus contaminatissimum. *Gregorius septimus* propter turpes istas libidines graui infamia etiam apud suos laborauit. *Mathildem* ita amauit; vt ab ipsius complexibus diuelli nullo modo posset. Illa vero ita illum complexa est, vt maritos subinde mutarit, & pontifices Rom. hæredes instituerit. Atque ista cum à fide dignis authoribus dicantur, nihil est quod putetis conficta esse. Nam qui ista dixerunt, non libenter, neque prout rei indignitas postulauit, verborum aculeis istos exagitarunt: sed hanc illis orationem veritas expressit. Cogitate igitur vos, quot, quantáque flagitia præterierint, quæ ipsi norant; Cogitate præterea, quæ vulgò apud istos dicuntur; cogitate etiam quæ in tenebris, & penetralibus ædium perpetrantur; Cogitate denique quæ nos præ pudore dicere non possumus. Neque enim aliud plerique pontifices hos 600 annos fecerunt, nisi vt lustris, & luxui operam darent, *Petri* palatium est nunc pædiconum, & cinædorum lustrum: Non est illa ecclesia, sed ganeum, & popina: Non sunt illi Romani antistites pontifices, sed pœderastæ: hic cinædis & prostibulis honores habiti, pudori nullus locus. *Lateranense* palatiũ nunc, inquit *Luitprandus*, est prostibulum meretricum, Ecclesiæ huius militia, lenocinium: moriuntur isti, non vt olim martyrio, sed libidine, luxuque marcidi. viuunt vt edant, ingurgitant se, vt amori sufficiant. Quo igitur istos nomine appellem, gurgites, helluones, lurcones, ganeones? Quæ igitur hos intemperies agitat, vt verbi ministris honorabile coniugium exprobrent, cum eos vt summos venerentur pontifices, qui lustra, popinas, omnésque sequuntur impuritates? Aut quid *Verstegano* in mentem venit, vt coniuges pudicas ministris pro maximo probro obijceret, & ante oculos nostros poneret, cum domi haberet verpos illos pontificios priapos, & pontificum cinædos & prostibula & popinas, & lustra, puerorumq; infames amationes? Cum tanta esset pontificum Romanorum turpitudo, quid opus est in nostris argumentum quærere?

Luitpr. lib. 6. c. 6.

Nunc autem vt pontificum reliqua ornamenta persequar, aliquid etiam de corruptis, & falsis ab illis suppositis tabulis dicendum est. qua in re quid dubitemus fuisse audacissimos, cum tabulas etiam diuinas multis modis corruperint, veritatemque suppresserint? synodos antiquissimas *Nicenam*, & *Constantinopolitanam* corruperunt. Canonem sextum synodi *Nicenæ Zozimus* planissimè interpolarat, falsitatem veris exhibitis *Nicenæ* synodi in Carthaginensi synodo patres arguerunt. Extãt vtriúsq; vera exemplaria; videte tamen istorũ impudentiã. Nam vbi Canones *Niceni* certos fines omnibus Patriarchis tribuerunt; isti contrariam excogitarũt sententiã. cum *Carthaginenses* patres planè vetuissent omnes

ad trasmarina loca appellationes: assuit *Gratianus* contrariam exceptionem, nempe [1] *Nisi fortè quis Romanam sedem appellauerit.* Cumque [2] Constantinopolitana synodus decreuisset parem Constantinopolitanæ sedi in rebus ecclesiasticis cum Rom. vrbis antistite iurisdictionem, & prerogatiuam: *Gratianus* tamen negationem addit, & negat illam in ecclesiasticis rebus debere magnificari, vt Romana sedes. Omnes historiæ testantur, imò & [4] leges iubent patriarchas esse inter se æquales, Romanæque vrbis episcopum parem ceteris faciunt. Omnibus istis fidem isti suis commentis abrogarunt, Canonésque fictitios *Anacleti*, *Cleti*, *Clementis*, aliorumque episcoporum nomina ementientes in suos commentarios retulerunt, vt immensam suam tyrannidem confirmarent, fictitiam quandam donationem sub *Constantini* nomine in *Gratiani* decreta intruserunt, quam omnes illorum temporum historiæ arguunt: quam & Canonici iuris interpretes negant esse *Gratiani*, & *Cardinalis Cusanus*, & *Æneas Syluius*, qui posteà *Pius* 2 dictus est, vt commentitiam improbat, & stilus etiam indicio apertissimo perspicuè conuincit. Afferunt igitur aliud sub nomine *Ludouici Pij* falsissimum instrumentum. Nam quæ in instrumento habentur, non erant in eius potestate vt illa donaret; neque vnquam sortita est effectum donatio: nec concordat instrumentum volaterrani cum decretali, vbi hæc habentur: nec in vllo alicuius fidei authore habetur eius rei mentio. Nec cum dissidium esset inter pontifices, & Imperatores vnquam huius donationis meminerunt pontifices, quod sine dubio fecissent, si qua huiusmodi fuisset. Illud vero non tantũ falsum est, sed etiam ridiculũ, quod *Melchiadem* papam [5] inducunt de *Constantiniana* donatione verba facientem, cum tamen ille mortuus esset ante *Syluestrum*, cuius temporibus eam factam fingunt. In contentione illa quæ longo tempore durauit inter Imperatores & pontifices, multa conficta crimina Imperatoribus imposuerunt, multa falsa instrumenta allegarunt, decretalem *Innocentij* 3 ad *Bertholdum* ducem *Zaringiæ epistolam* *Vrspergensis* arguit falsitatis. dicit enim multa in eadem contra *Philippum* contineri & absurda, & falsa. vt omnia vno verbo absoluam scripturarum violenta interpretatione, Canonum fictitiorum suppositione, & tabularum corruptione, & falsitate, pontifices Rom. ad hanc tyrannidem, & opulentiam quam viderunt patres nostri peruenêrunt.

[1] 2.q.2.c.placuit.
[2] c.36.
[3] Grat.dist.22. c.renouantes.
[4] Nouell.130. & 131.
Cotrarias afferentes allegationes non sunt audiendi.
[5] C.futuram 12.q.1.
Vrsperg.in Philippo Imperatore.

Superbia vero pontificum primò ex factis, deinde ex dictis ipsorũ constat, vtraque re se illi Nerones & fastuosissimos tyrannos superasse demonstrant. Pedes dant osculandos summis principibus, quod de nullo præterquam de *Domitiano* factum accepimus. *Equum inscensuris vt Imperatores, & Reges sibi inseruiant,* æquum censent. *ipsis equitantibus, pedibus sequuntur*

[*] Lib.cærem. pontific.

quuntur Reges, & principes; eorundem humeris insidentes se vehi postulant, quod nec mirandum est. Nam quorundam Imperatorum colla pedibus conculcarunt, iuramentum fidelitatis ab omnibus postulant: omnibus se adorandos exhibent: nusquam progrediuntur nisi infinita comitati hominum multitudine: maiorem sibi postulant exhiberi reuerentiam, quam hostiæ quam secum circumgestant, & pro Deo venerandam proponunt: Denique loquuntur vt [1] Draco, & [2] efferunt se super omne quod vocatur Deus.

Audiamus iàm quantum sibi ipsis verbis tribuunt. De [3] *necessitate salutis credendum dicunt, papæ Rom. creaturam omnem subesse. Se super* [4] *regna & gentes constitutos pronuntiant.* Papam [5] *superioritatem habere in Imperatorem, & vacante Imperio, Imperatori succedere contendunt.* Eundem [6] etiam transferre posse Imperium de gente in gentem; & posse [7] Imperatorem deponere asserunt. *Papa Romanus* (si ipsi [8] credimus) *habet vtriusque potestatis, temporalis nempe, & spiritualis Monarchiam*; habet *sacerdotij principatum*; & *est Christianæ religionis caput. Quantóque sol* [9] *superat lunam, tantò ipsis Papa superare videtur Imperatorem. Diuinam sibi arrogant authoritatem. Non humana, sed diuina potius potestate* (inquit *Gregorius 9*) *coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem authoritate Rom. pontificis (quem constat esse vicarium Christi) episcopus ab ecclesia remouetur.* Christi quod proprium est sibi vsurpant, & a suis assentatoribus æquo animo sibi deferri postulant. *Nos* ([11] inquit *Bonifacius*) *nolentes iustitiam nostram, & ecclesiæ sponsæ nostræ negligere. &c.* Huiusmodi etiam extat blasphemia in libro [12] cæremoniarum pontificalium. *Papa enim* (vt ibi dicitur) *in nocte natiuitatis Domini benedicit ensem, quem postea donat alicui principi in signum infinitæ potentiæ pontifici collatæ, iuxta illud: Data est mihi potestas in cœlo, & terra. Item dominabitur a mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Pontifex se Deum vocari, & gaudet & gloriatur. *Satis* [13] *inquit, ostenditur à seculari potestate, nec ligari prorsus, nec solui posse pontificem, quem constat à pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec Deum posse ab hominibus iudicari manifestum sit.* [14] *dicitur stupor mundi, & vicarius Dei. Omnia iura in sui pectoris scrinio posita esse iactat, non tantum quod nouit ius, sed quod ius dicat omnibus.* Ex hoc fonte profecta sunt, quæ pontificij iuris interpretes de pontificia potestate loquuti sunt. Nempe posse pontificem summum *dispensare contra* [15] *Apostolum, contra* [16] *ius diuinum, contra* [17] *ius naturæ, contra* [18] *nouum Testamentum. Ludouicus* [19] *Gomezius*, pontificem, vt numen quoddam, & quendam visibilem Deum veneratur. *Alij planè Deum in terris esse, alij etiamsi non sit Deus, tamen non esse* [20] *purum hominem dicunt.* Nonnulli eo impudentiæ prorumpunt, vt

[1] Apoc. 13.
[2] 2. Thess. 2.
[3] C. vnam. extr. de ma. & obed.
[4] c. 1. extr. de consuetud.
[5] Clement. pastoralis. de re iudicat.
[6] C. venerabilem de electione.
[7] c. 2. de re iudicata.
[8] C. fundament. de elect. in 6.
[9] C. solit. extr. de maior. & obed.
[10] C. inter corporalia, de transl. episcopi.
[11] C. quoniam de immunitate in 6.
[12] Lib. 1. tit. 7.
[13] Dist. 96. c. satis.
[14] Gloss. in procem. Clement. in verbo Papa.
[15] Gloss. in c. lector. dist. 34. & c. presbyter. dist. 82.
[16] 16. q. 1. quicunque in gloss.
[17] 15. q. 6. authoritate in gloss.
[18] Abb. panor. in c. fin. de diuortiis.
[19] In reg. cancellar.
[20] Aluarus pelag. in planctu eccles.

vt *dicant Deum non* [1] *futurum fuisse discretum, nisi potestatem pontifici super principes contulisset:* Atq; vt pontificem appellent, *Dominum Deum nostrum.* Hæc cum *Bellarminus* pontifici neget præstanda esse; non opus est, vt plura accumulem. Sed debuere tamen pontifices, si ista non probarent aliquo saltem verbo, aut nutu indicasse hæc sibi displicuisse: sed non fecerunt, planéque mentitur ille: Nam probant ista pontifices, & nisi huiusmodi fuissent assentatores: nunquam ad tantum tyrannidis fastigium ascendissent.

[1] Extr. de maior. & ob. c. vnam. in gloss.
[2] Extr. de verbor. signific. c.

De crudelitate pontificia quid multa dicam, cum omnes tot piorum strages, tot bella, tot cædes ab illis nostra ætate perpetratas non legant tantum, sed & videant? periurio & perfidia imperium adepti sunt, armis & ferro defenderunt. Nec tam in hostes quam in suos sæuiunt: omninóq; vetus hæc est illius ecclesiæ labes. In magna illa de pontificatu inter [3] *Damasum* & *Vrsicinum* dimicatione multi in media *Basilica Sicinnini* ceciderunt. [4] *Gregorius 7* vt viam sibi ad papatũ muniret, sex pontifices vi aut veneno sustulit. vt dignitatem suam aduersus Imperatorẽ defenderet, maxima bella gessit. Verúmq; est quod dicit [5] *Camotensis* paucos sine sanguine in sanctam ingredi sedem. *Iohannes 11* prædecessorem ceruicali in os iniecto soffocauit, & sedẽ ipse occupauit. Nec tantum in viuos, sed mortuos sæuierunt. *Sabinianus* non leuiter in *Gregorium* magnum exarsit. *Stephanus 6 Formosi* corpus è sepulchro erutum truncauit: *Romanus Stephani* acta abrogauit, *Sergius 3 Formosi* acta refixit, eiúsq; corpus iterum effossum *in Tyberim proiecit.* De istis dicit *Platina: eos inimicitias vt sæuissimos tyrannos inter se exercuisse.* [6]

[3] Marcellin. 27.
[4] Benno cardinal.
[5] Cornelius Agrippa. luitprand.
[6] Platina in Sergio 3.

Patrum etiam memoria istorũ successores *Wiclephi, Buceri, & Phagij* ossa è tumulis eruerunt. Corpus vero *Admiralij* imperatoris per Galliam clari quem perfidè trucidandum curauerant, per aliquot dies vnco impacto per plateas tractum, istorum asseclę omni immanitate & contumelia vexarũt. *Henrici 4* corpus Paschalis 2 è sepulchro effossum in locum profanum deportari curauit: vbi integrũ quinquennium honore caruit sepulturę. Hęc quidẽ fœdiora sunt quæ in mortuos fiunt, non minus autem sæua quæ in viuos. In omni genere isti crudelissimi fuerunt. innumeros bello, multos occulta proditione, complures carnificis ministerio occiderunt. Quicunque in tumultibus *Italicis, Germanicis,* & *Gallicis* quos excitauit *Gregorius septimus, Paschalis 2, Innocentius tertius, & Gregorius 9,* occubuerunt, ab his interfecti sunt. innumeros mortales, vt sibi imperium pontificale stabilirent per *Gallos, Germanos, Normannos, Hispanos* trucidarunt. *Italiam, Germaniam, Galliam, Bohemiam, Angliam,* per suos emissarios hos 800 annos vexarunt & lacerarunt: Non-

nunquam

nunquam & ſanguine redundare fecerunt. Per iſtorum cum Imperatoribus diſcordias, *Turcæ* Chriſtiani nominis hoſtes perpetui creuerunt. Fœdus [1] *Cameracenſe* contra *Turcas* initum pontifex abrupit, & ne contra hoſtem quicquam fieret impedijt. Per iſtos Europæ magna nunc pars bellis ardet. Nec ferè aliquod extitit per multos iam annos per vniuerſam Europam bellum, vbi non aut interfuerint iſtorum legati, aut claſſicum cecinerint. *Iulius ſecundus*, ipſe non ceterorum exemplo ſpectabat, ſed interfuit bello. Hunc igitur [2] *Budeus cleri magiſtrum vocat ſanguinarium. Xiſtus quartus* poſtquam omne papatus tempus in bellis tranſegiſſet, adeo vt omnes ferè fatigati eſſent belli tædio, pace facta præ ſummo dolore mortuus eſt. *Alexander 6* multis calamitatibus initium dedit, *Carolo octauo Gallorum* Rege ab ipſo ad Neapolitanum regnum inuadendum euocato. *Paulus 3* Germanicum bellum conflauit, nec alio authore quam pontifice Rom. hos 30 annos nos bella gerimus.

Multos veneno, multos conductis percuſſoribus interfecerunt. *Alexander 6* vtraq; re valuit. Barbaros ille [3] crudelitate ſuperauit. Hoc patre natus infamis ille *Caſar Borgia Neronem* perfidia, & ſcelere vicit. [4] *Geminium Turcici* Imperatoris fratrem magna accepta pecuniæ ſumma veneno tollendum curauit. Cum tandem multos vno tempore tollere ſtatuiſſet, errore miniſtri deceptus, ipſe veneno epoto mortuus eſt. *Clemens* [5] verò 5 *Henricum Lucemburgenſem* in ipſo calice dato per ſacrificulum veneno interficiendum curauit. Multis artibus petierat *Henricum 4 Gregorius 7*, conduxeratque ad eum interficiendum hominem nefarium; ſed Deus auertit malum in machinantis caput. Nam qui lapide deiecto Imperatorem in templo interficere conatus eſt, dum lapidem aptaret, fracta tabula in pauimentum cecidit. *Xiſtus 4.* Pactianæ coniurationis non modo conſcius, ſed fons fuiſſe videtur. *Hieronymus* enim *Riarius*, & Cardinalis ille qui omnem rem inſtruxit, ab ipſo ſubmiſſi ſunt. Cædis illius *Iuliani Medices*, qui inter ſacrorum ſolennia cæſus eſt author ab omnibus celebratur. Multò autem fœlicior fuiſſe videtur *Petrus Soderinus Florentinus*. Nam licet à *Iulio ſecundo* [6] percuſſores ad illum interficiendum miſſi eſſent: euaſit tamen illorum manus. *Victor 3* in calice etiam venenum hauſit. Nec niſi iſtorum conſilio *Iohannes* Angliæ rex, veneno à quodam monacho dato indigniſſimè extinctus eſt. [7] *Beordum* à *Bonifacio nono* proditione cæſum dicit *Theodoricus Niemenſis*. Pontificem idem virum [8] ſanguinum appellat. *Pompeius Colonnius* more pontificio tabe venefica conſumptus eſt.

[1] Io.Mar.Belg.

[2] Lib.5.de aſſe.

[3] *Crudeltà piu che barbara.* Guicciard.lib.1.

[4] *Gemen Ottomanno morì di Veleno datoli d'Aleſſandro 6 come ſi credeua Conſtantemente.* Guicciard.lib.1.

[5] Auentinus.

[6] Guic.lib.9.

[7] Lib.2.c.16.

[8] In Nemor. Vnionis tract.6. c.39 & 41.

Sed

Sed quid res à nostra ætate alienas quæro, cum & nunc se inuicem pontifices veneficijs tollant, maximéque insigne sit illud facinus, quod his authoribus perfidus ille monachus, & sicarius *Iacobus Clemens* in Henricum tertium *Gallorum* Regem non ita pridem perpetrauit? Principem *Auraniensem*, Reginam *Nauarrenam*, *Principem Condensem*, & *Ducem Saxoniæ* veneno dato interfecerunt. Neque illis voluntas ad alios interficiendos defuit: multos enim sicarios magnis præmijs ad Reginæ nostræ serenissimæ cædem excitarunt. Sed hanc à cruentis eorum sicis hactenus seruauit Deus, quam etiam vt diu incolumem seruet oramus.

Machiau. hist. Nec tantũ singulos, sed etiam plures, signo dato per proditionẽ interficiendos curarunt. Occulta molitione *Nicolai tertij Galli* vniuersi per *Siciliam* vno die cæsi sunt. Hoc exemplum renouans *Gregorius 13* in nuptiarum hilaritate, & securitate multa virorum bonorum millia per homines impios mactari fecit. Nec ætas infantes, nec sexus mulieres, nec canities senes, nec fides amicos à carnificum crudelitate vindicare potuit. Cum huius facinoris author, & laudator extiterit pontifex Rom. reíque gestæ seriem in aula sua cum magno artificio depingendam curarit: quid ego crudelitatis pontificiæ alia exempla conquiram?

Alios carnifici tradunt occidendos: in quo numero sunt omnes pij quos crudelis illa inquisitionis pontificiæ carnificina absumpsit: etiam & alii boni viri quos aut per iuris speciem, aut vi mactarunt: quæ quidem maxima est ratio. *Vrbanus sextus Aquilanum* episcopum carnifici dedit excruciandum. [1] illo conscio regina *Ioanna* ante altare à *Carolo Neapolitano* strangulata fuit. Eiusdem mandato quinque Cardinales, aut securi percussi, aut in mare præcipitati sunt. Quid iis factum sit nemo certò nouit, vt ait [2] *Theodoricus Niemensis*: sed post illa nemo illos vidit. nullum vnquam eo repertum truculentiorem aut sæuiorem, aut plures immanius diabolo secum dispensante trucidasse dicit. *Celestinum Bonifacius 8* in carcerem conclusum morti addixit, martyrologiumq; auxit necato illo martyre. Regnauit enim vt *Leo*, de isto audite etiam *Platina* testimonium: *Imperatoribus, regibus, principibus terrorem potius quàm religionem inijcere* conabatur, aurum vndique conquisitum, plus quàm dici potest sitiens. *Hugonem Caturcensem* Episcopum exquisitis exemplis *Iohannes 22* excruciatum necauit. Templarios propter opes insidiis circumuenit *Clemens 5*. *Paulus 2* tormentis quoscunq; coniurationis in se factæ suspectos habuit, vexauit. *Alexandro 6* pontificatum gerente, breuissimo maledicto [3] pœna mors erat. Ob orationis in eum libertatem, manus & lingua *Antonio Mancinello* præcisa fuit. *Leo 10 Orlandi Æthiopis* manu multos strangulari mandauit. *Paulum Balionem Perusia* euocatum

[1] Theodoric. lib. 1. de schis. c. 25.

[2] Lib. 1. de schis. c. 56.

Tractat. 6. vnion. c. 39.

Platin.

Plat. in Iohanne 23.

[3] Onuphrius.

securi

securi percutiendum curauit. nihil opus est singulos commemorare, quos isti interfecerunt, cum ferro, flammis, fame, vniuersam Europam, maximè per hos sexaginta annos, vexarint. Non sine causa igitur rubris isti vestibus amicti incedũt, cum tanto sanguine ipsis lupinæ fauces redundantes vestes vniuersas asperserint. verè enim purpurea est Roma meretrix, quæ sanguine sanctorum purpureo tota madet. Rogandus itaque est *Verstega-nus*, quoniam in pingendo non malus sibi videtur artifex, vt mihi in tabula septicipitem illã in Apocalypsi bestiam depingat. Habeátq; caput primùm lupinum sanguine aspersum, vt crudelitatem huius belluæ intelligamus; deinde hirquinum, sunt enim salacissimi hirci: tertiò vulpinum, fraudibus enim & dolis multos deceperunt; quartò caninum, nam in cælos latrare solent. Nam si quæ vnquam blasphema fuit hæreticorum secta, hæc Iesuitica blasphema erit. Sit autem quintum equinum, vt istorum superbiam agnoscamus. Sextum vero aquilinum, quia ex præda hæc bellua viuere solet. Vltimum sit meretricis, aut si quid meretrice fuerit impudentius. Nam isti aduersus veritatem animos obfirmarunt; & moribus sunt inquinatissimis. At hoc monstrum esse dicet. Annon quæso portenta sunt, & monstra Rom. pontifices? Atque ista omnia cum pinxerit, multa tamen etiam sic videbit deesse. In inferiore igitur parte sanguinem describat sanctorum; & diabolum huic belluæ insidentem, & calcaribus eam agentem. isto enim authore Romani hæc omnia suscipiunt pontifices. in alio angulo monachos fraudes, & hæreses, & venena miscentes exprimat: & iuxta illos, veneficos, & conductitios percussores, quos isti assassinos vocant; in reliqua parte sint ignes, cruces, laquei & ferrum. Atque ista cum viderit suæ Rom. ecclesiæ conuenire, fateatur demùm non posse illam veram esse ecclesiam, quæ his viuit moribus: missámque faciat gloriosam suam de Romanæ ecclesiæ sanctitate ostentationem. Plaut.

CAP. 5.

Vbi ex alijs signis colligit Romanam ecclesiam non esse Christi veram ecclesiam: ostendit enim habere eam aliud caput, & esse super alio fundamento ædificatam, verámque persequi ecclesiam, & in ea denique Antichristum sedere.



VEra Christi ecclesia vnum agnoscit caput, eidémque (vt membra capiti) vera fide per ministerium verbi coniungitur, & adhæret: non discedit: extraneum non audit, non sequitur. Quæ quidem adeò clara sunt, vt res disputatione non egeat. At Romana ecclesia aliud sibi caput

[1] Domitiani.

imposuit, videtúrque mihi [1] tyranni cuiusdam Romani qui cum Colosso caput ademisset, suum imponi fecit, factum imitata. Nam Christo abiudicato, & illo capite truncato, adulterinum, & tyrannicum quid spirans caput aliud corpori suo affixit. Quid Christus nobis in scripturis loquutus est, pontificij non valdè attendunt. Omnes enim certas decisiones ex sui capitis ore ferreo, nempè ex decretalibus, & placitis pontificijs Rom. ecclesia petit. Hoc autem ita apertè præ se ferunt pontificij, vt nullos ad suam ecclesiam pertinere contendant, nisi qui [2] pontifici Rom. tanquam capiti adhærent. Hæc docuit *Turrianus*, docétque qui nunc aduersus ecclesiam non admodum bellè arma fert *Bellarminus*: nec negat eorum aliquis, Christum quidem agnoscunt omnes ecclesiæ caput, sed ita tamen vt pontifex Romanus sit etiam ministeriale (vt vocant) caput: nec hæc inter se pugnare volunt, vt duo sint vnius corporis capita. Multáque in eam sententiam dicunt; nihil autem probant.

[2] c. vnam sanctam. extr. de maior. & obed.

Nam cum Scripturæ nobis vnicum doceant caput; adulterinum sit necesse est hoc pontificium caput. Præterea cum membra capiti adhærere teneantur, non potest Romanus pontifex esse caput, cum ei Christum abneganti, vt fecit *Petrus*, & postea *Marcellinus*, & *Liberius*, & posteriores ferè omnes, nullus adhærere teneatur. Denique cum capita ista adulterina nouam ex tripode suo decretalino doctrinam, & cum Christi doctrina religionem pugnantem proferant, manifestè videntur Christum caput deserere, qui huic capiti aduentitio adhærent, & agglutinantur.

Et licet pastores, & alij impropriè dici possunt ecclesiarum particularium capita; nullus tamen præter Christum propriè, vel vlla commoda ratione vniuersalis ecclesiæ caput dictus est, aut dici potest. Nec vllus pastoribus particularium ecclesiarum, aut alijs quantumuis dicantur capita, aut necessario parere, aut adhærere, præsertim si à Christi doctrina discesserint, tenetur.

Longè igitur aliud est quod pontifices Romani cum se capita dicunt, postulant. Nam à se ecclesiam, eiúsque veram demonstrationem, & administrationem pendere volunt. Quæ cum à Christi ecclesia catholica quæ humanis institutis non alligatur longè abesse debeant: non erit Romana ecclesia alteri, capiti agglutinata orthodoxa, & catholica Christi congregatio.

Maximè vero hoc docet fundamenti ratio. Suam enim ecclesiam isti super Romano pontifice fundatam esse volunt, non in scripturis inquam, sed in decretalibus, & Pontificum Romanorum placitis fidem

suam ædificant. Hæc enim illi tantò illis præferunt, quantò Romanæ ecclesiæ interpretationes scripturis clariores, & certiores esse dicunt. Si cadit Romanus pontifex, ruunt illi. Neque enim potest ædificium sine fundamento consistere. Quicquid in fundamento erit cœni, hoc isti lambunt, & amplectuntur.

In hoc fundamento ædificati sunt Cardinales, & sacrificuli, & qui nunc omnes ædificij huius rimas velut calx, & lutum explent, Monachi & fraterculi. Quare cum scripturæ nobis vnum tantum Christum, & eius doctrinam ab Apostolis disseminatam fundamentum ecclesiæ esse doceant; & apertè prohibeant aliam doctrinam admittere,[1] *quantumuis Angelus de cælis*, vel homines in terris nomine Christi illam proponant: Romanam ecclesiam vtpote alio fundamento innixam, & adulterinam fidem amplexam certò scimus non esse veram, & orthodoxam Christi ecclesiam. [1] Galat. 1.

Eandem suspectam [2] faciunt, imò & omnibus nobis inuisam, tot enses, tot ignes, tot equulei, & carnifices, & armati contra viros bonos pontifices, quot videmus in Romana synagoga. Christus enim ipse [3] *mitis fuit & humilis*, dum in terris ageret, nec venit gladio accinctus, vt mundum vniuersum armorum vi subigeret; Sed verbo salutari placidè suos collegit. alios monitionibus correxit, alios clementer tulit, tantúmque abfuit, vt gladium distrinxerit, vt Petrum etiam districtum gladium vibrantem, *in vaginam illum recondere* præceperit. eiusdem inhærens vestigijs *Petrus* non armis impios persecutus est, sed verbo prædicationis ad Christum conuertit; nec bella accendit, nec direxit ille acies in campis concursuras, nec misit percussores ad principes trucidandos; sed obedientiam, & euangelicam pacem docuit. Ne loquar de singulis; de vniuersa Christi in terris agente ecclesia vaticinatur [4] *Isaias* futurum, *Vt habitet Lupus cum Agno, & Pardus cum Hœdo accubet: & vt Vitulus & Leo simul morentur*: prædicitque fore *vt non noceant, nec affligant quenquam in monte sancto Domini*. Denique vniuersæ loquuntur Scripturæ, *regnum Christi in ecclesia esse ministerium verbi, & spiritus, esse regnum pacificum, & mansuetudinis, & clementia bonis refertissimum.*

[2] Ex Romanæ ecclesiæ sæuitia probatur, non esse illam veram Christi ecclesiam.

[3] Math. 11.

[4] Isai. 11.

Romani verò pontifices abiecta verbi prædicatione, gladios distringūt, hastas vibrant, omniq; telorum genere nos petunt. Nec tam prædicatione conuertendos, quam gladijs iugulandos Christianos censent, nisi se vt summos pontifices, seu potius ecclesiæ summos expilatores agnoscāt, nec alijs artibus aut imperium acquisiuerunt, aut administrauerunt. fuit quidem tempus cum *Petri* nomine falsò arreptæ [5] *claues prodessent.* [5] Mach. lib. 1. flor. hist.

Nunc autem commutata ratione arma isti spiritualia deponentes, loricas ferreas induerunt. Si igitur Christi regnum sit pacificum, quid agunt tot enses, laquei, equulei, patibula, carnifices? Si velint esse Christi oues, cur oues tot innoxias rictibus leoninis vexarunt, lacerarunt, laniarunt? Cur non balant vt oues, sed latrant, imò mordent vt canes?

Dicent se fortassè hæreticos persequi: at iustitia & iure isti, non autem armis persequendi erant. Præterea tot infantes, & fœminæ innocentissimæ, quot illi in Gallia iugularunt, non erant hæretici. nec vnquam probare poterunt illos, quos armis persequuti sunt, esse hæreticos, nihil certè vel prisca Iudaica, vel recentior Christiana ecclesia simile fecit.

Si igitur mater sit ecclesia fidelium, non erit ista impia & sanguinaria Romana ecclesia mater, quæ tot piorum sanguinem hausit. Crudelis est illa potiùs nouerca, imò pellex, quæ clanculum sponsi ingressa thorum, omnes sanctæ Hierusalem filios ferro, & meretricio odio persequitur, vt cæsis veris hæredibus, ipsa sponsi bona deuoret sola irreptitia hæres.

Cum igitur multos iam annos Romana ecclesia orthodoxos omni malitia, fraude, & vi persequuta sit, eáque crudelitate sæuierit, vt nec ætas infantilis, infantes; nec sexus infirmitas, fœminas; nec doctrina & artes, viros doctissimos; nec ætatis spatium decursum, senes; nec innocentia, viros bonos; nec fides aut leges pacificos & quietos ciues ab istorum rabie vindicarint; quis non istos vt immanes, & sæuas feras Christi ouile lacerantes execrabitur? vt Christi ecclesiam nullus nisi planè cæcus venerari, aut agnoscere potest.

Quis deniq; adeò rerum imperitus est, vt Antichristi gregem à Christi ecclesia discernere nequeat? *Est enim ille Christi aduersarius:* quiq; eius sectam sequuntur, Christum oppugnant. ne autem in Antichristianę turbæ disquisitione fallamur: sacrarum literarum filum, & sanctorum patrum sequamur vestigia. *Qui negat Iesum esse Christum, hic* ([1] inquit *Iohannes*) *est antichristus.* At si quis vnquam Iesum, Christum esse negarit, hoc pernegant pontifices: etsi illud quidem non verbis disertè, tamen factis planissimè. Nam cum Iesus dicatur Christus propter regnum primò, deinde propter prophetiam, & deniq; propter sacerdotium: (reges enim, & prophetæ, & sacerdotes antiquitùs vngebantur:) regnum Christi negant isti sublatis eius legibus, aliisque nouis à nouis authoribus conditis subintroductis: & prophetiam tollunt adulterata Christi doctrina, & nouis exco-

[1] 1. Iohan. 2.

excogitatis religionibus, & fidei articulis: sacerdotium denique abrogant nouis suffectis sacerdotibus, & alijs victimis, & mediatoribus institutis.

Antichristum [1] Apostolus, *in Templo Dei sessurum*, & *se super omne quod dicitur Deus, aut colitur, exaltaturum*, & *se ostensurum tanquam Deum* vaticinatur. *Aduentum eius secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis futurum prædicit*. Propter hæresim, & mores perditos *hominem peccati*, *& filium perditionis* vocat. Hæc autem nisi ad Romanos pontifices, ad nullos prorsus accommodari possunt. Illi enim, vt dictum est, se *Deos in terris*, & *Christi vicarios*, & *Ecclesiæ sponsos*, & *capita & fundamenta salutaris patiuntur*. Illos [2] homines in terram procumbentes adorant, pedésque illi osculantur. Illi in sella feruntur sublimes: supremam illi sedem in Ecclesia Dei occupârunt. Quod Dei est solius; *remittere se posse peccata*, & in animas potestatem habere iactant. Signísque hæc mendacibus, & mendacissimis legendis confirmârunt. Et licèt se sanctissimos & beatissimos dici patiantur, magnam tamen in Ecclesiam hæreseôn, & errorum colluuiem intexerunt, moribúsque sunt inquinatissimis, & perditissimis.

Ex Apocalypsi *Iohannis* intelligimus Antichristum ex [3] ruinis & ruderibus Imperij Romani exoriturum, *eúmque plagam Romanæ vrbi inflictam noui Imperij forma in eisdem vestigijs erecta sanaturum; locuturúmque vt draconem, licèt formam agni præ se ferat: facturúmque signa magna, hominésque decepturum*. [4] Bestia enim *quæ similis est pardo*, & septem habet capita, veterem Romam, & eius vrbis Imperium designat; agnus verò bicornis nouam Romam, & Antichristi regnum. Romanis pontificibus ista sanè exactè conueniunt. agni enim specie loquuntur vt draco sæuus: præferunt præ se religionem, & sanctitatem; venenum autem dictis subest mortiferum. Appellant se *seruos seruorum*, & verbis se abijciunt. Sed si quis illis aduersetur, eum diris deuouent, Satanæ tradunt, ignem & ferrum illis minantur, subditos sacramento soluunt, & in principes concitant, cælum terræ miscent, tonant, fulgurant. [5] *Pius* ille quintus quem mitissimum fuisse fingunt, militibus suis in Galliam profecturis, & bellum aduersus nos gesturis mandauit, vt nostros omnes quos capere possent, statim interficerent, suísque quòd illud non fecissent iratus fuit. Se habere duos gladios, & supra Imperatores & principes potestatem, omniáque mundi imperia sibi subesse iactant. Adeò vt draconem illum rufum qui sanguine sanctorum rubet, & [6] *omnia mundi regna* sui iuris esse dicit, rectissimè referant. E ruinis Rom. Imperij

[1] 2. Thess. 2.

[2] Cærem. pontif. lib. 1.

[3] Cap. 13.

[4] Ibidem.

[5] *Tis commandò che subito s'ammazzasse ogli heretici presi, vit. de Pio v. p. 85.*

[6] Math. 4.

rii emerserunt Pontifices Rom. quamdiu enim ius suum Imperatores in *Italia* obtinuerunt; isti obscuri latebant. Sed postquam [1] *Constantinopolitanos* Imperatores armis *Gallorum, Gallos* & *Germanos* mutuis vulneribus fregissent: tum demum eminere cœpit Papalis potestas. Sanarunt hi vulnus Rom. imperio inflictum. Nam cùm illud *Gothorum* & aliarum Gentium armis procubuisset, exorti sunt [2] Romani pontifices, qui noui in vrbe Romana Imperii fundamenta iecerunt, quod vniuersæ posteà Europæ regna amplexum est, [3] & quod diuitijs, & auctoritate, illud vetus Romanæ vrbis imperium æquauit. Præterea *quicunque hanc Romana Ecclesia bestiam non adorant, & qui eius charactere non sunt insigniti, illos & hominum* [4] *consortio*, & *ciuium priuilegijs exuunt*, & denique, vt planè istos Antichristi regnum possidere agnoscatis, mactandos esse decernunt.

1 *Mach. Flor. hist, lib, 1.*

2 *Mach. ibidem.*

3 Blond. Rom. restaurat.

4 Apoc. 13.

Quod si quæ de Antichristo adhuc supersit dubitatio, ea tamen omnis, si quæ de meretrice illa quæ [5] septicipiti insidet bestiæ considerauerimus, tolletur. Nam in illa meretrice adeò clarè videmus Ecclesiæ Romanæ depictam imaginem, vt nec *Verstegants*, nec quisquam mortalis accuratiùs eandem efformare possit. Sedet meretrix in septicipiti bestia, quæ vrbs est Roma septicollis, sedent etiam & dominantur in illa vrbe Romani pontifices. habet illa in manu poculum aureum plenum immunditie, & abominatione: ex hoc poculo suos errores & idololatrias isti omnibus propinarunt; & suum illud aureum idolum in Templis suis adorandum proposuerunt. Vestita est illa purpura & coccinea stola: vestiuntur & isti stolis coccineis, & trabeis talaribus, gemmisque & auro distinctam gerunt coronam triplicem. Habuit illa in fronte nomen scriptum: habent isti & in mitris & in fronte ferreo stylo descriptas notas, ex quibus vel cæci eos agnoscant illa bestia designari. erat Babylon cuius imaginem mulier illa gerebat, fons idololatriæ, sceleris, superstitionis: Est nunc & [6] *Roma Babylon* altera, omnis idololatriæ, sceleris, & superstitionis epitome quædam & fons, vnde illa in omnem terram redundarunt. *Erat mulier illa ebria sanguine sanctorum martyrum*: est & hæc ciuitas sanctorum sanguine madidissima. Reges terræ cum hac bestia fœdus percusserunt aduersus Agnum, & qui sequuntur Agnum: cum pontificibus similiter principes se sacramento obligarunt, & fœdus contra Christum percusserunt. Si esset & Pontifex Romanus meretrix, vt in *Ioanna* Papa factum est; nimis sanè ista conuenirent. Vt se in omnes vertant formas, nunquam euitabunt pontificii, quin quæ de meretrice prædixit *Iohannes*, ea grauiter in Romanos pontifices cadant.

5 Apoc. 17.

6 Hieronym. in 1. Pet. vlt. & Petrarch.

Nulli

Nulli certè aptiùs accommodari potest *Danielis* de Antichristo [1] prophetia, quàm Pontificum regno. De Antichristo vaticinatur *Daniel, locuturum eum aduersus Deum excelsissimum:* Quis autem Romano pontifice vnquam locutus est aut superbiùs, aut magis blasphemè, & impiè? *Bellum geret aduersus sanctos*; bella etiam gessêre aduersus illos pontifices Romani. *putabit ille se tempora, & leges mutare posse:* isti etiam hoc sibi arrogarunt, & de legibus propè effecerunt. nam suppresso iure ciuili, secundùm ius pontificium vbique in pontificio regno iudicatur; dederúntque illi Ecclesiasticas leges orbi propè vniuerso Christiano: tempora [2] illi etiam suis Calendarijs distinxerunt. Temporáque *Gregorius* decimustertius decem expunctis diebus mutauit, & correxit. Et ex istorum superstitione diei tempora *primis, matutinis, nonis, vesperis,* & reliquis eorum appellationibus notantur.

Aduersus [3] *omnem Deum se efferet Antichristus*: extulere se aduersus Deum & Romani Pontifices, qui diuinos sibi honores, & Dei ipsius officium arrogârunt, & maiore diligentia leges suas, quàm diuinas seruari postularunt. *deseret ille Deum Patrum suorum, & Deum suum Maozin auro, & argento, & lapidibus* colet pretiosis: deseruere & isti primorum Episcoporum Romanorum in colendo Deo vestigia; nouumque Deum, auro, gemmísque, & purpura colere cœperunt, omnique idololatrico cultu se polluerunt, sanctásque suas imagines, auro & argento cælatas & depictas coluerunt. non *curabit ille legitimos amores*; nec isti videntur curare. Sibi enim & suis mystis, vtcumque amoribus, & libidinibus exardescunt, legitimas tamen vetuere coniuges.

Multa etiam veteres de Antichristo, licèt vt de re futura obscurè, tamen ita commodè loquuti sunt, vt nisi ad Rom. pontificem, ad nullum rectè detorqueri posse videantur. *Irenæus nomen eius* λατεῖνος *futurum fore retur.* In *Latio* autem pontifices isti dominantur. Huic suffragatur & *Sybilla* de temporibus vltimis loquens: *venturum enim dicit Regem alba [4] infula insignem, qui à ponto nomen ductum habebit, qui mundum gubernabit, & scelesto pede munera dabit, qui magnas opes [5] coaceruabit, qui omnes [6] errorum fontes, & arcana magica aperiet:* & eius [7] *interitum & regnum describit propè Tyberis ripas.* Præter pontifices quis habet nomen à Ponto? Quis alius est alba infula insignis? Quis tam latè in mundo imperauit? Quis inquinatiores habet, aut pedes, aut manus? & quis pedes præter illos maximi muneris loco protendit osculandos? Quis plures in Christianam religionem induxit errores? Quis arte Magica

[1] Cap. 7. & 9.

[2] Daniel 7.

[3] 2. Thess. 2.

[4] ἔσσεται ἄναξ πολιόκρανος ἔχων πέλας οὔνομα πόντου, κόσμον ἐποπτεύων, μιαρῷ ποδὶ δῶρα πορίζων. Sybil. car. 8. lib.

[5] χρυσὸν μὲν [illegible] ἕξει. ibid.

[6] καὶ ἐξ ἀρχῆς τὰ πλάνης μυστήρια πᾶσιν ἀνοίξει. ibidem.

[7] καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα μιθήξει. ibidem.

[8] αἱ αἱ Θρηνήσουσι λύγραις παρὰ Θύβριδος ὄχθαις. ibidem.

gica,& diabolica maiora effecit miracula? Denique si hos exceperis, nullus hos multos annos iuxta Tyberis ripas princeps Imperij sedem habuit, nec alterius cuiusquam lugubres iuxta Tyberim auditæ sunt querelæ.

Quamuis sit apostata & latro, tamen quasi *Deus esset, ita se coli vult*, teste [1] *Irenaeo. Iubebit* (inquit [2] *Chrysostomus*) *seipsum pro Deo coli, & in Templo collocari, non Hierosolymitano*, sed *in Ecclesia. in Templo Dei* (inquit [3] *Hieronymus*) *sedebit, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesia, vt veriùs arbitramur. Antichristus se & suos cupiet videri Templum spirituale Dei, & veram Christi Ecclesiam*, vt ait [4] *Augustinus. Chrysostomi* premens vestigia [5] *Oecumenius* secundùm eius sententiam, *non in Templo Hierosolymitano, sed in Ecclesia Christi Antichristum sessurum dicit.* Quis autem Templum Dei occupauit, & se pro Deo colendum præter pontifices Romanos per hos superiores annos ostentauit? Templum illi Christi inuaserunt, sibique diuinos honores arrogarunt. Illi enim se pro Christo in terris Ecclesiam regere profitentur, & coram illis quocunque incedunt, cuncti procidunt, tanquam numina aliqua adoraturi. Babylonem [6] *Hieronymus Romam interpretatur*. Quis igitur dubitet quæ de Babylonis euersione *Iohannes Apoc. 18.* vaticinatur, ad pontificium in vrbe Roma regnum pertinere?

[7] *Gregorius* non dubitat eum, qui se *vniuersalem Episcopum dixerit, Antichristi præcursorem vocare*. Certum est igitur Antichristum, qui illo tempore instabat, iam venisse, cùm ante multos annos vniuersalis Episcopi nomen à *Gregorio* & Synodo quadam *Carthaginensi* damnatum pontifex Romanus sibi vendicarit. Dicit prætereà [8] *Gregorius Antichristum Iudaicas caremonias reuocaturum*, Cui suffragatur etiam [9] *Sedulius*. Hoc autem Antichristi opus iampridem inchoatum, omnibus sacerdotij Leuitici cæremonijs in Ecclesia Christiana instauratis isti iampridem absoluerunt.

[10] *Bernardus ex turpi quæstu quo Ecclesiam vndique fœdatam conspexit* argumentatur, fore vt breui Antichristus reuelaretur. cùm igitur in infinitum excreuerit illa turpitudo, multáque alia scelera pontificiam sedem deformarint, proculdubiò nunc Antichristus potentiam suam, & regnum inchoauit.

Synodus Wormatiensis & *Brixiana* contra *Gregorium* septimum habita eum vt Antichristum auersata est. Nec ab eo tempore vnquam de Antichristo destitere [11] concionatores loqui. Sed quid alia conquiram aduersus istos testimonia, cùm ipsos pontifices propria conscientia accuset, & conuincat se Antichristos esse? Nam nisi ipsos conscientia

[1] Iren. adu. hær. lib. 5.
[2] In 2. Thess. 2.
[3] Quæst. 2. ad Algas.
[4] Lib. 20. de ciu. Dei c. 19.
[5] In 2. Thess. 2.
[6] In 1. Petr. 5.
[7] Epist. 3. lib. 11.
[8] Ibidem.
[9] 2. Thess. 2.
[10] In psal. qui habitat ser. 6.
[11] Arnoldus; Haybalus; de rupe scissa; de clemangiis, Wesselus, & alij.

scientia argueret, quæ causa est, cur nullas de Antichristo conciones, aut sermones ferre possint? Profectus est *Paschalis* secundus, vel vt alij dicunt *Sixtus 4, Florentiam* vt episcopo cuidam de Antichristo concionanti silentium imponeret. Cum *Sauonarola* ne interdicto quidem papali deterreri potuisset, quominus de Antichristo loqueretur, flammis vstulatus silere edoctus fuit. Eo nomine & *Ioachimi* cuiusdam reuelationes supprimunt. Antichristi enim nomine suum regnum exagitari sentiunt. Quare si nobis non credit *Bellarminus* pontificem Romanum esse antichristum, at saltem credat pontificibus suis, qui nihil magis metuunt, quam concionatorum suorum de antichristo, eiúsque aduentu liberas voces.

Quæ tantæ à Romanis pontificibus depellendę inuidiæ causa[1] disputat ille, leuiora sunt, quam vt vim argumentationum nostrarum sustinere possint, Dicit antichristum *vnum tantum hominem fore, eumq́ ex tribu Dan nasciturum: nondum antè venisse: sed cum tandem venerit Henochum, & Eliam occisurum esse, & postquam aliquot menses Hierosolymis regnarit, interfectum iri*. Ridicula pleraq; & falsa. Partim enim authoritate scripturæ, partim rei euidentia, & patrum sententia, hæc omnia conuicta sunt. Scripturæ sacræ affirmant *multos futuros antichristos*, licèt propter summam eorundem contra Christum conspirationem, vnus illi omnes dicantur antichristus. *Audistis* (inquit Iohannes)[2] *quod antichristus veniet, & nunc antichristi multi facti sunt*. Dicit præterea Christus,[3] *Multos in nomine suo venturos esse, dicentes se Christos esse*. Nec obstat quod Apostolus antichristum *hominem peccati, & filium perditionis vocet*, nec quod sub bestiæ bicornis agno similis, & loquentis vt draco, aut sub meretricis vnius nomine antichristus adumbretur. Nihil enim frequentius in sacris literis, quam vt sub singulari numero plures eiusdem speciei comprehendantur. Plures erant Imperatores Romani: omnes tamen sub nomine vnius[4] pardi designantur. Similiter Danielis 7 per singulas bestias singula intelliguntur regna. [5]*Hæ quatuor bestiæ* (inquit Propheta) *4. regna sunt*. Similiter per *vnam illam fœminam quæ fugit in desertū*, omnes particulares designantur ecclesiæ. Sub vno qui in prælium exijt Apocalypseos 7, multi designantur, qui in eodem militiæ genere militant. Nec adeò cessarunt artes satanæ, eiusq; potentia, vt vnum tantum habeat hominem perditum. Præterea dicit[6] Apostolus apostasiam futuram, & mysterium tunc temporis operari cœpisse: & antichristum omnibus impiis patres pro capite futurum dicunt: quæ ad vnum tempus, & vnum hominem pertinere non possunt. Atq; vt sit aliquis vnus in hoc numero propter impietatē singularis; nihil tamen hoc impedit, quo minus pontifices Rom. sint antichristi.

[1] Lib. 3. de summo pontifice.
[2] 1. Epist. 2.
[3] Matth. 24.
[4] Apoc. 13.
[5] Daniel 7.
[6] 2. Thess. 2.

Antichristos (inquit *Hilarius*) *plures esse cognouimus. Quisquis enim Christum, qualis ab Apostolo est prædicatus, negauit, antichristus est.* utcunq; igitur vnum aliquem singularem fore antichristum sentiant patres: Pontifices tamen Rom. quotquot Christum vnicam iustitiam nostram, prout ab Apostolis prædicatus est, non agnoscunt, constat esse antichristos. Misera igitur hæc est *Bellarmini* pro suo pontifice excogitata defensio, cum nec quod affirmat probet, nec probatum iuuet.

Quæ autem de tribu *Dan*, & tempore, & loco regni antichristi attulit *Bell.* somnia sunt *Hippolyti* nulla prorsus ratione subnixa. Nam de eius ortu nihil affirmant sacræ literæ, quale *Hippolytus* putauit. Prædicit Iacob *Dan*[1] *futurum tanquam colubrum in via.* Quod non antichristi natiuitate, sed quia [2] *tribus illa vicinos clandestino & subito incursu oppressit*, impletum est. at aliter interpretatur Romana ecclesia; & sanè insaniret, nisi quauis ratione à se inuidiam amoliretur; sed nos sacris literis consentaneam interpretationem flagitamus. Hoc autem quod illi faciunt, non tā interpretari est, quàm sortiri. Præterea nihil est sacris literis familiarius, quam vt per ciuitatem Ierusalem ecclesiam vbiq; constitutam, per certum numerum incertum, per figuras legales doctrinam euangelicam doceant, & designent. Itaque si per cædem duorum testium, sanctos quoscunq; intelligat verbi ministros: nihil noui facit [3] Iohannes. Hanc de reditu *Henochi* & *Heliæ* narrationem *Hippolytus* à Iudæorum somnijs mutuatus videtur. Iohannes nihil huius habet: eamq; Christus refutat. Dicit enim [4] Eliam iam venisse, ne alium expectarent Iudæi eius adventum. Sed vt Christus millies affirmet, obloquentur tamen isti pseudomonachi, si quid contra rem pontificis sui dixerit. Omnem istam, de duobus testibus quos in plateis *Hierosolymis* cæsos iri vaticinatur Iohannes, prophetiam malè interpretantur. Nam quæcunq; in capite 11 dicta sunt, ea sub Rom. Imperii tyrannide ante plenam antichristi reuelationem, de qua primum in capite 13 vaticinari incipit peragenda erant. Et si per singulas septimanas quas hoc loco memorat 7 annos intelligas, exibit numerus annorum à prima persecutione vsq; ad ecclesiæ pacem *Constantino* imperante datam. Apage igitur hęc hominum ineptorum somnia. Regnum antichristi vaticinatur [5] Iohannes Romæ fore. Ea enim erat *ciuitas illa, quæ nationibus imperauit*: Eaque 7 colles habuit, vbi sedit purpurata meretrix. Sed quid ego reliquas otiosas huius monachi altè stertentis speculationes persequar, cum nec istæ, nec illæ quas diximus, vel authoritate scripturæ, vel patrum, vel ratione nitantur? Quare si à pontifice Rom. antichristi nomen amoliri contendant: demonstrent deinceps vnum tandem fore antichristum, & eum *Hierosolymis*, & non Romæ sessurum, & non ex ruinis

[1] Gene. c. 49.

[2] Iudic. c. 18.

[3] Apoc. c. 11.

[4] Matth. 17. & mar. 11.

[5] Apoc. 17. *Et mulier quam vidisti est ciuitas magna quæ habet regnum super reges terræ.*

nis Romani Imperij, sed sub finem mundi exoriturum, & aliquot tantum mensibus dominaturum: idq; rationibus, & non somnijs & fabulis confirment. Nisi fecerint, nos certè quæ antichristo adhæret, non esse veram Christi ecclesiam constanter credemus. Quare vt hunc tandem locum absoluamus, cum nec sanam habeat ecclesia Romana verborum diuinorum formam, nec sacramentorum synceram administrationem, nec cultũ diuinum retineat illibatum, moribusq; sit inquinatissimis, & à Christo vnico capite & fundamento ad antichristum defecerit, hæcq; omnia firmis argumentis demonstrauerimus: detrahenda est huic satanæ synagogæ veræ ecclesiæ nomen, & larua, qua multos mortales decepit, fefellit, & in errorem induxit.

CAP. VI.

In quo refelluntur Bellarmini argumenta, quibus ille ad Romanæ ecclesiæ stabiliendam authoritatem abusus est. Eius duæ sunt partes: In prima docet non esse certas nec proprias ab ipso allatas ecclesiæ notas: In secunda, easdem apud ecclesiam Rom. non haberi.



VT his rationibus occurrant, arcemq; pontificiæ dignitatis ruentem suffulciant, multa moliuntur pontificij. *Bellarminus* copias suas tribus firmatas subsidiis opponit. Primò enim negat veras esse, quæ à nobis afferuntur, ecclesiæ Christi notas: secũdò alias ipse notas comminiscitur: tertio loco ex notis à se allatis Romæ veram esse Christi ecclesiam argumentatur. Qua in re (quod veterani milites facere solent) obliquis ictibus telorum nostrorum impetum frustrari, & vt astuti duces non in frontem aciei, sed in latus incurrere voluisse videtur. Omnem enim de sacris literis, & vera fide, & syncero cultu diuino contentionẽ in qua vis est omnis nostræ rationis, & veræ ecclesiæ ratio posita, declinauit, & in hanc prolixam de notis, seu potiùs notulis ecclesiæ disputationem erupit, ne prorsus pugnam detrectasse videretur. Sed his fraudibus à nobis occursum est. nam notas à nobis allatas veras esse refutatis ipsius obiectiunculis confirmauimus: quæ autem nunc supersunt duo ab ipso posita suæ causæ fundamenta, ea nunc convellemus. demonstrabimus enim incertas, & improprias esse ab ipso allatas notas; deinde qualescunque sunt, ad ecclesiam Romanam malè illas accommodari,

Ex *quindecim notis cognosci posse ecclesiam Catholicam putat Bellarminus:* nempe ex *nomine, antiquitate, duratione, vniuersalitate, episcoporum successione, consensu cum ecclesia antiqua, vnione membrorum & inter se, &*

cum capite, sanctitate doctrinæ, & eiusdem efficacia, episcoporum & authorum sanctitate, miraculorum gloria, lumine prophetico, confessione aduersariorum, fœlicitate perpetua defensorum, & hostium eiusdem infœlici exitu. Quæ quidem argumenta licet numero & specie splendidiora sunt, quàm quæ eius maiores attulerunt; vnam tamen & eandem habent rationem cum ijs quæ ab illis plus millies in aciem producta, plus millies euersa, & dissipata sunt. Sed[1] quoniam toties disiectas suas reliquias colligere, & adornare voluit; ostendemus non maiorem vim in his, quam in alijs esse. Nam nec aliæ sunt, quam Iudæi olim cum à lege defecissent, ad suæ ecclesiæ defensionem attulerunt: nec ex rebus externis res verè cognosci poterunt.

[1] Non esse certas, & proprias, quæ à Bellarmino afferuntur, ecclesiæ notas.

Iudæi se tanquam populum Dei venditabant, nomenq; Israelitarum memorabant: repetebant ab[2] *Abrahamo* vsq; origines suas. Christi novitas præ[3] *Abrahami* & prophetarum antiquitate illis sordebat. Politeiam Mosaicam semper durasse,[4] *Christi verò doctrinam nuperam habuisse originem putabant:* omnes præterea viros prudentes & doctos, & vniuersam gentem Iudaicam *Mosis* legi adhærere, *in Christum neminem credere nisi turbam perditam, &*[5] *homines viles & abiectos*: habere se continuam ab *Aarone* vsque ductam successionem pontificum, & promissionem non discessuram à sacerdotis labijs scientiam: consentire se etiam cum *Abrahamo*[6] & *Mose*, eandemq; seruasse legis disciplinam: conspirabant ferè vnanimes adversus Christum, eiusq; Euangelium: & cum summo pontifice, & sacerdotes & populus ad[7] Christum crucifigendum, & Apostolos cædendos consenserunt: nec vllam doctrinam lege *Mosis* putarunt aut sanctiorem, aut præstantiorem; nec maiore veneratione vnquam Romana ecclesia suos pontifices, quàm illi suos[8] prosecuti sunt summos sacerdotes. Miracula etiam crebrò iactabant, & se[9] manna in deserto pastos, & per mare transijsse, & ad se præterea & legem & prophetias & templi cæremonias spectare dicebant. Solentq; Iudæi etiam aduersariorum suorum vt *Nebuchadnezzari*, & *Cyri*, & *Darij*, & *Alexandri*, & *Ptolomai*, & aliorum etiam à religione Iudaica alienorum confessione superbire. Nec aliorsum accipiunt aut principum res prosperas, aut calamitates, quàm quòd suam ecclesiam aut defenderent, aut oppugnarent. erunt igitur tunc Iudæi ecclesia Dei orthodoxa, si ex his notis ecclesia æstimanda sit.

[2] Iohan. 8.
[3] Ibidem.
[4] Iohan. 6.
[5] Iohan. 7. 48.
[6] Iohan. 9.
[7] Act. 4. & matt. 27.
[8] Deut. 17. Ioseph.
[9] Iohan. 6.

Præterea ex rebus internis, & causis omnis veræ cognitionis, & scientiæ ratio oritur. Is enim *demum quid rectè*[10] *scire dicitur, qui ex causis illud cognoscit. fœlixque dicitur, qui potuit rerum cognoscere causas. Qui autem ex rebus externis, & sensibus subiectis cognoscit, non ille veram, sed sophisticam &*

[10] ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον τὸν κατὰ συμβεβηκὸς ὅταν τὴν αἰτίαν, οἰόμεθα γινώσκειν δι' ἣν τὸ πρᾶγμα ἐστὶ καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. Aristot. analyt. post. 1. c. 2.

& incertam habet, vt inquit Philosophus, *notitiam. Ex rebus enim*[1] *externis, & sensui subiectis solis, ad rei certam scientiam peruenire nemo potest.* veritas enim in profundo demersa est, sensus autem imbecilli sunt, & in externa specie, quæ plerunque falsa est, versantur. Quare siue de vniuersali Ecclesia, siue de particularis Ecclesiæ vera natura sermonem instituit *Bellarminus:* non potest illa ex rebus externis, & sensui notis certò cognosci: *Vniuersale enim sensui subiectum non est,*[2] *nec sensu percipi potest:* valdéque portentosas loquendi formas inducunt pontificii, cum eandem dicunt *Ecclesiam catholicam, & visibilem.* vniuersalia enim in mente sunt: eadémque certissimè non ex sensu, sed ex ratione & definitione, quę non nisi res in natura complectitur inhærentes, cognoscuntur. Neque particulare aliquod obiectum ex rebus externis verè cognoscitur. Habuit quidem[3] *Iulius* tertius barbam promissam, nasum prominentem, oculos distortos, faciem subagrestem, fuítque statura satis procerus. *Pium* verò 4 aiunt nasum habuisse rubrum, frontémque concameratam, capútque *instar*[4] *cucurbitæ* crassum, & oblongum, pedésque articulari morbo laborantes: nemo tamen ex hac externa specie, illorum mores inquinatos, & insignem mentis stuporem cognoscere potuit. quî igitur magis possumus ecclesiæ Romanæ quàm eius capitis naturam ex rebus externis cognoscere? Sed quid ego alia rationum contra has notas præsidia quæram, cum ipse *Bellarminus* propria sententia illas euertat, nec maior nobiscum cum *Bellarmino*, quàm ipsi secum contentio sit? *Illas enim tantum*[5] *dicit esse Ecclesiæ notas, quæ primò propriæ sunt, & non communes; & deinde semper adsunt; nec vllo tempore separantur; & denique quæ clarè Ecclesiam nobis ante oculos constituunt.* Et hoc proprium esse[6] Philosophi consentiunt, *quod & in sola, & omni specie, & semper inest.* At huius generis nec nomen est Ecclesiæ Catholicæ, nec antiquitas, nec duratio, nec vniuersalitas, nec reliquæ à *Bellarmino* allatæ notæ, vt seorsim per singulas circumducta oratione demonstraturi sumus.

Primùm ex nomine Ecclesiam, tanquàm ex propria nota cognosci dicit *Bellarminus:* Ineptè sanè & sophisticè. *Est enim hic argumentandi modus imbecillus, &*[7] *sophistarum ingenijs maximè accommodatus, qui à nominibus aucupantur conclusiunculas suas.* Nomine ille fortasse Catholicæ Ecclesiæ, quam isti nulla ratione sibi vsurpant, addere voluit Ecclesiæ suæ aliquid dignitatis. Sed *vt*[8] *pulchra sunt quæ naturalem, & insitam habent pulchritudinem: sic qui adulterinam adhibent comam, & fucis & calamistris se concinnant, non illi pulchritudinem commendant, sed ascititio ornatu insitam celant turpitudinem.* Ecclesiæ Catholicæ nomen non semper Ecclesiæ competebat. fuit enim quoddam tempus cum *Palæstinæ* finibus, & in populo

1 δι' αἰσθήσεως οὐκ ἔστιν ἐπίστασθαι. Arist. analyt. post. 1. 24.

2 τὸ δὲ καθόλου καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἀδύνατον αἰσθάνεσθαι. Aristot. analyt. post. 1. c. 24.

3 Onuphrius.

4 *Come vna zucca.*

5 De notis Ecclesiæ c. 2.

6 τὸ κυρίως ἴδιον ἐστὶ ἐφ' ὃ συνδεδράμηκε καὶ τὸ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί. Porphyr. Isag.

7 ἐλέγχων τόπος εὐφυέστατος καὶ δημοσιώτατος ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων. Aristot. Elench. 1. c. 1.

8 καλοὶ οἱ μὲν διὰ κάλλος, οἱ δὲ φαίνονται κομμώσαντες ἑαυτούς. Arist. Elench. lib. 1. c. 1.

pulo *Iudaico* ecclesia inclusa Catholica locorum respectu nec esset, nec diceretur. In scripturis quidem sacris hoc nomen nusquam extat ecclesiæ tributum. Ne Christi quidem temporibus Catholica Ecclesia dicebatur. Adhuc enim Apostolicę prædicationis sonus in uniuersam terram non exierat. Non igitur semper competebat hæc nota Ecclesiæ veræ,

Præterea nec soli conuenit hoc Christi ecclesiæ, vt eius ciues Catholici dicantur, & ecclesia. Nam & hæretici seipsos, & *Pagani* etiam hæreticos inter Christianos numerabant, idque *maximo cum Ecclesiæ probro & scandalo*, vt de *Carpocratianis*, & *Cerinthianis* [1] *Epiphanius*, & [2] *Clemens Alexandrinus* memoriæ prodidere. *Omnes* (inquit [3] *Augustinus*) *hæretici se Catholicos dici volunt*. Scribit etiam [4] *Lactantius*, *singulos quosque cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam opinatos. faciunt* (inquit [5] *Tertullianus*) *& vespæ fauos, faciunt & ecclesias Marcionitæ.* [6] *Nouatiani simiarum more cum ecclesia non essent; tamen propter nonnullam similitudinem sibi nomen ecclesiæ vendicabant.* Hocque *in more positum docet* [7] *Irenæus*, *vt hæretici cum à veritate defecerint, veritatis tamem nomen amplectantur*, & se *vt veram Dei ecclesiam venditent.* [8] *Donatistæ* autem adeò pertinaciter de Ecclesiæ nomine digladiabantur, *vt alijs exclusis, illud sibi solis tanquam proprium arrogarent.* Quam etiam superbiam in hęreticis quibusdam, *qui se Apostolicos dicebant fuisse*, Author est [9] *Bernardus: iactant* (inquit ille) *se esse successores Apostolorum, & se Apostolicos nominant: Séque dicunt ecclesiam.* Imbecillum igitur est, quod à nomine ecclesiæ ducitur argumentum. Nam quod affert [10] *Bellarminus* ex *Cyrillo*, *Augustino*, & *Paciano*, qui Catholicæ ecclesiæ nomen asserunt, ad veram tantum ecclesiam pertinere, nihil contra nos facit. nam quantumuis fuerit illud ecclesiæ proprium: illud tamen sibi hæretici, ut ante demonstraui, vendicant: & propterea notam esse ecclesiæ quum hæreticis commune sit ex vulgari apud illos sermone, negamus. Ne longiùs abeamus, ipsi nobis argumento sunt pseudocatholici, qui cum nihil sint minus, quàm Catholici, vtpote qui à Catholica fide, quæ patrum priscorum ætate floruit, discesserunt: nomine tamen ecclesiæ catholicæ assumpto homines imperitos ludos faciunt.

[1] εἰσὶ δ' ἐκ τοῦ σατανᾶ παρεσκευασμένοι, καὶ προβεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον ἐκκλησίας: Epiphan. lib. 2. tom. 1.
[2] Lib. 3. Strom.
[3] Contra epist. fundam. c. 4.
[4] Lib. 4. diuin. instit, cap. 30.
[5] Lib. 4. contr. Marcion. c. 5.
[6] Cyprian. in epist. ad Iubaian.
[7] Lib. 5. aduers. Valent. & August. vbi supr.
[8] Augustin. de vnit. eccles. c. 12.
[9] Bernard. ser. 66. in Cantic.
[10] De not. eccl. cap. 4.

[11] Antiquitas non est certa ecclesiæ nota.

[11] Antiquitas verò non semper argumentum erat verę ecclesiæ, nec ad solam ecclesiam veram pertinet. fuit enim in primordijs mundi recens ecclesia, & *Adami* temporibus sua habuit quasi prima incunabula. Temporibus verò *Mosis* lege lata nouam tunc ecclesia formam accepit, eiusque formam Christus suo aduentu renouauit, etátque Euangelij propagatio ætate Apostolorum planè noua. Religionis ideo authoritatem [12] *Arnobius*, *non tempore æstimandam censet, sed numine. Nec enim quo die* (inquit

[12] Contr. Gent. Lib. 2.

quit ille) *sed quid colere cœperis intueri conuenit, quod verum est serum non est. Hæreses* (inquit [1] *Tertullianus*) *non tam nouitas quam veritas reuincit, quodcunque contra veritatem sapit, hoc est hæresis, etiam vetus consuetudo.* Ne ipsi quidem [2] Canones Pōtificij negant *consuetudinem sine veritate esse vetustatem erroris.* Et licet nunc Christiana religio longa temporis præscriptione confirmata fuerit, tamen non hoc tantùm veræ religioni, sed & errori conuenit. Duæ ciuitates Dei, & diaboli antiquitùs cœperunt. Diabolus mendax fuit, & homicida ab initio. Primogenitus erat *Adami Cain:* Ecclesia tamen in *Abele, Setho,* & eius posteris mansit. *Iudæi* ab *Abrahamo* orgines suas repetebant: erat tamen in Christo, & eius discipulis vera ecclesia. Idololatriæ origo valde antiqua est: nunquam tamen præscribere potuit contra veram Religionem. Papismo certè & *Arriana* hæresis & *Mahometis* blasphemia tempore prior est. *Arrianámque* sectam *Theobutes, Simon,* & *Carpocrates* longè præcesserunt. Antiquitatéque non minus olim hæretici, quam nunc pseudocatholici, pugnabant. *Ego* (inquit [3] *Dioscorus*) *habeo sanctorum patrum Athanasij, Gregorij, Cyrilli testimonia in multis locis: ego cum patribus eijcior, ego defendo patrum dogmata, non transgredior in aliquo: & horum testimonia non simpliciter neque transitoriè, sed in libris habeo.* Similiter iactabat [4] *Eutyches* se legisse scripta beati *Cyrilli,* & sanctorum patrum, & sancti *Athanasij. Arriani* [5] etiam, dogmatis sui *Origenem* astipulatorem, & testem citabant. Alij hæretici fidem se *Niceni* Concilij profiteri [6] contendebant. Non potest igitur antiquitas esse nota Ecclesiæ; primò, quia separatur nonnunquam à vera Ecclesia: secundo, quòd eadem alijs sectis conuenit.

Est etiam & alia ratio ab obscuritate huius notæ ducta. Multa enim videntur [7] noua, & inaudita; quæ tamen vetera sunt. *Celso* & Paganis religio Christiana noua, & peregrina videbatur. Neque alio nomine *Iudæos Haman* in odium inducere conabatur, quam *quòd* [8] *nouas quasdam haberent Leges:* Quæ tamen erant antiquissimæ. Christi doctrinam Pharisæi, vt nouam despexerunt. Vulgóque omnes eandem vt cælo nuper delapsam admirabantur. Hoc nouitatis conuitio Apostolus ab *Atheniensibus* exceptus est. Illi enim vt [9] nouorum dæmonum nuntium, & nouæ [10] doctrinæ præconem contemnebant. *Nouitatem* (inquit [11] *Bernardus*) *dico propter linguas hominum impiorum, qui cum manifestum lumen obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur. Sed hæc nouitas non est nouella vanitas: res est enim antiqua religionis, perfectè in Christo fundata pietatis, antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei.* Christus de mutua dilectione doctrinam [12] *nouum mandatum* dixit, licet reuera esset antiquissimum; similiter & pactum cum patribus stabilitum, Nouum

[1] De virginib. veland.
[2] Dist. 8. c. consuetudo & c. si. &c. veritate.
[3] Concil. Calced. Act. 1.
[4] Ibidem.
[5] Socrat. lib. 4. c. 26.
[6] Concil. Cal. act. 4.
[7] νέα καὶ ξένα.
[8] Hester c. 3.
[9] ξένων δαιμονίων καταγγελεύς.
[10] ἡ καινὴ αὕτη διδαχή. Act. 17.
[11] De vita sol. t.
[12] Iohan. 13.

Nouum [1] Testamentum appellat, licet ab Adamo vsque eius prima duceretur origo.

Multa etiam licèt recentia sint, tamen videntur nonnullis antiqua. [2] *Numa* religio *Romanis* prisca videbatur, erat tamen vera religione multo recentior. Idololatriam antiquitate defendebant Pagani, vt est apud [3] *Arnobium:* & *Iudæi* eandem **pari iure tanquam à patribus traditam amplectebantur.* Multò tamen antiquior erat verus Dei cultus. Romanæ ecclesiæ religio multa habet quæ istis antiqua videntur, quę tamen non ita pridem recepta sunt. Romanæ ecclesiæ prærogatiuam super alias ecclesias repetunt à *Petro:* [4] *Pius* tamen secundus *temporibus Nicenæ Synodi, non adeo magnam eius ecclesiæ authoritatem fuisse ingenuè fatetur;* omnésque norunt & eius originem, & progressum, nósque iam diximus, vnde fluxerit. Cœpit à *Phoca:* paulatim incrementum habuit: armis tandem & diris plenum robur adepta est. [5] *Barbatius* a iure divino valde magistraliter Cardinalium originem repetit. Scriptum est [6] enim (inquit ille) *Domini sunt Cardines terræ.* [7] *Panormitanus* per sacerdotes Leuiticos, *dicit Papam intelligere Cardinales.* [8] *Copum* huius tantæ Cardinalium antiquitatis cum puderet, quæsiuit ille in sancto *Hieronymo* Cardinalitij *galeri* originem. Sed citiùs ille nodum in scirpo inuenisset. fuit enim ille, vt ex ipsius scriptis constat, nec valde locuples, nec lautus; illíque deliciæ erant eremus & libri; his conuiuia, vina, otium, venus. [9] Cardinalium originem alij à *Pascali 2* ducunt, alij multò faciunt recentiorem. Cardinalium autem pompa, & luxus nisi nuper natus est. *Monachatus* originem *Hosius* primò ad Christum authorem refert, deinde ad *Eliam* & *Elizæum.* Mendacio enim nihil inconstantius. At hic per vrbes Monachatus nouus est, & quasi hesterno die natus. Missam eiúsque omnes partes *Saturno* nonnulli antiquiorem faciunt. Pontifex [10] Romanus omnes eius partes à Christo & Apostolis deriuat: cum tamen constet Latiales *Ioues* qui nunc in *Vaticano* regnant, eam omnem membratim, articulatímque non ita pridem efformasse. Vniuersas Romanæ ecclesiæ consuetudines *in administratione Sacramentorum, cultu imaginum, indulgentijs Papalibus, & huiusmodi alijs ritibus* [11] *Lindanus ad Apostolica tempora, & veterum traditionem refert, illámque doctrinam flagitiosa impudentia appellat verè Euangelicam,* cum tamen & historici, & patres multò recentiorem testentur esse earum rerum originem. Doctrinam Rom. ecclesiæ licèt eam nobis propter magnam antiquitatem commendent, tamen qui scholasticam *Thomæ*, & aliorum, & præcipuè *Tridentini* Concilij doctrinam cum scripturis, & patribus comparabit, reperiet esse nouam & priscæ ecclesiæ inauditam. Cum igitur propter hominum infirma & fluctuantia iudicia, aliud alij, & sæpe vni idem,

[1] Matt. 26.
[2] Varro.
[3] Lib. 2.
*Ierem. 44.
[4] In epist. Æneæ Syluij.
Polyd. de inuent. lib. 4. ca. 9.
[5] de Cardinal. ad Bessarion.
[6] 1. Reg. 2.
[7] In cap. per venerabilem. qui filij sunt legitimi.
[8] Dial. 2.
[9] Plat.
[10] C. cum Marthæ. de celebrat. Miss.
[11] Epit. doctr. euangel. tab. 8.

idem, nonnunquam nouum, nonnunquam vetus videatur, multáque noua vetera, & vetera noua peruersè iudicentur; non erit ex antiquitate veritas pendenda. At inquit *Bellarminus, prius seminatum legimus fuisse bonum semen, quàm zizania, & ecclesia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit: & Apostolica, quia fundata ab Apostolis.* Quasi vero non esset ecclesia illa nuper nata, & noua, cum primùm bonum semen seminatum esset, & cum primò fundamenta ecclesię iacta essent. at inquit ille, *semen bonum erat prius, & Apostolica prius audita est vox, quàm vigere cœpit hæresis.* Esto. nam hoc si nihil aliud, at Romanæ ecclesiæ docet deprauatio. Nam priùs ibi audita est *Pauli* Euangelica doctrina, ex qua tanquam ex bono semine multæ enatæ sunt fruges. Has autem rubigo Romanæ ecclesiæ nunc corrupit, eámq; doctrinam illa nomine tantùm tenus seruat, sed quia quid sit prius, aut posterius non semper homines discernunt; ideircò ex veritate æstimanda est antiquitas. *Christus,*[1] inquit *Ignatius, mihi antiquitas est.* quare si antiquitatem Apostolicam intelligit, eadem est cum illa[2] veritate, cui nos primas concedimus. *Illud enim verius,* vt inquit *Tertullianus, quod prius, illud prius, quod ab initio, id ab initio quod ab Apostolis est.* Sed aliam ille intelligit antiquitatem, nempe Rom. ecclesiæ cõsuetudinem. de hac dicimus & nos, quod olim[3] *Augustinus* ethnicis respondebat: *antiquitatem, & consuetudinem non praiudicare veritati.* si aliter sentit *Bellar.* cur non ostendit quod inter suos Pontificij cõfidenter iactant, *missam & superstitionem Rom. ecclesiæ ab Apostolis profectam?* cur, inquam, non docet missam suam, & religionem ecclesię Rom. esse inter bona semina, & non potiùs inter zizania? nisi posthac docuerit, nos hæc noua ecclesiæ Rom. dogmata inter zizania numerabimus, & Pontificios ex illius existimabimus maleuoli hominis stirpe esse, qui patrefamiliâs dormiente zizania in agris sparsit: nisi fortè illo sint hoc deteriores, quòd non contenti errores spargere, bonas fruges ferro exsecuerunt, vi oppresserunt, omniq; fraudulentia, quãtum potuêre eradicarunt.

[1] Ad Philadelph.
[2] Tertul. lib. 4. Con. Marc.
[3] August. in quæst. noui & vet test. quæst. 144.

Nec ex[4] duratione quidem ad veræ ecclesiæ notitiam magis, quã ex antiquitate prouehimur. duratio enim nihil aliud est, quàm temporum continuatio, seu eius quod antiquũ est per temporum seriem productio. semper quidem duratura est ecclesia. fundata est enim *in Petra immobili Christo Iesu:* nec aduersus eam vel tyrannis hominum, vel hæreticorum fraudes, vel diaboli malitia præualebit. eam enim Christus regit, & sua potentia fouet, & sustinet. quod igitur nobis de eius duratione dixit *Bellarminus,* frustrà dixit. eam enim & scimus, & tenemus: non tamen ex locis ab illo allatis. nam verba hæc; *regnum in æternum non dissipabitur, quæ ex Danielis* Prophetiæ capite nono citat, *nulla ibi sunt.* nec in 7 quidem *Danielis,* aut

[4] Durationem non esse ecclesiæ catholicę notam.

primo *Lucæ* capite. ex *Daniele* quidem & *Lucæ* Euangelio constat regnum Christi ęternum fore; sed illud potiùs respectu Ecclesiæ cum Christo triumphantis, quam in terra militantis dicitur. hæc enim militia non erit æterna, sed vnà cum mundo tandem finietur, vt vnà cum Christo victoriæ fruamur bonis. ille autem bonus monachus præ mentis stupore, & tarditate extra huius mundi corruptibilis fines, vbi eius voluptas collocatur, euolare non potuit. locus autem ille quem citat ex *Actorum 5 De non dissoluendo diuino consilio*, potiùs ad diuinam omnipotentiam stabiliendam, quam ad ecclesiæ durationem probandam facit. sed vt semper duret ecclesiæ, non tamen erit duratio ecclesiæ nota. nam fuit quoddam tempus cum ecclesia non multum durauerat: vt in prima mundi creatione. data etiam lege, noua accessit ecclesiæ forma quam antea non habuit. & Christi temporibus Euangelio promulgato cum Apostoli eius sonum in vniuersum mundum differre cœpissent, non multum durauerat Christiana religio. præterea non ita durat ecclesia, quin magnas quandoq; patiatur mutationes, & calamitates. peregrinata quandoque est ecclesia in *Abrahamo* ipso *Canaan* incolente: deinde errauit in deserto. in defectione verò decem Tribuum, & idololatria regum *Iudah* magnopere decolorata est religio; maximè vero cum euerso Templo, & cessantibus cæremoniis *Iudæi* in *Babylonem* translati essent. sub Christi aduentu licèt externa vigeret quodammodo ecclesiæ facies; exiguæ tamen erant fidelium reliquiæ. Apostolus *magnam quandoque futuram à* [1] *Christo defectionem* vaticinatur: & Christus adeo rarum, & exiguum futurum prædicit sub ipsius aduentū credentium numerum, vt *in terra* [2] *fides vix reperiri queat*. Tertiò non est adeò ecclesiæ peculiaris hęc durationis proprietas; quin & aliæ etiam societates & sectæ diutissimè durarint. politeiæ Ciuiles aliquæ semper fuerunt in mundo, semperque futuræ sunt. cultúsque Idololatrici antiquissima origo est. nimiumque, proh dolor, durarunt sectæ *Arriana* & *Nestoriana*. multùm tamen inter Ecclesiam & Politeiam, inter veram Religionem & religionis pestes & labes interest. Denique si esset duratio argumentum ecclesiæ, actum esset de ecclesia Rom. nam nec diu est, ex quo cœpit; neç in finem fortassè durabit Papismus. multæ enim eius Ecclesiæ labes recentem habent originem, discussisq; per magnam *Europæ* partem Pontificiæ superstitionis tenebris, in angustos *Italiæ*, & *Hispaniæ*, & nonnullos *Germaniæ*, & *Galliæ* fines redacta esse videtur; veritásq; tandem errores omnes Pōtificios profligabit. caueat igitur *Bellarminus* ne in hac nota pedem fortius figat, ne quæ iam labascere cœpit, & nutare, tam infirmo innixa fundamento breui ruat & prolabatur.

1 2. Thess. 2. & 1. Tim. 4.

2 Luc. 18.

3 Multitudinem non esse notam veræ Ecclesiæ.

Quod autem infit [3] *Bellarminus* multitudinem & amplitudinem notam esse

esse, ex qua vera ecclesia à falsa distingui possit, non modò falsum est, sed valde admirabile. *Via est enim ardua,* [1] *& porta angusta quæ ad vitam ducit, & pauci illam insistunt, & ingrediuntur. grex verò Christi* [2] *pusillus dicitur.* & ecclesia inde dicitur, *quod è promiscua turba euãgelij sono fideles euocati sunt.* Diu in *Canaan* errauit in familia *Abrahami* ecclesia. in *Ægypto* dura premebatur seruitute, in deserto quasi ab oculis hominum subducta latuit. ecclesię soboles [3] *Eliæ* temporibus adeò extincta ipsi videbatur, *vt se solum relictum putaret.* Christo in terris agente vera ecclesia intra paucas familias continebatur. post Christi verò euangelium promulgatum magna temporibus *Constantij* Imperatoris, ad *Arrij* hæresin defectio facta est. ingemuit orbis Christianus factum se videns *Arrianum.* temporibus verò persecutionum latuit in syluis, & montibus ecclesia. dum autem in Soracte delitesceret *Syluester*, & reliquiæ per vrbem ecclesiæ dissipatæ essent: vbi erat illa quam isti fabulantur multitudo? vbi erat illud auro & gemmis fulgidum, & radians non ecclesiæ, sed synagogæ Romanæ caput? propter hanc defectionem *lunæ ecclesiam comparat Augustinus.* nam nonnunquam pleno orbe, nonnunquam exiguo sinu lucet. comparatur *Sara*, quia sterilis: & adumbratur in illa fœmina quæ fugit in desertum. Christus cum tandem *mundum veniet iudicaturus, vix fidem in terra inueniet. tunc fides* (inquit [5] *Ambrosius*) *rara, vt quasi addubitans dominus ista dixerit. aliquando* (inquit [6] *Augustinus*) *in solo Abel ecclesia erat, aliquando in solo Enoch.* Fatetur etiam & *Abbas* [7] *Panormitanus* (ne omnes istos excutere putemus) *in vnius fide posse ecclesiam consistere.*

[1] Matth. 7.
[2] Luc. 12.
[3] 3. reg. 19.
[4] Luc. 18.
[5] in Luc. lib. 10.
[6] in Psal. 128.
[7] in c. significasti de electione.

Vbi igitur consistet hæc multitudinis ratio? aut qui possumus ex amplitudine, & multitudine quæ vera sit ecclesia dignoscere; præsertim verò si verè existimare velimus? *via enim quæ ad interitum ducit lata est; & porta patens, & spatiosa, multique per illam ingrediuntur.* [8] *multi præterea vocati, & pauci electi:* & in exteram ecclesiam insiti, ecclesiaq; ex paucis è multitudine euocatis consistit. propterea vir sapientissimus, non, vt isti, ad sequendam multitudinem inuitat, sed *vetat sequi multitudinẽ.* hinc dicit *Chrysostomus omnia* [9] *esse confusa quod velut in theatris multitudo quærebatur, non autem probata multitudo.* & propterea *quædam ibi dixit, ne quis miretur ecclesiam propter multitudenem.* eius stultitiam reprehendit [10] *Athanasius, qui persuasus erat in magnitudine vrbium religionem esse sitam.* sed quid aliorum imploremus fidem, aut testimonium, cum luctuosa & deformata, heu, orientalis ecclesiæ facies, non multitudine sed paucitate potiùs ecclesiam noscendam præbuerit? vniuersa enim iampridem *Asia*, & *Africa*, & magna etiam *Europæ* pars, à Christo ad

[8] Matth. 20.
[9] Chrys. hom. ad pop. Antioch. 26
[10] Athanas. in apol. 2.

Mahometem, & impudentissimas eiusdem blasphemias defecit. quæ autem superest exigua præ reliquis orbis terrarum pars, partim superstitione, partim impietate, partim somnolentia, & ignorantia iampridem laborare videtur. si igitur ex amplitudine coniectura facienda fuerit; erit potius secta Mahometica quàm Romana synagoga, ecclesia: eritq; potius in confusa multitudine, quàm in ordinata, & rectè constituta ciuitate Dei, ecclesia. multitudo igitur ecclesiæ nota non erit. primò quia ecclesia sæpe in paucis consistit, deinde quia multitudo maior est malorum, & improborum, deniq; quia falsa religio ampliora occupauit spatia, quàm vera. neq; quicquam magis aduersatur pontificiis quàm ecclesiæ catholicæ definitio. nam si ea sit[1] *catholica quæ semper, & vbiq; fuit, & per omnes gentes permanauit*, non erit ecclesia Rom, catholica, & vniuersalis; nec tanta erit Rom, ecclesiæ quantam isti volunt amplitudo. Nam licèt maximè isti insaniant, nunquam tamen, credo, affirmabunt, omnium temporum, locorum, & hominum ecclesiam, aut pontifici Rom. subiectam fuisse; aut hanc decretalinam, & scholasticam Rom. ecclesiæ fidem amplexam esse. nam nec ecclesia ante Christum, nec orientalis, aut *Africana* ecclesia post Christum pontifici Rom. subiecta erat, aut quicquam habuit cum illa fide commercij. Præterea hac suæ ecclesiæ amplitudine, quod maximè illis cauendum est, ecclesiæ catholicæ visibilitatem euertunt, neq; enim est, nec fuit quisquam, nec (vt futuros etiam nouos Rom. parituræ ecclesiæ fœtus complectar) futurus est, qui omnē quæ semper fuit, aut vbiq; est ecclesiā videre possit. imò fuerit *Bellarminus* Argo oculatior, aut instar *Francisci Bernardonici* ad summas rupes, imò ad summam crucem sublimis sine pennis feratur: nunquam tamen vno illam intuitu videre poterit. quod autem Psal. 2 dictū est, *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: & Psal. 71 *Dominabitur à mari vsq; ad mare*; non probat amplitudinem notam esse ecclesiæ. nam hæ prophetiæ post euangelij prædicationem complendæ erant, nimirum quando sonus euangelij apostolorū ministerio ad extimos terræ fines peruenturus erat: ad ecclesiam *Iudaicā*, quæ certis locis definiebatur, non pertinebant. præterea non tam ad externam illæ ecclesiæ formam de qua agitur spectant, quam ad vniuersam ecclesiæ Christi, quæ ex gentibus colligenda erat, multitudinē. deniq; non impedientibus hisce vaticinijs, videmus semper plures extra ecclesiam quàm in ecclesia fuisse. adeò vt errent necesse sit, qui ex multitudine ecclesiam metiuntur.

Accedo nunc ad arcem Pontificiorum, in qua ex aperta acie reiecti, pugnam redintegrant, pontificum Rom. intelligo[2] successionem; illi, licet nullus dixero, facilè per se, cū dico arcē, intelligunt. hoc volunt esse argumentum

[1] Vincent. in Cōmonitor. & Augustin. de vnit. eccles. c, 6.

[2] Successio Rom. episcoporum non est ecclesiæ nota.

mentum veritatis, hanc omnes affirmant esse notam ecclesiæ. sed plurima aduersantur, primò enim non semper habuit ecclesia Christi hanc notam, nam episcoporum Rom. post Christum demum cœpit successio. ante legem verò latam, nulli erant præcipua aliqua lege constituti sacerdotes, sacerdotium enim legitimum ab *Aarone* incepit, multę prætereà ecclesiæ temporibus persecutionum, & dum grassarentur hæreses, nullam habuêre visibilē Episcoporum successionem, vt *Africana* grassantibus per *Africam Gothis*, & in *Hispania* & orientali ecclesia occupātibus omnia *Sarracenorū* annis, secundò, hæretici habent externam successionē, & etiamsi non habeant: eam tamen prætendunt, & iactant. à *Simone Mago* (inquit [1] *Vincentius) vetus ille turpitudinum gurges, vsque in nouissimum Priscillianum, continua & occulta successione manauit*. & de Apostolicis hæreticis scribit [2] *Bernardus, iactasse illos, se esse Apostolorum successores*, Ecclesia Constantinopolitana vsque in hodiernum diem, per multos [3] Episcopos ducit episcopalem ab Apostolis vsque successionem. similiter Ecclesia *Hierosolymitana, Antiochena* & *Alexandrina* per annos 500 sine interruptionē continuam habuit successionem Episcoporum. si igitur tanta sit externæ successionis vis; cur non & illæ veræ essent Ecclesiæ? dicunt isti multos in illis locis sedisse *Arrianos, Nestorianos, Eutychianos*, & aliis hęresibus infectos, sed non animaduertunt hac responsione suam se causam iugulare. nam si doctrinæ successio præcipuè attendenda sit, nec tantùm valeat externa successio, vt Episcopos ab hæresi illibatos seruare possit, sequetur quod nos dicimus, non nauci esse hanc externam successionem faciendam, nisi simul retineatur fidei sana forma.

[1] Vincent. Lirin. aduers. hæres.

[2] Ser. super cantic. 66.

[3] Nicephor. in catalog.

Tertium argumentum contra hanc externam & personalem successionem ducitur ab eiusdem effectis. nam cùm superiorum fides & sanctitas, ad posteros non transmittatur, nec soleat sanctitas in locis hærere, aut sedibus; quî fieri potest, vt externa alicuius loci successio designet Ecclesiam? externæ certè successionis non est ea vis, quin bonis improbi, sanctis profani, orthodoxis hæretici successerint: vt in *Alexandrina, Hierosolymitana, Antiochena*, & *Constantinopolitana* ipsi fatentur pontificij; & rei euidentia in Romana sede docet. *Paulúsque* Apostolus hoc futurum [4] prædixit, nam *post discessum suum lupos sæuos in Ecclesiam subingressuros dicit, & ex ipsis Episcopis surrecturos, qui peruersam doctrinam disseminaturi essent. dicit prætereà* [5] *Antichristum sublimem in Ecclesia, & Templo Dei sessurum, stellas etiam de cœlo casuras* vaticinatur [6] *Iohannes:* quod nisi de Episcopis, qui vt stellæ in media lucebant Ecclesia, intelligi non potest. *Mahumetani* iam sedes piorum Episcoporum, quoad externam successionem occupârunt in vniuersa Orientali Ecclesia. cathedram non

[4] Actor. 20. λύκοι βαρεῖς μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου.

[5] 2. Thess. 2.

[6] Apoc. 6. 8. & 9.

 sanctificare

sanctificare quoscumque in cathedra Episcopali sedentes insignis Rom. pontificum turpitudo ostendit, non *enim cathedra facit sacerdotem*, vt inquit [1] *Chrysostomus, sed sacerdos cathedram*, nec *locus sanctificat hominem, sed homo locum*. & negat [2] *Hieronymus, sanctorum esse filios*, qui *tenent loca sanctorum*. multi in Romana sede sederunt impuri, multi hæretici. *Platina non homines, sed monstra vocat*. nec vlla singularis huius est, præ cæteris sedibus prerogatiua. nam quod *Petro* dictum est, *aduersus Ecclesiam inferorum portas non præualituras*; ad vniuersam pertinet Ecclesiam. nec magis ad Rom. spectat, quàm ad vllã aliã. quare cùm successionis nulla sit tanta vis, quia possint, qui pijs & bonis viris successerint, in hæresim, & apostasiam incidere: auferant deinceps pontificij hunc de successione sua cauillum.

[1] Dist.40. multi.
[2] Ibidem c.

Nam nec successionis vllum est momentum, nec habent isti continuam illam Episcoporum in Romanæ vrbis cathedra, quam nobis ad rauim vsque prædicarunt, sanam & integram successionem. nam illa quam habent & crebris, & diuturnis vacationibus, & sedis ab vrbe *Roma* translatione, & diuturnis schismatibus, & fœminea eius sedis occupatione, & hæreseôn colluuie, & episcopalis muneris cessatione, & Antichristi demùm ingressu, vt suo loco ostendemus, interrupta est, prorsúsque cessauit.

Ne causa quidem illa cuius gratiâ hanc Episcoporum successionem necessariam dicunt, aut probabilis est, aut vera, idcircò enim dicunt eam esse necessariam, quia præter Rom. Pontificem, & qui ab illo causam habent, nullus nunc ordinandi habeat potestatem. quod quidem quantumuis Romani Pontifices sibi arrogent, eóque nomine omnes Occidentalis Ecclesiæ Episcopos iuramento, & legibus suis sibi alligarint: tamen nec verum est, nec honestum, nec ferendum, nec lege vlla diuina, aut Ecclesiastica, si hamos Pontificios exceperis, constitutum fuit. hæc enim potestas ordinandi omnibus Apostolis, & Apostolorum successoribus concessa est. nam cum potestate Euangelium prædicandi, & alios etiam sibi in eo munere successores ordinandi, ius acceperunt. ordinarunt itaque *Paulus* & *Barnabas* presbyteros in *Asiaticis* Ecclesijs, *Titus* in *Cretensi*, *Timotheus* in *Ephesina* Ecclesia. ipséque *Timotheus* à *Paulo* ordinatus, alios etiam constituit in *Asiaticis* Ecclesijs presbyteros, nullo interueniente à *Petro* mandato, aut potestate. Ecclesiastica lege [3] omnibus Episcopis ordinandi potestas permissa est. ordinabántq;, & in *Asia*, & in *Africa*, & *Europa* sine Rom. Episcopi assensu, aut notitia Episcopos. *Africanæ* ecclesiæ, non tantùm vltramarinam ordinationẽ, sed omnem etiam causarũ huiusmodi tractationem lege prohibuerunt. nec hanc quam nunc in episcopis ordinandis Rom. pontifices inuaserunt contra leges tyrannidẽ, vnquã nisi

[3] Can. Apost. 1. & 2.

armis,

armis, ferro, cęde, subactis non tantum imperatoribus, sed conculcatis alijs ecclesijs illi obtinuerunt. sed iuuat lepidam audire *Bellarmini* sine argutijs argumentationem *dicit semper viguisse Apostolicæ cathedræ principatū*. hoc enim dicit [1] *Augustinus*; nec nos multum repugnamus, sed quod inde concludit, *nullos alios habere nunc potestatem ordinandi, nec Augustinus* cogitauit, nec verum est, nec ex *Augustini* dictis sequitur, nam & in ecclesia *Antiochena*, & *Hierosolymitana*, & alijs etiam ecclesijs viguit Apostolicæ ecclesiæ principatus; erant enim Apostolicæ, & ab Apostolis fundatæ & patriarchales sedes. sed non eam sibi singulæ potestatem arrogarunt, quin cęteris & ordinationem, & Patriarchalem iurisdictionem liberam permitterent. nec ea erat tunc temporis Romanæ sedis prærogatiua, quin vt ex eiusdem constat [2] epistolis, Rom. pontifex *potestate ab impetore accepta in causa Cæciliani iudicaret*, & post eius sententiam imperator de integro causam examinaret. Veteres sanè aliorsum successionis episcoporum Rom. meminerunt, quàm isti putant, non enim, vt ab illis episcopatus iura, aut potestatis confirmationem, aut ius aliquod adipiscerentur ad eos confugerunt: sed vt communi ecclesiarum consensu hæreticorum, qui scripturas negabant, improbitatem, & pertinaciam frangerent, & contunderent.

[1] Epist. 162.

[2] Epist. 162. & alijs.

At inquit *Bellarminus*, *multoties memorant, Irenæus, Tertullianus, Augustinus & alij sancti patres hanc Rom. episcoporum successionem*. si personalem tantum, & externam putet, fallitur: si solam etiam eius ecclesiæ successionem memorari putet; etiam in eo fallitur. nec verè existimat, si vel præcipuè eam, & non alias ecclesias pari iure recenseri existimet, maximè verò fallitur si quenquam Patrum hanc externam successionem, notam esse ecclesiæ putasse sentiat. magnam itaque operam, sed inutilem nauauit [3] *Versteganus in Catalogo Rom. pontificum ad Sixtum quintum vsque pertexendo*. nam si ab *Adamo* vsque eorum repetierit origines, nihilo magis efficiet, vt Romæ nunc vera sit ecclesia. neque enim quicunque catalogos contexere potuere episcoporum, propterea orthodoxæ erant ecclesiæ, nec horsum veteres catalogos istos, & successiones, vt dixi recensuerunt, nec vel pili vnius fecerunt hanc personalē successionē, nisi propter orthodoxę fidei, & veritatis continuā defensionē. *Quoniam* (inquit [4] *Irenæus*) *valdè longū est in hoc tali volumine omnium ecclesiarū numerare successiones, maxima, & antiquissima, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ, & cōstitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis traditionē, & annuntiatā hominibus fidē per successiones episcoporū peruenientem vsque ad nos indicantes, cōfundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentiam malā, vel vanam gloriā, vel per cæcitatē & malam sententiam, præter-* quam

[3] In speculo suo confracto.

[4] Lib. 3. c. 3. aduer. hæref.

quam oportet colligunt. & paulo post: *hac ordinatione & successione ea quæ est ab apostolis in ecclesia traditio, et veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos, & est plenissima hac ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in ecclesia ab apostolis vsq; nūc sit cōseruata, & tradita in veritate.* similiter *Augustinus* non tantū Rom. ecclesiæ, sed aliarum etiam successionem profert. *Cathedra* ([1] inquit) *tibi quid fecit ecclesia Rom. in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua Iohannes hodie sedet, quibus nos in vnitate catholica connectimur?* Doceant ergò Romicolæ, seu potiùs latebricolæ isti pontificij culminis defensores, se doctrinam ab Apostolis traditam conseruasse, & in vnitate fidei catholicæ perseuerasse, aut missam faciant hanc inanem successionis externæ ostentationem, quæ non magis vera est successio, quam cassa nux nucleo plena.

Ne ab ista Romanæ sedis successione pendeamus; [2] *Theodosius non tantum episcopi Romani doctrinam, sed & Nectarij Constantinopolitani, Timothei Alexandrini, Pelagij Laodiceni, Amphilochij Iconiensis, Diodori Tarsensis, Optimi Antiocheni, Helladij Cæsariensis fidem sequendam & discendam proponit.* Imperatores vero [3] *Gratianus, Valentinianus,* & *Theodosius non tantùm Damasi episcopi Rom. sed & Petri Alexandrini religionem proponunt suis subditis amplectendam.* quam tamen nec propter *Damasum,* nec *Petrum Alexandrinum* commendāt; sed *quòd esset eadem Euangelica, & Apostolica, & quam Apostolus Petrus primus docuisset.* Chalcedonenses [4] patres licèt multum *Leoni* Romano episcopo tribuerent, tamen *Cyrillum,* & *Anatholium* cum eodem pari iure coniungunt. *Omnes* (aiunt illi) *ita credimus, Leo Papa ita credit, Cyrillus ita credit, Leo & Anatholius ita credunt.* [5] *Tertullianus* non tantùm quid Romæ, *sed quid in alijs ecclesijs creditum esset,* exquirit. *Videamus* (inquit ille) *quod lac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recocti: quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij: quid etiam Romani de proximo sonent.* [6] *Gregorius Nazianzenus* singularum ecclesiarum rationem habendam censet, Cæsariensem verò reliquis omnibus anteponit. *cuiuslibet* (inquit) *ecclesiæ tanquam corporis Christi habenda est ratio: maximè vero nostra* (Cæsariensem dicit) *quæ & ab initio fuit, & nunc est mater propè omnium ecclesiarum. eam Christiana respub. velut centrum suum circulus vndique obseruat, non solum propter orthodoxam doctrinam vbique ab initio prædicatam, sed etiam propter conspicuam concordiæ gratiam, quam diuinitus accepit.* neq; vel minimam tribuit *Tertullianus* Romanæ cathedræ prærogatiuam, quin alias sui temporis ecclesias eidem pares fecerit. *Percurre* ([7] inquit ille) *ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur: apud*

quas

[1] Con. Lit. Petil. lib. 2, c. 51.

[2] Cod. Theodos. lib. 16, tit. 3.

[3] L. Cunctos. Cod. de sum. trin. & fid. catholic. Ibid.

[4] Concil. Calced. action. 2.

[5] Tertul. con. Marcyon. lib. 4.

[6] Epist. 30.

[7] De præscript. aduers. hæret.

quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia: habes Corinthum. si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adiaces, habes Romam vnde nobis quoque authoritas præsto est. & ne Romanam ecclesiam primam putemus, dicit[1] ille *omnes primas, & omnes Apostolicas esse, dum vnam omnes probant vnitatem.*

Multum quidem veteres tribuebant episcopis antiquæ Romæ, non minus tamen, & alijs, multum defert *Hieronymus*[2] *Augustino. Tu* (inquit ille) *vt episcopus in orbe notissimus debes hanc promulgare sententiam, & in assensum tuum omnes coepiscopos trahere.*[3] ad *Bernardum* vndiq; confluebant, qui habebant negotia. *Hieronymi* consilium nonnulli, vt de se ipse testatur, expetebant,[4] *præterita Roma.* etiam Romani episcopi ad aliorũ cõfugiebant prudentiam, & ab ijs expetebant consilium; vt ex *Damasi* ad *Hieronymum* epistola cõstat, & Liberij ad[5] *Athanasium. Si mecum* (inquit *Liberius ad Athanasiũ*) *sentis, quæso subscribas, quò certiores reddamur, num eiusdem nobiscũ suffragij sis, eademq; statuas de vera fide, vt & ego securior efficiar, tuaq; mãdata indesinenter obeam.*[6] *Ambrosius suam sententiam etiam Romano episcopo prælatam ostendit. Post Alexãdrina ecclesia* (inquit ille) *episcopi quoq; Romana ecclesia definitionẽ, per literas plerũq; meam adhuc expectant sententiam. Petrum Paulus*,[7] *Victorem Irenæus*,[8] *Stephanum Cyprianus* grauiter reprehendit. nec obstabat *Romana* sedes prærogatiua, aut aliarum humilitas. *In omnibus* (inquit[9] *Ambrosius*) *cupio sequi ecclesiã Rom. sed tamẽ & nos homines sensum habemus. Ideò quod alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus.* valdeq; absurdum esset, si homines indocti, & [illegible] quales plerumq; sunt Rom. Pontifices, virtute sedis tantũ saperent, vt ab illorum sententia omnes aliæ ecclesiæ pendere teneremur. *cum hoc tempore* (inquit[10] *Arnulphus*) *Romæ nullus sit, vt fama est, qui sacras literas didicerit, qua fronte aliquis illorũ docere audebit, quod non didicerit?* nullam igitur successionis personalis habuêre patres rationem, nisi cum veritate Euangelica, & Apostolica coniuncta esset; nec plus fecerunt illi *Romanam* ecclesiam, quàm cæteras rectè sentientes ecclesias, aut *Rom.* episcopos quàm cæteros episcopos; nec ex successione huius ecclesiæ tanquam certa ecclesiæ nota pendebant.

[11] *Tertullianum* producit *Bellarminus, vt eius testimonio probet doctrinæ veritatem, successioni episcoporum coniunctam esse*; sed nihil eius deponit ille. imò contra producentem testatur. nam etsi hæretici confingerent Apostolicam successionem, *nihil tamen dicit illos proficere. quoniam doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate, & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque Apostolici. adsq; ille Apostolicas*

1 Ibidem.
2 Inter epist. Aug. numer. 11.
3 Bernard. epist. 238.
4 Hieron. ad Algas.
5 Apud Athanas. tom. 1.
6 Ambros. lib. 10. epist. 83.
7 Euseb. lib. 5. c. 26.
8 Cyprian. ad Pompeium.
9 Ambros. de sacram. lib. 3. c. 1.
10 In concil. Rhemens.
11 De præscript.

licas esse ecclesias censet, quæ in eadem fide conspirant, & eandem doctrinam amplectuntur, etiamsi nullum ex Apostolis, aut Apostolicis authorem suum proferant. Augustinus idem vim affert, cùm illum [1]successioni doctrinam colligantem introducit: neque enim hoc vnquam cogitauit, vel fecit. Primam habuit ille veritatis rationem. contra illos autem qui scripturas, & veritatem negarent, à successione Episcoporum qui hanc veritatem semper defenderunt, commodè argumentatur. successionem autem veritate destitutam ipse euertit. *In illum ordinem Episcoporum* ([2]inquit ille) *qui ducitur ab ipso Petro ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora surrepsisset, nihil præiudicaret ecclesiæ, aut innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. dicunt enim & non faciunt; vt certa sit spes fidelis, quod non in homine sed in Domino collocata nunquam tempestate sacrilegi scismatis dissipetur*. Quod autem ex *Epiphanio* in huius labentis successionis subsidium affert *Bellar.* nihil ad rem facit, nisi vt intelligamus hominis insulsam aut impudentiam, aut inscitiam. citat enim [3]*Epiphanius* episcoporum *Rom.* nomina, vt secundum illos distinguat tempora, non vt ex successione illa confirmet veritatem, aut probet ecclesiam. conatur enim ostendere quo tempore *Marcellina Romam* peruenerit. hoc autem nisi episcoporum temporibus notatis facere non potuit. *Ille autem ineptè claram temporum distinctionem, ad veritatis retulit perspicuitatem, quasi illa ex illa successione penderet, quod nec cogitauit quidem Epiphanius.* Μὴ τίς (inquit ille) θαυμάζῃ ὅτι ἕκαστα οὕτως ἀκριβῶς διήλθομεν, διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται, ἐν χρόνοις τοῖς ἀεὶ ἰσομένοις, &c. De tempore igitur controuersia erat, non de fide. quare aut eum externa hac & titulari episcoporum Rom. successione probet coniunctum fuisse quod postulat [4]*Irenæus* χάρισμα *veritatis*, & doctrinam Euangelicam, & Apostolicam *Bellarminus*, aut sciat nullum ex omni patrum numero hanc successionem vel flocci facere. tantum abest, vt quisquam eam ecclesiæ veræ esse signum putarit. desinántque Pontificij à putrido filo Pontificum suorum fidei pendere. nam ex illis plerosque à fide defecisse, cum ad successionis Pontificiæ examinationem peruenerimus, docebimus.

[5]Conspirationem quidem in doctrina cum ecclesia antiqua non negaremus esse ecclesiæ notam, si quemadmodum prima specie videtur, sic planè intelligeret *Bellarminus* Apostolicam ecclesiam, quæ super Christum in Apostolica doctrina fundata est. quæcumque enim Christi integram fidem profitetur ecclesia, vera illa est. hæcque illa nota est ecclesiæ, quam *Bellarminus* multis verbis potiùs quàm rationibus oppugnauit. sed quicquid profitetur, nihil sanè cupit minus, quàm ex hac doctrina de ecclesia Rom.

1 Con. epist. fundam. c. 4.

2 Epist. 165.

3 Hæres. 27.

4 Irenæus aduers. hæres.

5 Consensus doctrinæ cum ecclesia antiqua quantum valeat.

Rom. iudicium fieri, consensum autem cũ antiqua ecclesia [1] intelligit ille *qualemcumque cum patribus antiquis, imò cum Pontificibus Rom. quos solos vt patres colunt, in doctrina de libertate arbitrij humani,* de satisfactionibus humanis pro peccatis, de Limbo, de Purgatorio, de precibus pro mortuis, de ieiunijs, inuocationibus Sanctorum, de laicorum baptismo, de prohibito coniugio & huiusmodi alijs doctrinis consensum. hunc consensum negamus esse notam ecclesiæ. neque enim illi consenserunt in his omnibus cum Apostolica ecclesia, nec cum veteri *Iudaica*, nec cum prima Christiana, nec cum Pontificijs quidem, vt postea videbitis. nam etsi habuerint patres communia quædam cum Pontificijs vocabula in quibusdam religionis articulis: tamen doctrina patrum his de rebus remotissima erat a Pontificia.

Præterea si cum patribus consensus nota esset ecclesiæ, non essent Pontificij ecclesia. illi enim in doctrina fidei, operum, legis, scripturarum, traditionum, sacramentorum, primatus, iurisdictionis ecclesiæ, purgatorii, indulgentiarum, à patribus longissimè discesserunt. est etiam hæc nota obscurissima. nam cum patres sibi inuicem in multis aduersentur; qui possumus illos qui cum illis consentiunt animaduertere? porro hæretici consensum patrum sæpenumero allegarunt. *Arriani Origenem, Eutychiani Cyprianum, Cyrillum,* & alios patres; *Dioscorus,* & alij [2] hæretici alios proferebant, & cum his se eiectos querebantur. denique à scripturis ipsis sæpe dissentiunt patres, vt *Tertullianus* in monogamia, & nouo Paracleto; *Cyprianus* in rebaptizatione hæreticorum: *Papias, Apollinaris* & alij in Christi post resurrectionem regno terreno mille annos duraturo: *Origenes* in plerisque: *Hieronymus* in *prouidentia diuina*, & reprehensione Apostoli *Petri*: [3] *Augustinus* in infinitis. & quod de *Arrianis* dicit [4] *Socrates* hoc nonnulli fecere patres, *explicandis enim scripturis sæpe illas euerterunt.*

Ac inquit *Bellarminus, Theodosius patrum qui ante sua scripserant tempora prolatis sententijs hæreticos compescuit.* esto. nam & nos secundum scripturas plurimũ patribus tribuimus, illósq; accusamus qui vnius pontificuli indocti, & inepti (quales illi plerumque sunt) plus fidunt sententiæ, quàm omnibus simul patribus. in consensu verò cum patribus tantò minus putamus esse præsidij, quàm in consensu cũ scripturis, quantò his illi sunt minores. non tamen quæcumque scripserunt patres, ea vel *Theodosius* probauit, vel nos probanda censemus. nec tantum sibi deferri postulant patres. *Nolo* (inquit [5] *Ambrosius*) *nobis credatur, scriptura recitetur, non dico ego a me, in principio erat verbum, sed audio.* Et ad *Gratianum*; [6] *facessat* (inquit) *nostra sententia, Paulum interrogemus.* *Origenes sensibus, & enarratio-*

[1] Bellar. de not. Eccles. cap. 9.

[2] Cōcil. Calced.

[3] Retractat.

[4] Socrat. lib. 1. cap. 6.

[5] De incarnat. dom. sacrament. cap. 3.

[6] Ad Gratian. lib. 1. cap. 7.

enarrationibus solis, sine scripturis testibus multam postulat adhiberi fidem: solisque Canonicis scripturis deberi sine vlla recusatione consensum dicit [1] Augustinus. Idem sensit ad Hieronymum scribens. neque enim ita scripta [2] patrum Legenda dicit vt Prophetarum vel Apostolorum: libertatemq, vel probandi, vel improbandi si quid a Patribus rectè, aut secus dicatur relinqui deberi [3] putat. Ne [4] Thomas quidem Aquinas necessario credendum censet patribus in materia fidei.

[1] De natur. & grat. c. 61.
[2] Ep. 19.
[3] Epist. ad fortunat. 1 11.
[4] In quolib. 9. art. vlt.

Nec Pontificij, si ex patribus controuersię djiudicandæ sint, stare poterunt. nullam enim illi, nisi in tot monachorum & sacrificulorum, & cinędorum, & puerorum pathicorum, & pædiconum patre Pontifice spem habent. patres enim pro libito truncant, detorquent, mutilant, & tanquam patricidæ nequissimi crudelissima carnificina patrum libros Romæ nuper impressos excruciarunt. valdéque timidè isti antiquitatem testantur. nam doctrinæ Pontificiæ antiquitas, non illa apatribus quos pro nullis habent, sed ex Scholasticorum lacunis, & epistolis decretalibus ducta est: caueant igitur posthac, ne vel Apostolicę antiquitatis, vel patrum meminerint. nam vtcunque patres non sint fidei mensura, nec possit ex illis ecclesia satis discerni; satis tamen nobis in patribus præsidii est, ad Pontificiæ superstitionis errores propulsandos.

Membra quidem ecclesiæ cum Christo semper [5] vnione inseparabili coniunguntur. non est tamen illa nota qua, ecclesiam ab alijs cœtibus discernere possumus. pendet enim illa ex diuinæ prædestinationis decreto, & efficitur per Spiritum sanctum internè efficacia sua, & externè per verbum, & Sacramenta operātem: illam vnionem nec videre nec in alijs certò scire quisquam potest. Vnio autem quam Bellarminus intelligit, quæ ecclesiæ Rom. cum Pontifice intercedit, nec est corporis cum capite, nec potest esse nota ecclesiæ. Primum probatur, quia pontifex Rom. non est caput ecclesiæ, nec qui illi adhærent sunt vera ecclesia. blasphemum enim est, & impium vniuersalis ecclesiæ regimen quod Christi proprium est, à Christo ad lutum & cineres transferre. Præterea hæc ipsius tyrannis in legibus iubendis, antiquandis, iudicando, decernendo, eligendis Episcopis per vniuersam ecclesiam, non tantùm contra Christi hoc mandatum est, vos autem non sic: sed etiam omnium ecclesiarum iura funditus tollit. pugnat etiam cum clauium concessione omnibus Apostolis ex æquo facta, & cum mandatis Apostolis ex ęquo datis. nam quod Petro soli promissas claues dicunt, non aduertunt Christum quod Petro soli dixit, de omnibus Apostolis intellexisse, quæ enim illi Mat. 16. cap. Pollicitus est soli, vtpote ecclesiæ figuram [6] gerenti; ea Matt. 18 omnibus præstitit: optimeq; seipsum interpretatus est. tollit præterea hæc quā Petro fingunt datam, prærogatiua Apostolatus officiū.

[5] Vnionem cum Pontifice Rom. & membrorum ecclesiæ inter se. non esse notam Ecclesiæ.
[6] Augustin.

non

non enim erant reliqui apostoli, si à *Petro*, non autem immediate à [1] Christo potestatem & iurisdictionem acceperint. [2] apostolica enim vocatio à Christo est solo absque medio. aduersatur prætereà non tantum *Pauli* facto, qui *Petrum* reprehendit, sed vniuersæ *Pauli* disputationi qua *probat se nullare, vel præcipuis Apostolis esse inferiorem.*

Patribus etiam fidem abrogat, nam [3] *Irenæus*, & [4] *Epiphanius* non tantum à *Petro*, sed à *Paulo* etiam confirmant ecclesiam Rom. fundatam fuisse. abrogat etiam fidem & actis apostolorum, & conciliorum, & historijs. *Lucas* [5] *præsente Petro præfuisse synodo Hierosolymitanâ docet Iacobum. Niceni concilij canones, æqualem cum Rom. pontifice reliquis* [6] *Patriarchis deferunt prærogatiuam. Carthageniensis* synodus vniuersalem pontificis iurisdictionem, & nomen summi sacerdotis, & principis sacerdotum & episcopi vniuersalis sustulit. multæ in varijs synodis latæ sunt leges de nuptijs, ieiunijs, diebus festis, ministrorum cultu, & ecclesiæ moribus, contra Rom. ecclesiæ consuetudines, quas si pontifices Rom. pro capite vniuersam ecclesiam gubernauissent, nunquam passi fuissent. omnes historiæ Romanæ ecclesiæ iurisdictionem coactiuam, vt vocant, nullam fuisse ostendunt. suberant enim Imperatoribus Romanis, nec nisi aperta defectione, & rebellione se ab illorum imperio vindicare poterant.

Pontifices prætereà sui iuris incerti sunt. alij enim primatus sui vetustatem à *Constantino*, alij à *Carolo Magno*, alij à *Ludouico Pio*, alij à *Phoca* repetunt. recentiores nonnulli vsque à *Petro* deriuant. sed repugnant canones Concilij *Chalcedonensis*, & [8] *Constantinopolitani*, qui *Constantinopolitano* archiepiscopo parem cum Rom. pontifice deferunt honoris prærogatiuam. repugnant & acta synodorum quibus in ordinem redacti sunt Rom. pontifices. synodus enim sexta Honorium damnauit hæreseos, synodusq; *Constantiensis* tres simul pontifices maximos vna exigua sententia exautorauit, nec vel Iouis fulmen magis metuerunt ethnici; quam pontifices districtam in se concilij generalis [9] sententiam. quam etsi magna confidentia nonnulli despicere se iactarent: *Iulius* tamen ille secundus licet multarum palmarum fortis alioqui gladiator, audito nomine *Pisani* [10] contra ipsum cógregati concilij, præ mœrore & metu mortuus concidit, reliqui quantum potuere vitarunt, & nisi intra sua præsepia nullos fieri conuentus permittere voluerunt. *Eugenius* 4. nisi armorum metu, nulla ratione se à periculo sibi à *Basileensi* concilio intentato liberare potuit.

Nihil autem magis euertit pontificum primatum, quàm stolida, & inepta [11] *Bellarmini* pro ipsis suscepta primatus defensio. *Primùm de monarchia ecclesiæ multa verba facit*; quasi aut Christus non esset solus ecclesiæ

1 Rom. 1.
2 2. Cor. 11. & galat. 2.
3 Aduer. hæres. lib. 3. cap. 3.
4 Epiphan. hæres. 29.
5 Act. 15.
6 Can. 6.
7 Concil. Carth. 3. c. 26.
8 Can. 5.
9 Gaguinus.
10 Onuphrius.
11 Bell. contr. de pontific. Rom.

monarcha, aut quia monarchia optima est reip. species, propterea vnum esse, qui omnibus per vniuersum mundum ecclesijs præsit, oporteat. *multa deinde de Petro dicit*, sed frustrà. quæ enim *Petri* erant personalia munera, ea nullis machinis, aut vi (rumpatur licet) ad pontifices suos rapere potest. *hæc postea multis patrum malè intellectis sententijs condiuit: multáque passim indidit mendacia, tamquam coriandrum*, & fœniculum, vt marcidam hanc, & malè olentem pontificis causam conuiuis suauiorem redderet. infundit prætereà fabulas quasdam, tanquam mulsum, & myrrhaceum, sed præter voluntatem nihil suo in hac causa præstitit pontifici: lectores sanè odio, & loquacitate enecauit, nam licet multis nominibus in *Bellarminum* quadrent quæ in verbosos & putidos monachos dici soleant: meritissimè tamen propter hanc verbosam, & futilem pro pontificis conquassato & fracto imperio defensionem. gustate quæso monachi delicias: dixit *Christus Petro, pasce oues meas*: item, *tibi dabo claues regni cælorum*; & *Petrus dictus est cephas*; ergo caput est ecclesiæ. imò & *fundamentum, quia Christus dixit super hanc petram*. audite & reliquas huius hominis argutias: multæ inquit *Petro* concessæ sunt prærogatiuæ: *Petrus soluit tributum pro omnibus, Petrus insilijt in mare solus, & reliquis tacentibus concionatus est*: ergo *Petro* & successoribus concessus est ecclesiæ principatus, & vniuersale regimen. at nec *Petro* quid huiusmodi concessum fuit, nec quod eius erat, magis ad pontifices Rom. quàm ad singulos apostolorũ pertinet successores. reliqua eius disputatio multas malè intellectas & pessimè detortas continet patrũ authoritates, qui tamen hanc Rom. pontificis potestatem, nec norant, nec per nebulam viderant. quæ igitur ecclesiæ potest esse cum pontifice vnio, qui nullo iure tyrannidem in ecclesia inuasit? aut quid ad hanc vnionem probandam pertinet multorum sacrificulorum, & monachorum, & hominum imperitorum ei præstita obedientia? hos enim in vniuerso hoc tractatu ostendimus non esse orthodoxã Christi ecclesiam. deniq; cum pontifices Rom. nulla re *Petrum*, nisi in Christi abnegatione referant, & propter scelera & flagitia sceleris potiùs & perfidiæ, quàm ecclesiæ capita, dici mereantur, qui potest vnio cum isto capite, aut cum ecclesia Rom. quæ huic capiti agglutinatur nota esse ecclesiæ?

Laudant quidẽ veteres veterẽ Rom. ecclesiam, & de priscis illius ecclesiæ episcopis honorificè sentiunt. quod vt suo faciant arbitratu facilè permittimus. non enim dubito quin viri fuerint valde pij & sancti, qui ab his posteriorib⁹ Rom. synagogæ portentis, tantum moribus, & fide discrepant. sed frustrà *Bellar.* veterum laudes, ad horum pontificum vulnera tegenda detorquet. nam nec pietas ecclesiæ Rom. veteris, nec mores prisci supersunt. sed vt aliqua superessent vetustatis vestigia; nunquam tamen patres

vnionem cum hac ecclesia notam esse, qua ecclesiam agnoscamus dixerunt, & *Asiaticas* ecclesias, quæ à Romana de paschate, & limitibus discrepabant, & *Africanas* licet pontificiam tyrannidem [1] propulsarint, nullus erat, qui nō vt veras Dei ecclesias amplexabatur. *ad hanc ecclesiam* (inquit [2] *Irenæus) conuenire oportet omnem ecclesiam:* sed non ad leges accipiendas, vt malus interpres *Bell.* putat, sed quia illo tempore apostolicam seruabat illa ecclesia fidem, seu traditionem. iurisdictionem & imperium eius ecclesiæ in reliquas adeò non agnoscebat *Irenæus*, vt nec legem inde acceperit, nec Victoris furiosum illum in ecclesias *Asiaticas* impetum tulerit. *vnitatem sacerdotalem à Petri cathedra ortam agnoscit* [3] *Cyprianus*: at vnitatem fidei ille intelligit, non autem iurisdictionis & imperij. æquas enim sibi cum Rom. episcopo in administratione ecclesiæ partes sumit, & leuem quorundam ad Romanam ecclesiam excursionem reprehendit. [4] *cum statutum sit* (inquit ille) *omnibus nobis, & æquum sit, pariter & iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat vnusquisque, & gubernet rationem actus sui* (non Romano pontifici sed) *domino redditurus, oportet eos vtique quibus præsumus non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint. nisi paucis desperatis & perditis minor esse videtur authoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij sui nuper grauitate damnarunt.* damnat igitur ille pontificis Rom. potestatem, quam *Bellarm.* eius testimonio voluit confirmare, probatq; æqualitatem ecclesiæ *Africanæ* cum *Romana*, contra quam illum loqui cupit. maiorem vim affert *Cypriano* in alio [5] quodam loco *Bell.* nam quod eum affirmantem introducit ille, hoc negat disertè *Cyprianus*. & quod *Cyprianus* loquitur de catholica ecclesia, illud ille de cathedra Rom. episcopi interpretatur. quem morem si seruarit continuò *Bell.* nunquam illi patrum deerunt ad quiduis probandum authoritates. non sentire *Cyprianum* pontificem Rom. reliquis episcopis maiorem esse, ne longiùs quæramus, ex hac eadem epistola constat. dicit enim *ordinationem Rom. episcopi, ab Africanis episcopis comprobari, & vnitatem seruari non tam propter capitis vnionem, quam propter episcoporum mutuam concordiam.* [6] Satyrum *Ambrosij* fratrem non negamus curiosè à quodam episcopo quæsiuisse, *num cum Rom. ecclesia consentiret.* petijsset ille fortasse vtrum cū *Mediolanensi* ecclesia consentiret, si putasset illum aliquid de illa ecclesia inaudiuisse. hoc sanè ostendit Romanam ecclesiam, vtpote in imperiali vrbe fundatam, maximè illustrem fuisse; ceteras ecclesias eidem paruisse non

[1] Concil. Carthag. 6.
[2] Lib. 3. aduers. hæres. 3.
[3] Lib. 1. epist. 3.
[4] Ibidem.
[5] Lib. 4. epist. 8.
[6] Ambros. de obit. Satyr.

[1] Ibidem.

non probat, dicit [1] *Ambrosius Luciferum reliquisse suam communionem.* non tamen sequitur *Mediolanensis* ecclesiæ ex illo dicto aliqua super alias ecclesias prærogatiua. quàm nullam præstiterit obedientiam *Mediolanensis* ecclesiæ Romanæ, iam antea diximus, & historiæ pontificiæ agnoscunt.

[2] Epist. ad Dam. de hypost. nom.

[3] Hieron. in epitaph. Marcel.

[2] *Hieronymus* se *Damaso* adiungebat in ecclesiæ dissidio, & cathedrę *Petri* adhærebat, quia veram ille docuit fidem, quam & *Petrus* primus docuerat: non autem quia eius pontificis summam agnouit potestatem. [3] *omnes enim ille episcopos siue Romæ sint, siue Engubij, siue Tanis æquales facit.* hęc etiam causa erat, cur *Athanasius* ad ecclesiam Rom. confugeret. ibi enim veram seruari fidem nouerat. patriarcharum tamen idem ex *Niceni* concilij actis æqualem non ignorabat esse iurisdictionem, & potestatem. nec alia erat [4] Optati ratio cur *Donatistas* ab ecclesia Christi alienos diceret, vtpote ab ecclesia Rom. dissidentes, nisi quod veram ibi tunc temporis fidem haberi constabat. nunquam ille vel minimam in alias ecclesias Romanis episcopis iurisdictionem tribuit. quæ etiam ad [5] *Augustini* locum vbi *Donati* factionem auctoritate Rom. ecclesiæ premit, accommodari posse videntur. nam vera tunc erat ecclesia Christi Roma. à qua qui in fide dissidebant, rectè sentire non poterant. similiter qui à *Philippensi* aut *Corinthiaca* ecclesia, dum vera ibidem vigeret fides discrepabat, non poterat ille non malè sentire. nullus tamen hoc nomine vnionem cum his ecclesijs continuam notam esse dicet ecclesiæ.

[4] Lib. 2. contr. Par.

[5] Epist. 162. & in psal. cont. partem Donat.

[6] Epist. 87.

Magnam etiam *Leo* tribuit [6] *Petro* prærogatiuam, non tamen omnibus in ea cathedra sedentibus, parem censet deferendam potestatem. nec si multum tribueret suis *Leo*, multùm in hac causa fidendum est testi licet grauissimo in causa propria deponenti. *exortes dicit esse mysterij diuini Leo, qui à Petri soliditate recedunt:* non tamen crederē dicenti exortes fore mysterij diuini, qui à pontificibus his posterioribus recedunt. nam nec secum consentiret. quî enim possumus non ab ijs recedere, qui à *Petra*, & *Petri* fide solida recesserunt? sed in hac causa vel *Leonis* bona cum gratia pontifices Rom. deserere licet. non enim illis dicit adhærendum, sed *Petro*. quare si ad hanc cum hac Romana ecclesia vnionem probandam patres posthac proferre instituerit *Bellarminus:* doceat hanc vnionem in obedientia, & non in fide constitisse, & magis cum Rom. ecclesia, quàm cum reliquis orthodoxis ecclesijs seruandam: doceat Rom. ecclesiam nunc priscam seruasse fidem, & pontifices hos, à quibus nos discessimus, *Petro* esse in fide & moribus similes. nisi hoc fecerit, frustra patres citabit.

Vnionem cum Rom. ecclesiæ pontifice non esse notam ecclesiæ, ex his perspicuũ fiet: primò quia non erat hæc semper ecclesiæ nota. pontifices enim

enim Rom. post Christi tempora cœperunt: Ecclesia autem semper fuit. deinde quia difficile est scire propter pugnantes Pontificum posteriorum à primis sententias, qui cum illis consentiant: tertiò, quòd non Pontifices tantùm, sed etiam qui cum illis vnionem colunt, veram deseruerunt fidem; denique quia hunc Pontificum Rom. principatum non à iure diuino, aut lege Ecclesiastica profectum, sed armorum terrore, & fraudulentia Pontificum scimus & fundatum & stabilitum esse.

[1] Consensionem autem Ecclesiæ membrorum inter se non esse certum Ecclesiæ veræ indicium illa faciunt vt credamus; quòd & impij sæpè in superstitione, & errore consentiant: & viri optimi in religionis, & politeię Ecclesiasticæ nonnullis negotijs grauiter contendant; denique quòd nec in rebus malis consensio laudetur: nec propter rerum labentium correctionem dissentio vituperetur. Vno animo & consensu gentes omnes ad ædificandam turrim *Babel* consenserunt: & posteà Israelitæ vitulum aureum concorditer adorarunt: nec maior erat in tribu *Iudah* & *Beniamin*, quàm in decem tribubus quę ad idololatriam defecerunt conspiratio, & vnitas. Romani veteres superstitiosos suos ritus à *Numa* traditos octingentos annos, magna inter se concordia seruarunt. tantáque in *Mahometis* secta consensio reperitur, vt si ex conspiratione res dijudicandæ sint, nullus sit, quin *Mahometis* blasphemias Papismo longè prætulerit. isti enim non tantùm de rebus leuioribus, sed etiam summis fidei capitibus digladiantur: apud *Turcas* nulli licet sub pœna capitis de *Mahometis* secta altercari.

[1] Consensionem & vnitatem non esse Ecclesiæ notam.

Præterea incidunt nonnunquam in media Dei Ecclesia graues inter fratres contentiones. diffidebant inter se *Paulus* & *Petrus*: magnáque de legis cæremonialis obseruatione Apostolorum ætate exorta est contentio etiam inter domesticos fidei; adeò vt *Petrus* etiam in ea re nutasse videatur. propter Paschatis controuersiam Orientalis ab Occidentali Ecclesia diuisa est. nec potuit Synodus *Nicena*, contentioni illi nisi post multos annos finem imponere, adeóque primi inter se Christiani diffidebant, & in partes varias discesserunt, vt ea res theatri sibilis apud Ethnicos exagitata fuerit. variæ erant *Cypriani* & *Stephani* Episcopi Rom. & *Africanorum* Episcoporum de Baptismo dissensiones: grauésque etiam inter *Chrysostomum* & *Epiphanium*; inter *Hieronymum* & *Ruffinum* simultates. nec mediocriter exarsit senex *Hieronymus* ab *Augustino* reprehensus. quos omnes qui extra Ecclesiæ fines exterminauerit; parùm ille candidè de fratribus, parùm ille de Patribus piè & humaniter, parùm de religione Christiana sanctè, & verè iudicabit. nec cuiquam minùs bono est vnionem cum capite, & inter membra esse Ecclesiæ notam, quàm

Pontificiæ Ecclesię; cùm caput illud sæpè schismatibus diffissum,& membra in partes dissecta, non odijs tantùm, sed armis inter se contenderint, nos certè nulla signa Ecclesiæ statuimus, quæ aut alijs sectis conueniunt, aut à vera Ecclesia, eiúsque membris quandoque abesse possunt, nec obstat quod dicitur,[1] *regnum inter se diuisum stare non posse.* nam nec Ecclesiam censemus esse, quę capitalibus odijs Christi oues insectatur,& continua bella gerit aduersus sanctos, quod Rom. facit Ecclesia, quæ & à Christo & eius membris diuisa est, & bellum contra veram Ecclesiam omni fraudulentia & violentia persequitur: nec hîc agitur de duratione,sed de signis Ecclesiæ.

[1] Marc.3.

Sanctitas doctrinæ 8 numeratur à *Bellar.* Ecclesiæ nota: Doctorum Ecclesiæ sanctitas decima. per quas quidem si, vt præ se fert, doctrinam sanam,& morum sanctitatem intelligat, nihil est quod illi malè velimus, aut has notas oppugnemus. nam sanæ doctrinæ primam in Ecclesiæ disquisitione rationem habemus; quartum autem locum sanctis moribus assignauimus, & hoc est, quod agimus, magnáque vi contendimus, Romanam Ecclesiam verã non esse, quia sanam formam Apostolicorũ verborum deseruit,& in moribus à prisca sanctitate defecit. *Bellarminus* autem qui inter Ecclesiæ notas prædictas has duas censet,non tantùm occidit suos Pontifices quorum doctrina decretalina, & scholastica est corruptissima,moresque inquinatissimi, nostrámque causam promouit, qui in his pręsidijs firmiter consistimus,sed & suos deseruit,qui nunquam doctrinam & mores recensent inter Ecclesiæ signa; & secum apertè pugnat. nam sinceram doctrinam quam antè multis verbis oppugnauit, & ex numero signorum Ecclesiæ expunxit, hic ipse tanquam notam primariam Ecclesiæ posuit, verùm per sanctitatem doctrinæ ille Pontificum, quos passim sanctissimos & beatissimos salutant doctrinam, & scholæ altercationes & rixas; per sanctitatem morum adumbratam & fictitiam vultus grauitatem & impurum fortasse cælibatum intelligit. hanc autem sanctitatem doctrinæ,& morum negamus esse signa Ecclesiam demonstrantia. nihil est enim illa dectetalina doctrina turpius, nihil turbidis scholarum fontibus inquinatius. nihil his moribus fœdius, aut à vera sanctitate alienius.

Nec iuuat Pontificios,quòd Scripturas in quibus veritas certa est,& explorata venerantur, eas enim suis translationibus, interpretationibus, & decretalicis adminiculis corrumpunt, morésque hæretici egregiè nonnunquam simulare solent, nihil erat Catharis si externam doctrinæ, & morum speciem spectares,sanctius. *Donatistæ* propter mores etiam veros Catholicos despiciebant.[2] *Manichæi etiam,* teste *Augustino, morum* sancti-

[2] De mor.Eccl. Cath,lib.1.c.1.

sanctitate multos decipiebant, erant etiam & *Manichæi* & *Encratitæ* cælibes, *hæreticis illis qui Apostolici dicebantur, nihil erat magis tetricum aut seuerum*. vultus erat demissus, gressus compositus, magnáque morum externa sanctitas. sic Pontifices Rom. vultu & gestu pietatem egregiè simulant. sunt tamen lupi ouinis pellibus tecti: dracones in specie agni. vt magis sancti videantur, vestes induunt consecratas, fumóque thuris omnes sibi fugant aëris immunditias. sed si intus respexeris, multæ sunt in eorum vita transennæ & doli, tantáque impuritas, vt ore illo nihil sit impurius. in animo latent hæreses & errores, odiúmque fraternum, præterea fastus, auaritia, & libido. qualésque illi sunt, tales sunt *Iesuitæ* & fratres, homines veste & vultu tenus valdè sancti. publicè rarò rident: verba eorum numero cadunt: pedes non proferunt, nisi secundùm regulam: si sternutant, aut tussiunt, arte illud faciunt: demittunt oculos, suspiria ingeminant. *Franciscani* reste se cingunt, optant enim se reste illa suspensos, si quis sit illis hypocrita sanctior. *Iesuitæ* palliati incedūt, tristésq; vidētur & tetrici. nihil illis deest, nisi vt manus illis arctè colligentur, ne aliena rapiant. videte nunc domesticos mores. in capitulis (vt vocant), rixæ, contentiones, odia: in triclinijs amores, libidines, in animo auaritia, fastus, ambitio. ne haræ quidem porcorum istorum ædibus sunt impuriores. hîc [1] pæderastiæ, ibi scortationes; senes ebrioli circumcursant, & senes & iuuenes largè se poculis inuitant. cum his sint moribus; non miror si sanctitatem morum *Bellarmin*. inter signa Ecclesiæ veræ numerarit. voluit fortassè vno ictu omnes fraterculos quibus inuident *Iesuitæ*, exponere.

[1] Huldrich. epistol. & Petrarch. canto. 106.

[2] Efficaciam doctrinæ, licèt eam *Bellarminus* inter cæteras notas Ecclesiæ numeret, non ego magis quàm multitudinem Ecclesiæ veræ notam esse puto. nam iusto Dei iudicio nonnunquam fit, vt exigui doctrinæ fructus appareant. multùm est Christus in sua patria concionatus, nusquam tamen fuit quàm in patria sua contemptior. *Iudæique* quorum aures verbo diuino vndique circumsonabant, vt populus duræ ceruicis notantur. neque quicquam obscurius est, quàm quantum verbi prædicatione singuli profecerimus. nam licèt multi accesserint: pauci tamen ex illo fortassè numero electi sunt. denique maxima est vis erroris. prædicit Apostolus *aduentum Antichristi futurum cum* [3] *magna potentia in signis, & miraculis*. & *Deum immissurum reprobis* [4] *efficaciam erroris. Christus etiam multos* [5] *ab ijs, qui in nomine suo venturi essent deceptos iri dicit*. *Mahometis* errores blasphemi per orbis maximam partem sparsi nimis hoc perspicuè demonstrant. cùm igitur Ecclesia sit *Saræ* similis, & nonnunquam paucos pariat filios, verbíque fructus rari appareant, & tanquam

[2] Efficaciam doctrinæ non esse Ecclesiæ notam.

[3] ἐν πάσῃ δυνάμει 2. Thess. 2.
[4] ἐνέργειαν πλάνης ibidem.
[5] Matth. 24.

post vindemiam racemorum exiguę reliquiæ, & cùm sit valdè obscurum, quantum verbo proficimus, erroréſque homines nonnunquam veritate ipsa cupidiùs imbibant; ex efficacia verbi nullus veram Ecclesiam agnoscere potest.

Nec obstat quòd magna sit veritatis vis; sic etiam & spiritus sancti, & potentiæ diuinæ, ex quibus tamen Ecclesiam non discernimus. nihil est quòd multis hanc notam oppugnemus. efficacia enim, verbi est affectio, non autem Ecclesiæ. cùm igitur verbi diuini prædicationem quæ in auribus personat, neget esse Ecclesiæ notam *Bellarminus*, cùm tamen ex verbo pendeat Ecclesia, & fides: desinat efficaciam doctrinæ ponere inter Ecclesiæ signa, cùm nihil sit illa obscurius, Ecclesiáque possit esse, vbi non est verbi magna efficacia: maximáque soleat esse etiam erroris potentia.

Miracula autem nec semper in Ecclesia cernuntur, nec requiruntur quidem. ad fundationem Ecclesiæ fuerunt quidem necessaria, quocirca edidit Christus, & Apostoli quamplurima. nunc nec necessaria esse videntur. *quisquis* (inquit [1] *Augustinus*) *adhuc prodigia vt credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit*. nec semper in Ecclesia fieri miracula solent. nam post *Malachiam* Prophetam, & prophetia & miracula raro vsque ad Christi tempus fiebant. & fundatis Ecclesijs sanationum donum, & miracula faciendi potestas paulatim cessauit. quæ igitur hæc noua erat *Belarmini* stultitia, vt miracula inter dignoscendæ Ecclesiæ signa poneret? signa quidem sunt miracula: sed potentiæ diuinę, non autem Ecclesiæ. *Christus signum requirentibus* [2] *Pharisæis nullum dedit*: & cùm Iudæi se credituros profiterentur, si Christus de cruce descendere vellet: noluit tamen hoc miraculo ipsis consulere. *non* [3] *erat vestræ cæcitatis arbitrio stulti Scribæ & impij Sacerdotes* (inquit *Leo* ad Iudæorum postulata respondens) *ostendenda potentia Seruatoris*. non igitur erunt miracula Ecclesiæ signa, quia in Ecclesia non semper habentur. maximè verò, quòd apud hæreticos, & impios miracula, non minùs quàm in Ecclesia & nunc fortasse magis edi soleant. Magi in *Ægypto* miracula ediderunt potestate, & operatione magica: Sacerdotes *Baalitici* nonnunquam eadem etiam præstiterunt virtute diabolica. hoc etiam futurum Christus prædixit sub finem seculi, *adeò vt, si fieri posset, etiam electi deciperentur*. *Paulus* Antichristi aduentum futurum vaticinatur *in potentia & miraculis*. Pseudoprophetas etiam *multos in fraudem pellecturos dicit Petrus, in fine temporis* concedenda est (inquit [4] *Chrysostomus*) *potestas diabolo, vt faciat signa vtilia, vt iam ministros Christi, non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa, sed quia omninò hæc signa non faciunt*. *Simon*

[1] Augustin. de ciu. Dei lib. 22. c. 8.

[2] Matth. 12.

[3] In serm. de passione Domini.

[4] In Matth. hom. 49.

Magus

Magus magnus erat [1] miraculorum artifex, edebat & *Philumena* quædam miracula. *Panem* enim *magnum in angusti oris* [2] *ampullam vitream immittebat, & eundem saluo vitro educebat.* habebántq; nō minùs Pontificijs [3] *Montanistæ, Pepuziani,* & *Ophitæ* hoc, *vt miracula iactarent.* tandémque exorti sunt mirabiliarij quidam, qui ex miraculis, singulos suos errores confirmabant. multa diabolus igitur mira facit, multa callidorum hominum præstigijs mira videntur, quæ non sunt. [4]*ignoratio* enim *mater est admirationis signorum. caro apparet in Sacramento* (inquit [5] *Alexander Halesius*) quandoque procuratione humana, quandoque operatione diabolica. huiusmodi multa in Pontificiarum tenebrarum regno miracula facta, & nonnunquam deprehensa sunt. his enim imagines sudare, nictare, nutare, ambulare visæ sunt, nonnunquam in Sacramento pueri specie Christus dicitur apparuisse. legite *Boccaccium*, & Legendas. plenæ enim sunt istæ commentitiorum miraculorum. negat igitur *Chrysostomus*, quòd *Bellarminus* affirmat, per signa & miracula cognosci Ecclesiam. *per signa* (inquit [6] ille) *cognoscebantur olim qui verè essent Christiani, qui falsi: nunc autem signorum operatio sublata est; magis autem apud eos inuenitur, qui sunt falsi Christiani.* idem etiam confirmat *Augustinus*, non dicat (inquit [7] ille) *ideo verum est, quia illa, vel illa mirabilia fecit, vel iste vel ille, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant, & exaudiuntur, aut quia illa vel illa tibi contingunt, &c. remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* idem etiam ab istis mirabiliarijs cauendum suo exemplo docet. *Contra istos* ([8] inquit) *mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicendo: in nouissimis diebus exurgent pseudoprophetæ facientes signa & portenta, vt inducant etiam in errorem* si fieri possit etiam electos. peruersam etiam hæreticorum in edendis miraculis iactantiā notauit *Tertullianus: Volo* ([9] inquit) *virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur.* Videte igitur vtrum credendū sit potiùs *Tertulliano, Augustino* & *Chrysostomo*, an *Bellarmino*, & legendis, præsertim cum tam portentosa ibidem narrantur, vt non modo Christi miracula, sed omnem superent fidem. quod autem [10] *Copus* narrat aqua lustrali non tantùm mures, & febres, sed etiam diabolos fugatos, præ legendicis est tantùm miraculillum.

[11] Et miraculorum, & prophetiæ eadem est ratio, nam nec miracula, nec prophetiæ ecclesiam nunc nobis ostendunt, nec enim semper habet ecclesia verum prophetiæ lumen, nec in sola ecclesia viget prophetia. cessauit enim à Malachia vsque ad Christi tempora in ecclesia Iudaica prophetia, & nunc in ecclesia Christi rarissimè reperitur. Præterea iactabant ethnici

[1] τερατουργός.
[2] August. de hæres. c. 24.
[3] August. de hæresi.
[4] August. lib. confess. 12.
[5] Par. 4. quæst. 53 membr. 4. ar. 3. sol. 2.
[6] In Matth. hom. 49.
[7] August. in de vnit. eccles. c. 16.
[8] August. in Ioan. tract. 13.
[9] Tertul. de præscrip.
[10] Alan. Copus in dialog.
[11] Prophetiam non esse ecclesiæ notam.

nici sua oracula,& *montanistæ* suas prædictiones: multaque diabolus acutissimus futurorum coniector prædicere solet. quomodo igitur internoscemus ecclesiam veram à falsa ex prophetiæ argumento, cum illa rarò in ecclesia appareat,& sæpe apud ethnicos, & homines improbos non minùs quam apud viros bonos appareat? præsertim verò cum ea sit in rebus futuris obscuritas, vt valdè angustis finibus terminanda videatur ecclesia, si illa tantum vera dicatur, quæ lumen habet prophetiæ verum. prophetiæ potiùs signa sunt falsæ, quam veræ ecclesiæ. nam per *prædictiones suas populum ad mendacia & errores* [1] *abduxerunt pseudopropheta Israelitici*. iisdem etiam & hæretici suam falsam sententiam confirmare soliti sunt: vt & [2] *Montanistarum*, & *Seuerianorum*, & nuper *Anabaptistarum* & pontificiorum exemplo docemur. qui igitur ex prophetijs,& reuelationibus quærit ecclesiam *Bellar.* vtcumque lumen prætendit propheticum, tamen in tenebris versatur; ecclesiámque erroribus,& tenebris potiùs obnubilare, quam eam in luce constituere velle videtur.

[1] Ierem.23.

[2] Augustin.de hæres.

Habuit quidem ecclesia verum propheticum lumen ad tempus. *illud enim credentibus Deus promittit Ioelis 2. & Christus præstitit Actorum 2.capite.* nec dubitandum quidem est, quin nonnunquam Deus etiam nunc radios quosdam luminis prophetici quibusdam immittat. sed cum nec futurorum prædictio semper certa sit; nec pro infidelibus habendi sint, qui futura cernere & prędicere nequeant; non erit æstimanda ecclesia ex prophetiæ lumine. nec ex re pontificis esset, vt ex hoc signo sententia ferretur. nam nisi legendis credideris, ne titiuillitio quidem emissim reliquas istorum non prophetias, sed nænias & nugas. nec sanè verisimile videtur, cum ex capite pontificiæ ecclesiæ nulla reddantur oracula, vt ex ore fraterculorum, qui vix articulorum minimorum habent in ecclesiæ pontificiæ corpore rationem spiritus pythonici exspectemus afflatum.

[3] Quæ supersunt tres à *Bellarmino* ecclesiæ cognoscendæ gratia allatæ notæ, confessio nempè *aduersariorum, infœlix exitus inimicorum, & amicorum ecclesiæ res prosperæ*; exiles sunt,& valdè tenues coniecturæ: inter ecclesiæ signa nullum locum merentur. nam nec aduersarij ecclesiæ adeò dementes sunt, vt persequantur ecclesiam, quam veram esse certò sciunt, & palàm profitentur, esse veram: nec quicquam dignitatis deperdit ecclesia etiamsi omnes vna voce eiusdem hostes Christi ecclesiam veram esse negarent. fieri denique potest, vt & christiani, nonnulla laudent ethnicorum instituta; absit tamen, vt quis ethnicorum superstitionem inde concludat veram esse religionem.

[3] Ecclesiam ex rebus prosperis aut aduersis aut aduersariorum confessione non cognosci.

Ex rebus verò prosperis, & aduersis pessimè coniecturam facit *Bellarminus* quæ vera, quæ falsa sit ecclesia. nam & suam ecclesiam variè Deus non-

nonnunquam affligit; & nonnunquam impijs omnia prosperè succedere permittit. graui seruitute oppressa est eccesia in Ægypto, errauitq; eadem multos annos in deserto; multáq; passa est, non tantùm à perfidis ciuibus & apostatis, sed etiam ab externis hostibus; tandémque Babylonem abducta est. similiter & Christi ecclesia multas afflictiones, & persecutiones perpessa est, nec ante *Constantinum* lucem aspexit. valdè eadem etiam posteà hæresi *Arriana* & perfidia *Iuliani* iactata est. tandem accessere noui hostes *Gothi*, & alij *Barbari*. est itaque ecclesia instar *Petri* nauis, & fluctibus & procellis rerum aduersarum sæpe agitata est. multíque pij viri à pessimis vexantur, & occiduntur: christiani vt oues sæpe [1] iugulantur: [2] lachrymísq; ecclesia saturatur; fiúntq; [3] opprobrium vicinis fideles. in Christo ipso formam cernimus ecclesiæ. natus est in obscuro loco, vixit inter suos contemptus, multas perpessus est contumelias, & postquam in summa vixisset paupertate, tandē morte crudelissima agnus innocentissimus propter nos miseros extinctus est: sic & ecclesia humilis est & contempta, iniuriísq; ferendis nata; multi similiter ecclesiæ filij vexantur, multi occiduntur, nec quicquam vsitatius, quam vt ista fiant.

[1] Psal. 44. [2] Psal. 80. [3] Psal. 79.

Contrà verò improbi honoribus fruuntur, & voluptatibus. nihil illis deest, vel ad opes, vel ad luxum. non vexantur, non cruciantur. opes suas ad hæredes suos transmittunt. [4] suauiter vitam exigunt. hoc pij vident & queruntur. ita tamen fieri solet. hoc & ethnici viderunt, [5] suauissimè (inquit *Menander*) impij vitam agunt: optimè quidem adulator, proximè sycophanta, tertium gradum occupat inuidus. in his sodalibus est & *Bellarminus*, qui pontifici ad mentiēdum exigua, vt videtur, mercede linguam suam locauit, multísque innocentibus per sycophantias suas crimina falsa imposuit, adeóque suauiter ille Romæ in sinu amorum suorum, & pontificis sui viuit, luxúsque Romanæ vrbis oculos adeò illi præstinxit, vt quid miseris fieret Christi ouibus per *Galliam* & *Belgium* non cogitarit. cogitet igitur *deinceps, Deum solem suum super iustos & iniustos oriri pati*, & res prosperas & aduersas esse, & bonis & malis communes. *ista temporalia bona & mala* (inquit [6] *Augustinus*) *vtrísque voluit* (*Deus*) *esse communia: vt nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerúmque afficiuntur.* cogitet inquam ista si vel vt beta sapit, aliásque nobis deinceps discat excogitare notas, nam istæ aut communes sunt ecclesiæ cum improbis, & hæreticis, aut non competunt semper ecclesiæ, aut ipsa ecclesia multò sunt obscuriores,

[4] Iob. 21.

[5] ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται, πρῶτος δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων: δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος.

[6] De ciuit. Dei, lib. 1. cap. 8.

CAP.

CAPITIS 6 pars secunda.

In qua docet quindecim illas à Bellarmino *allatas ecclesiæ notas Romanæ ecclesiæ minimè conuenire.*



VErùm vt aliqua ex *Bellarmini* quindecim notis ad veram & Catholicam ecclesiam in oculis hominum constituendam duci posset coniectura: nihil tamen ex illis ad Pontificios peruenit lucri. nam quæ nunc est ecclesia Romana, nec Catholica à testibus fide dignis dicitur, nec antiqua est, nec multùm durauit, nec per orbem terrarum vt gloriosuli isti Iesuitæ iactant, diffusa est, aut fuit, nec veram habet successionem, nec doctrinæ consensum cum ecclesia prisca, nec reliquas à *Bellarmino* positas, & à me superiùs commemoratas notas, quod vt rectiùs intelligatis, primùm quid nomine [1] Romanæ ecclesiæ communiter, & nos, & aduersarij nostri intelligamus, exponendum est. Ecclesiam igitur Romanam dico esse multitudinem sub vno capite Romano Pontifice collectam, & in publica Pontificum Romanorum doctrina, & eius ecclesiæ externo cultu, & ritibus consentientem. nec ipsi Pontificij negant. *Sotus enim consonantiam in publica doctrina, & externo cultu, & legitimam episcoporum successionem, & agnitionem Rom. Pontificis tanquam vnius capitis ecclesiæ* [2] *notas constituit Rom. ecclesiæ,* quam ille vt veram agnoscit. *sicut cælum sole agnoscitur, sic & ecclesiam certa nota Cathedræ Rom. agnosci dicit* [3] *Lindanus.* eam alligant ad prælatos, & superiores [4] *Sotus* & [5] *Hosius.* His assentitur summus ille Pontificis Romani assentator *Franciscus* [6] *Turrianus,* omnes *enim illos, qui Romano Pontifici subiecti sunt pro ecclesia habet.* [7] *Bellar.* ecclesiam Rom. definit, cœtum *esse hominum eiusdem Christianæ fidei, & sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè vnius Christi in terris vicarij Rom. Pontificis.* Ex his igitur (vt illud omittam quod in regimine ecclesiæ nullam Christi mentionem faciunt) tres Romanæ ecclesiæ colligimus specificas differentias; obedientiam nempè Romani Pontificis (hanc enim de necessitate salutis credendam esse dicit [8] *Bonifacius*) deinde doctrinæ Pontificiæ approbationem, & postremò consensum in sacramẽtis & externo cultu à Pontifice præscripto. quæcunq; autẽ fuerit his proprietatibus prædita ecclesia, eam nos negamus catholicam esse, aut verè dici, aut antiquitùs dictam esse. non esse catholicam, hoc vniuerso contendimus tractatu. non verè dici ex hac consequitur disputatione. non esse antiquitùs dictam iam dicendum est.

[1] Quid aduersarij & nos intelligamus, cum de Romana ecclesia loquimur.

[2] Sot. defens. Cathol. de ecclesia p. 991.
[3] Lib. 4. c. 83.
[4] Assert. Cathol. p. 133.
[5] Confess. petric. c. 26.
[6] In dibeblo.
[7] De eccles. milit. c. 2.

[8] Cap. vnam sanct. extra de maior. & obed.

[9] Ostendit Rom. ecclesiæ nullo merito tribui nomen catholicæ.

[9] Catholicam veteres dixerunt orthodoxam Christi ecclesiam, quę vniuersam Christi amplexa esset fidem, & in cultu diuino, in scripturis sanctis man-

mandato permansisset. at Romana ecclesia non tantùm ligni & lapidis,& picturæ,& angelorum nouos,& nunquam in scripturis mandatos,sed sæpiùs vetitos cultus instituit; sed etiā ipsam salutis sacram anchoram Christum Iesum non multum æstimans,ad merita sua, ad sanctorum, & beatæ virginis mediationem,ad missę sacrificium,& papales deniq; indulgentias confugit. at de istis rebus in Catholica ecclesia ne verbulum quidē habetur,Hanc ecclesiam veteres ex tesseris, & sacramentis à Christo institutis, & sanctis moribus agnouit. at Romana ecclesia hæc signa non habet.

Ecclesia Catholica mater Christianorum (inquit [1] *Augustinus) verissima, Deum purissimè,atque castissimè colendum prædicat.eandem* [2] *dicit monere populos,vt se subdant Regibus, & docere operationem sub lege vanam esse.* non est igitur Rom. hæc ecclesia ea, quam *Augustinus* dixit Catholicam, nam nec est illa mater Christianorum. multi enim Christiani ante fundatam hanc ecclesiam extiterunt, quorum illa mater esse non potuit, nisi liberos matre velint esse antiquiores. multęq; quæ pontifici Rom.nullam præstitere obedientiam omnibus seculis floruere ecclesiæ,& illa etiam deficiente à Christo extiterunt,& erunt,Prætereà non rectè credit Romana ecclesia,vt suo loco diximus,& plura posteà dicemus.castitas autem quę potest esse in illa ecclesia quæ se tot idolis prostituit, & [3] seruire se fatetur creaturis,cum tamē ecclesiā catholicam dicat [4] *Augustinus nulli creaturæ seruire?*

[1] De morib.ecclesi cathol. lib.1.c.30.
[2] Ibidem.
[3] δουλείαν enim sanctis præstandam docent.
[4] Augustin.de morib.ecclesi. catholic.

Hæc porrò Romana ecclesia non suas tantùm ceruices iugo legitimi imperij subduxit,sed palàm etiam rebellionem aduersus principes fouet. *Rossæus* summa cum huius ecclesiæ approbatione docet, *non tantùm pontifices Rom. debere Reges ab ecclesia Rom. deficientes excommunicare, & iure* [5] *regio priuare; sed etiam subditos contra illos licitè arma suscipere,& eosdem* [6] *interficere posse.* nihilq; aliud docet vniuersa schola, quam posse homines etiam sub lege ante gratiam de congruo, & post gratiam per legis opera ex condigno mereri æternam vitam, quare aut non rectè quæ catholica esset dicenda ecclesia definiuit *Augustinus*, aut hæc non religionis,sed rebellionis sentina ab illo nunquam dicta est catholica.

[5] De iusta christ. reip.in reges author.c.8.
[6] Ibid.c.9.

Qui igitur rectè sentiunt, omnes ecclesiam Rom.non catholicam, sed pseudocatholicam,& cacolycam,imo luporum rapacium,& improborum hominum sentinam dicunt,nec christianos dicunt huius ecclesiæ sectatores,sed vt veteres hereticos dixerunt,pseudochristianos,quod autem seipsos catholicos isti dicunt, & omnibus suis scriptis,& actis inculcant, non multum ad rem facit. nihil enim valet [7] domesticum testimonium. nam & hæretici se Christianos,vt diximus,& Iudæi populum Dei esse se dixerunt, cum à Deo & vera religione defecissent. nec magis pro illis facit, quod seipsos vocent catholicos,quam contra illos facit, quod nos eos vo-

[7] c.in litteris.de testib.& attestat.

cemus pseudocatholicos. Veteres sanè hanc ecclesiam Rom. nunquam dixerunt esse catholicam, ne veterem quidem Romanam ita dixerunt catholicam, vt isti dicunt. isti enim nullam censent esse catholicam ecclesiam, nisi quæ Romana sit: illi autem omnes ecclesias pro catholicis habuerunt, quæ catholicam essent fidem amplexæ, etiamsi nullo vinculo obedientiæ Rom. ecclesię obstringerētur. *omnes de gentibus vocatas ecclesias per* [1] *insulas aquè designari putat Hieronymus*: ecclesiámq; catholicam [2] *Augustinus* nō Rom. sed *quamcunq; in Africa, aut vbiq; per terrarū orbem orthodoxam ecclesiam intelligit.* vt Romana tantùm ecclesia dicatur catholica portentosum est loquendi genus: pariq; ratione dicere liceret, nullum esse hominem nisi *Petrum.* quare quod maximè ostendendum erat, & catholicam omnem ecclesiam esse Romanam, & hanc Romanam quæ nunc est à fide dignis authoribus ecclesiam dici catholicam: illud bonus iste *Bellarminus* pro confesso sumsit. at ne posteà nimium sibi assentetur, admonendus est, veteres nunquam ita catholicæ ecclesiæ nomen intellexisse, vt isti intelligunt: nec quæ veteres de Rom. ecclesia veteri dixerunt, ad hanc recentem Rom. pertinere. nam non magis hæc est vetus Rom. ecclesia, quàm quæ nunc est Roma, illa quæ præfuit maximæ orbis terrarum parti ciuitas Romana. desinant igitur falsò isto catholicæ ecclesiæ nomine gloriari.

[1] In Isai. 49.

[2] Contr. epist. fundam. c. 4.

Nec plus causæ est cur [3] antiquitatis nomine superbiat Rom. ecclesia. Hæc enim ecclesia quæ Romæ nunc visitur, quæque eidem copulatur, & Pontifici Rom. duram seruit seruitutem, non ita pridem cœpit. nam & fides, quæ mensura est ecclesiæ, in Rom. ecclesia noua est, & sacramenta, & reliqua religio noua, & Magistratus & Leges nouæ. fides quæ in synodo *Constantiensi, Florentina, Lateranensi,* & nouissima *Tridentina* edita, & interpolata est; ab Apostolica longo interuallo discrepat; sacramenta etiam, & Leges Rom. synagogæ nuper nouam formam acceperunt. noui denique gubernatores, ad eius ecclesiæ clauum accedentes nouam ecclesiæ formam induxerunt.

[3] Non esse Rom. ecclesiam antiquam.

Quod igitur putat *Bellarminus* nos non posse demonstrare aliqua eius ecclesiæ noua dogmata, valdè falsus est. nam & plures tenemus eius ecclesiæ nouas, & etiam hæreticas sententias, & authores nouimus, & earundem progressus, & incrementa, quique se illis continuò opposuerunt. nec si authores & tempora, quibus aliqua floruit, aut exorta est hæresis ignoraremus, propterea sequeretur hæreses illas aut antiquas esse, aut veras sententias. multa Rom. ecclesiæ dogmata partim à veteribus hæreticis traducta, partim à se conficta, omnia quidem contra Scripturæ veritatem tradita iam protulimus. Hæc omnia etiam nouitatem dogmatum eccle-

siæ

siæ Rom. arguunt. nam quæcunque falsa sunt, & contra scripturarum fidem, & sacramentorum institutionem, & cultum, & leges diuinas suscepta dogmata; ea etiam noua sunt.

Legite igitur quæ superiùs de illius ecclesiæ falsa sententia diximus, & statim impudentiam monachi istius, qui nullum se nouum in religione sua dogma habere iactat, deprehendetis. eandem sententiam & nos alijs productis argumentis confirmabimus; quod laboris potius magni, quàm difficultatis magnæ opus videtur.

Nam & in sacris scripturis recensendis, & canone contexendo, sententiam nouam sequuntur, veterisque ecclesiæ morem deseruerunt. aliter enim [1] *Laodiceni* patres, aliter [2] *Athanasius*, aliter [3] *Epiphanius*, aliter [4] *Hieronymus* recenset. imò & [5] *Clemens* ille, quem vt Pontificem Rom. errare non posse censent aliter libros sacros numerat, quam isti. nam & ecclesiasticum, & sapientiam vulgò dictam *Salomonis*, & librum *Tobiæ*, & *Judith* extra numerum sacrorum librorum reliquit, vetúsque Ecclesia Judaica libros veteris Testamenti contra istorum sententiam computauit. Hæc Pontificiæ ecclesiæ sententia primúm in [6] Tridentina synodo obtinuit, eámq; Pontifex Romanus reclamantibus pijs omnibus confirmauit.

[1] c.59.conc. Laod.
[2] In synop.sacr. scrip.
[3] Lib.de mens. & pond.
[4] Præf.in lib. Salom.
[5] Can.apost.84.
[6] Sess.4.

[7] Eodémque in loco cœpit & perniciosa illa de traditionibus opinio. Has enim, licet non sint scriptæ, *pari pietatis affectu, & reuerentia cum Scriptura suscipit Romana ecclesia.* quo illi dogmate ritus & consuetudines ecclesiæ Romanæ, pontificias constitutiones, & decreta, imò & mendaces legendarum narrationes cum Scripturis, hoc est lutum & cœnum cum auro purgatissimo æquant, quod non tantùm nouum est, sed etiam iniquum. eam & spiritus Dei aspernatur, qui Scripturam nobis perfectissimam esse [8] normam iustitiæ docet, & veteres omnes vno ore refellunt. [9] eam *Basilius* canonem recti, & regulam veri: & [10] *Augustinus* stateram non dolosam appellat. & licet nonnulli quasdam traditiones non scriptas nimis commendent: nullus tamen vel omnes ecclesiæ Rom. consuetudines, vel pontificum Rom. epistolas decretales approbauit.

[7] Sess.4.
[8] 2.Tim.3.
[9] κανόνα εὐθείας καὶ γνώμονα ἀληθείας.
[10] Lib.2.c.6. contra Donatistas.

[11] Pontificem Rom. errare non posse in fide, non tantùm nouum est, sed & valdè insulsum dogma, nouum esse & scripturæ, & patrum sententiæ arguunt, [12] scripturæ enim omnes homines errori & vanitati subijciunt; ne Petrum quidem excipiunt, nedum Petri subdititios successores, imò ne isti superbiant, grauiores Petri quam aliorum notarunt errores. ipse enim Christum Iesum ad salutis nostræ summum opus perficiendum proficisci parantem non consilio tantùm, sed quasi iniecta manu retraxit; vnde dictus est Satanas. ille non tantum in vno articulo fidei lapsus est, sed Chri-

[11] Bellar.de Pontif.Rom.
[12] Ps.115.

stum Iesum fidei nostrę fundamentum abnegauit. ille deniq; in legis obseruatione [1] claudicans ab Apostolo *Paulo* reprehensus est, quare si nec *Petrus* Apostolus, cuius eximia erat pietas, & prudentia, quiq; donis sancti Spiritus, vltra communium episcoporum sortem cumulatus erat, à grauissimis lapsibus immunis esset: quæ istos nupera illuminauit Rom. Pontifices sapientia, vt cum nec eruditione, nec pietate præditi sint, quasi tamen virgula diuina in veritatem certam semper ducerentur? aut si tanta esset istorum prærogatiua, cur non eam patres aliqui animaduerterunt? neque enim verisimile est, tantam sapientiam obscuram esse potuisse.

[1] Gal. 2.

Isti autem adeò hanc ignorarunt, vt contrariam sententiam docuerint. Nam ex *Tertulliano, Eusebio, Hieronymo*, aliísque quos posteà proferemus, constat Rom. Pontifices hæreticos fuisse. imò & *Damasus de Liberio*, & alij Rom. pontifices de alijs confessi sunt, nullam esse in hæresis crimine Rom. pontificum præ alijs prærogatiuam. multæ prætereà Synodi Romanos pontifices hæreseos condemnarunt. Canones etiam Pontificij propter hæresim Rom. etiam episcopum deponendum decernunt. ne recentiores quidem pontificiæ causæ [2] actores negant pontifices Rom. incidere posse in hæresim. noua igitur prorsus est *Bellarmini* sententia, qui contra scripturas, patres, acta conciliorum, Canones pontificios, [3] suósque omnes, Pontificem errare aut errasse in fide negat. est etiam eadem insulsa, & non tantùm contra fidem, sed etiam contra communem sensum pugnans. cur enim propter hæresim deponendus decerneretur pontifex Rom, si omnino hæreticus esse non posset? aut cur ea debet esse loci prærogatiua, vt pontifex in cathedra, non magis quàm Pythica vates in tripode errare possit? quare cum nec viri doctissimi, nec pijssimi ab hæresi omni immunes esse possint; summa sanè est insania, insulsos põtifices, & doctrinæ & pietatis expertes, extra omnem erroris in fide aleam constituere.

[2] Adrianus 6. de confirmat.

[3] Genebrard. in hist. spec. & Harding. & alij ferè omnes.

Omni etiam caret sale illorum sententia, qui vt pontificem errare fateantur vt hominem priuatum; tamen in cathedra constitutum, & in iudicio sententiam ferentem errare posse in fide negant. qui enim minùs errare possint in cathedra, quam in culina, præsertim cum ex eorum hominũ numero sint, quibus plus sapit palatum quam cor? aut cur plus potest cathedra, quam pietas & doctrina? magna sanè est ista cathedræ efficacia, quæ ex stulto, & insano, & imperito, imò & hæretico, pontificem sapientem, & doctum, & orthodoxum efficere potest. sententia tamen hæc *Bellarmini* patribus ignota est, & valdè noua.

Docent & isti pontificem Rom, potestatem habere supra Principes, & Reges, eósq; & excommunicare, & regno priuare posse, quod valdè nouũ

est,

est,& contra regum iura contumeliosum, Canones qui feruntur [1] Apostolorum aliter docent. *quicunque Imperatorem aut Magistratum contumelia affecerit*, eum si clericus sit deponendum, si Laicus, à communione arcendum censent.

[1] Can. Apost. 83. ὅς τις ὑβρίσει βασιλέα ἢ ἄρχοντα, τιμωρίαν τινέτω, καὶ εἰ μὲν κληρικὸς καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω.

Pontifici Rom. prærogatiuam supra concilium, Patres dedêre *Florentini*, repugnantibus multùm *Basileensibus* Patribus; nouè sanè, & iniquè, nam à Synodis deiecti sunt olim Rom. Episcopi. & si verum esset, quod isti dicunt, *Synodos semper agi spiritu sancto*, valdè absonum videretur, ut illæ vnius hominis subjicerentur libidini, quem non à spiritu sancto, sed potiùs furore diabolico agi, tot Pontificum impietates, scelera, & portentosæ libidines indicant.

Vt hanc de Pontifice sententiam semel absoluam, ipse [2] primatus Pontificis, & infinita, quam in Ecclesia Dei occupauit tyrannis, res est noua. Primus obtinuit à *Phoca Bonifacius* tertius, vt vniuersalis diceretur: primatum tamen non nisi post multos annos *Gregorius* 7, & *Paschalis* 2, & demùm *Alexander* 3, & *Innocentius* ipse Tertius obtinuerunt: ídque non tam lege, quàm factione, seditione, rebellione, & armorum violentia. his enim artibus creuerunt, teste [3] *Machiauello*, Pontifices. hanc appellationem vniuersalis nouam esse constat ex *Gregorio* 1, qui eandem summis viribus oppugnauit, & ex Synodo *Carthaginensi*, quæ vetuit ne quis summus sacerdos aut vniuersalis diceretur. Primatum esse nouum docent & scripturæ, & historiæ, quas iam anteà protuli, & facta etiam Romanorum pontificum. nam si ex iure diuino deberetur pontifici principatus ecclesiæ summus, quid eam à principibus precariam habuerunt? quid opus erat, vt vel *Constantinus* donaret *Syluestro*, vel *Phocas Bonifacio* 3, vel *Ludouicus Pius Paschali* 2, quam iure singuli obtinebant potestatem?

[2] Dist. 22. & Martin. Polon. & Platina, & Abbas Vrsperg. & chronic. chronic.

[3] Florent. histor. lib. 1.

Cùm nec verbo scripto, nec traditionibus sine scripto receptis, nec Pontificum summa auctoritate res adhuc satis ex sententia succederet: prodiêre decretales epistolæ à *Gregorio* 9 editæ, quas isti pro certissimo Dei verbo habent. deinde editus est & *Sextus Bonifacij* 8 liber, & post *Sextum Clementinæ*, & Extrauagantes: in quibus multa noua, inepta, paradoxa. Hos tempore præcessit *Gratianus*; authoritate verò longo post interuallo sequitur. quibus temporibus noua ista religioni Rom. forma accesserit res est notissima, contra Pontificum Rom. infinitam tyrannidem, Reges Angliæ summa vi pugnarunt. Leges contra beneficiorum collationes & appellationes ad Rom. pontificem ediderunt complures, acerbissimis vero sanctionibus illam quam vocant [4] de prouisionibus, *Sextum, Clementinas*, & extrauagantes Galli pragmaticis sanctionibus oppugnarunt, nunquam probarunt. constitutiones reliquas Imperatores, iurísq; Ciuilis

[4] De prouisor. & premuniri.

interpretes oppugnarunt. non illas esse antiquas, nomina auctorum, & res in legibus mandatæ ostendunt.

Nihil autem magis arguit Ecclesiæ Pontificiæ nouitatem, quàm Missæ cultúsq; diuini in Ecclesia Rom. vsitati nuperrima incunabula. nam licet Missæ vocabulum antiquum fuerit, hoc tamen ad hanc Missam quæ paulatim consarcinata tandem ad hanc magnitudinem peruenit, nihil attinet. non altaria, non vestes, non Canon, nec cæremoniæ in Missarum solennibus sacris antiquitùs celebratis locum habuere: Sanctum[1] *Petrum ipsi primùm cum oratione Dominica Missam celebrasse dicunt*; *nec aliter ferè Iacobum fecisse*. quæ autem *Iacobi*, & *Chrysostomi*, & *Basilij* nomine circumferuntur Missæ, longè à Missis Pontificijs discrepant. non enim aut calix populo auferebatur, nec panis adorabatur, nec eæ aderant cæremoniæ, & Missæ partes, quę nunc locum habent, si verum ęstimare volumus, & Apostoli, & veteres Patres cœnam Dominicam celebrabant in pane & vino secundùm Christi institutionē: Missæ autem Pontificiæ partes paulatim, & longo pòst interuallo additæ, & compositæ, hoc quod nunc videmus superstitionis corpus efformarunt. [2] *Calestinus* Missæ introitum dedisse fertur: *Gregorius* longo pòst interuallo, *Kyrieeleison.* in celebratione *Sixtus 1* mandasse dicitur, vt *Sanctus, sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth* cantaretur. *Gloria in excelsis Deo*, à *Telesphoro* addita est: Collationes à *Gelasio*. Epistolæ & Euangelij recitatio ad *Hieronymum* refertur: *Alleluia* ex Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* consuetudine fluxit. *Symbolum Nicenum* ab incerto auctore in Missam intrusum. commemorationem mortuorum *Pelagius* primus introduxit: Preces ad mortuos [3] *Innocentius 3*. nam cùm primò pro *Leone* Papa orare isti soliti essent, instituit ille, vt *Leo*, post illa inuocaretur. osculum pacis in Missa *Innocentium* primum auctorem habuisse [4] fertur. *Sergius* instituit vt caneretur, *Agnus Dei.* Thus à *Leone* tertio additum fuit. pars illa Canonis; *qui* [5] *pridiè quam pateretur*, vsque ad hanc clausulam, *Hoc est corpus meum*, ad *Alexandrum* primum; [6] gradualia autem, & pars *Te igitur, &c.* ad *Gelasium* refertur. quod aqua vino admixta fuerit, Primus *Alexander* primus inuenit. Verba illa; [7] *Orate pro me fratres, &c.* item ista: [8] *sacrum sacrificium, immaculatam Hostiam*, à *Leone* primo ad Canonem addita dicuntur. antiphonas & psalmodias in Missa ordinasse, offertorium inuenisse, & tres postulationes fertur [9] *Gregorius* primus. [10] transsubstantiatio, & tintinnabula cum lumine *Innocentio 3* tribuuntur. Calix verò nulla lege populo adimebatur ante Synodum *Constantiensem*: quæ igitur fuit *Innocentio 3* frons, vt [11] Canonem vniuersum, cuius singulæ partes sigillatim coaluerunt, ad Apostolos referre non vereretur? si enim hæc Apostolorum inuenta fuerint, cur tam diu intermissa erant?

1 Hieronymus & Gratianus, & Platin. in Sixto 1. & Martin. Polon. & Polidorus de inuent. lib. 5. cap. 10.

2 Platin. in Sixto 1.

3 c. cum Marthæ. de celebration. missar.

4 Volater. lib. 22. & Plat. in Sixto 2.

5 Platin. in Alexand. 1. & Martin. Pol.

6 Volater. suppl. supplementi & Plati.

7 Naucle. lib. 2. gen. 5.

8 Martin. Polon.

9 Platin.

10 c. firmiter credimus. de summa. Trinit. & fide Cathol.

11 c. cum Marthæ de celebrat. Miss.

erant? cur ab istis demùm instituta sunt? sed illum contra omnes historiarum scriptores loquentem non multùm moramur: sibi enim ipsi non credit, qui partem Canonis nouam addit. neque tantùm nouitatem ista sapiunt, sed etiam corruptos *Ethnicorum* & *Iudaeorum* mores. *consecrationes enim, & aquae lustrationes, & incensum, & lotionem manuum, & vestium mirificam distinctionem, & lumen, & reliquas caeremonias partim à* [1] *Iudaeis, partim ab Ethnicis mutuati sunt.* nec ista, nec partes Missae à Christo, aut Apostolis, aut Patribus habuerunt.

[1] Polyd. Virg. de inuentorib. rerum lib. 5. cap. 10.

Eleuationem panis, & eiusdē adorationem [2] *Honorius* instituit, quódq; multo est deterius, cōtra Christi doctrinā, & mores Christianorū instituit.

[2] Cap. sanè cum de celeb. Miss.

Abbas *Cluniacensis* [3] omnium animarum festum primus inuenit, eundémque *Iohannes 16* probauit. Globulos ad quorum numerum oratur primus docuit [4] *Petrus Eremita.* Imaginum cultum post varias contentiones septima demùm statuit pseudosynodus. huius Synodi acta *Adrianus* Pontifex Rom. ad *Carolum Magnum* transmisit, vt ea per *Germaniam*, & *Galliam* seruanda curaret. de Imaginibus autem maximae, & in Orientali, & in Occidentali factae sunt contentiones. Imagines sustulit Synodus *Elibertina* & *Francofurdiana*; ex priscis Patribus nullus eas probauit. *Epiphanius* picturam quandam lacerauit. Imagines sustulit *Serenus Massiliensis*, oppugnauit *Claudius Taurinensis*, eas etiam scriptis suis, *Hieronymus*, & *Augustinus* condemnarunt.

[3] Fascic. temp.

[4] Genebr. in speculo histor.

Cęlibatum sacerdotum primus decreto stabiliuisse dicitur [5] *Syricius.* sed repugnauit vsq; ad *Gregorij 7* tempora Ecclesia [6] *Anglicana*, *Germanica*, *Hispanica*, & *Gallica*, nec nisi vi, & metu illa cogi potuit. *Paphnutius* cùm in Synodo *Nicena* quidam intēpestiuè hoc negotiū exordirētur, rē prorsus abrupit. *Gangrensis* Synodi [7] Patres hunc cęlibatum coactū damnarūt.

[5] Distinct. 82. c.

[6] Matth. Paris. anno 1125.

[7] Can. 4.

[8] Vniuersae denique regulae, & religiones *Dominicanorum*, *Franciscanorum*, *Augustinianorum*, *Carmelitanorum*, *Iohannitarum*, *Antonianorum*, *Caelestinorum*, *Gregorianorum*, & reliquorum Monachorum, & fraterculorū nuper institutę sunt. *Franciscani* à *Francisco* quodam *Bernardini* filio (impostore, an idiota dicam, nescio:) *Dominicanorū*, & reliquorū Monachorū armenta & greges singuli à suis auctoribus nō ita antiquis nomina habent. *Iesuitae* ferè omniū postremi, duce [9] quodā claudicante milite anno tantùm 1546 in Rom. superstitionis scenam ingressi sunt. nec mihi veteres Monachos qui fuērūt *Augustini* & veterū Patrū temporibus cōmemorēt. nam si nomē excipias, nihil habent hi cum illis cōmune. non erant veteres Monachi Clerici, non vouebant cęlibatū, non peierabant, non viuebant in vrbibus, nō sectabantur hoc otiosū pecuniarū & quęstus aucupiū: isti omnia faciunt. quod autē illi faciebāt, vt operarentur manibus, isti non faciūt, otiosi

[8] Omnes istae nouae religiones ferè sub Innocen. 3. tempore irrepserunt.

[9] Surij histor. & specul. Genebrardi.

otiosi enim tanquam in hara sues saginantur.

Sacrificulorum gestus scenici & vestes; vt humerale, alba, cingulum, stola, manipula, casula; & Ecclesiarum ornamenta, vt portæ, tabulæ, statuę, monstrantiæ, campanellæ, cruces, nuper in ecclesiam per superstitionis portas irrepserunt. eadem etiam via subingressę sunt consecrationes templorum, cœmiteriorum, vestium, cineris, ignis, olei, suffitus tempore precum, aqua lustralis, vnctiones, & herbarum benedictiones, & mille huiusmodi næniæ pontificiæ. noua hæc esse non est dubium, cùm apud veteres vix vllum sit eorum vestigium: displicuisse bonis quis dubitet, cum suo tempore *Augustinus* præ cæremoniarum inutilium multitudine *tolerabiliorem fuisse dicat statum Iudaicæ, quàm tunc Christianæ Ecclesiæ?* ista autem omnia post *Augustini* tempora irrepserunt.

Omnis deniq; illa Pontificiorum doctrina, & Pontificis Rom. tyrannis, de qua illis nobiscum controuersia est, noua est. docent [1] *satisfactionem esse persolutionem pœnæ plerumque adhuc debitæ, remissa iam culpa*; sed hoc pugnat cum Dei misericordia. quę enim ratio patitur vt remissa culpa exigatur pœna? nunquam dicent Monachi illos misericordes esse, qui sibi ob perduellionis crimen culpam remittunt, & patibulo suspendunt, vt pœna illa principi satisfaciant. præterea non esset Deus iustus, si ipsius iræ propter peccata nostra grauissimæ tantilla nostra pœna possit fieri satis. omnia hæc noua sunt.

Temporales afflictiones à Deo nobis inflictas, si patienter sustineantur, Patres [2] *Tridentini asserunt esse satisfactiones per Christum pro peccatis.* at hoc Christi satisfactionis meritum minuit, & cum humanis operibus communicat. quod contra Scripturas est; & idcircò nouum.

Transsubstantiationis doctrina noua veterem renouat Eutychis hæresim. nam non habebit Christus verè humanum corpus, si in tot locis quot illi volunt simul esse possit. nomen ignorauit *Petrus Lombardus*; rem statuit primus *Nicolaus*; clarè autem & verba posuit [3] *Innocentius*.

Quod sacerdotes quotidiè offerunt sacrificia pro [4] viuis & defunctis, & constituantur mediatores inter Deos, & homines; noua est, & contra *Pauli* sententiam peruersa doctrina; tollitque Christi munus, & eius sacrificij meritū: eámq; veteres reprehenderunt. *Augustinus* enim eo nomine *Parmenianum* reprehēdit, quòd *se* [5] *mediatorē inter Deum & homines* poneret.

Inuocatio sanctorum Pontificijs vsitatissima est. crebrò enim sanctos, Christum rarò inuocant. tollit autem ea Christi intercessionem, & veram precandi rationem. preces enim ad Deum dirigūtur, & per Christum demum ad eum delatæ fiunt efficaces. cultus autem hic sanctorum & imaginum diuinos creaturis contra mandata diuina impertit honores. Christi

1 Tapper. art. 6. & Catech. Rom. p. 475.

2 Sess. 4. c. 9.

3 c. firmiter. §. vna. de sum. trin. & fid. Cathol. & Scotus in 4. Senten. dist. 11.

4 Catech. Roman. p. 533.

5 August. contra Parmen.

sti mediationem aut tollit, aut minuit, noua igitur sunt. noua enim habentur quæcunque contra domini institutionem suscipiuntur. in priscis patrum scriptis, huius pontificij moris nulla est defensio.

Qui vi liberi arbitrij fieri aliquod bonum opus existimant, & in lege iustificationem quærunt, longè aliam quàm veteres ingrediuntur salutis viam, & nec Legem, nec Euangelium norunt.

De sacramentis, quantum cum sacris literis pugnet pontificiorum doctrina iam diximus: non est igitur dubitandum, nouam esse. neq; enim citò maiores nostros à scripturæ sententia defecisse verisimile est.

Veteres [1] in singulis prouincijs causas emergentes terminari voluerunt: isti omnia undiq; negotia Romam evocant. veteres [2] à clero episcopos eligi, & à plebe probari voluerunt: Rom. pontifices à cardinalibus tantùm designantur. ipsi reliquos episcopos pro arbitrio constituunt: [3] *Iohannes 12* in stabulis equorum episcopos quosdam ordinasse dicitur.

Illi coniugium episcopis contra veterũ instituta interdixerunt, ijdemq; leges de cultu [4] corporis, cibis, cultuq; diuino, illis scripserunt nouas. cum igitur tot ecclesiæ Romanæ dogmata, tot magistratus, tot leges nouæ sint, qui potest doctrina pontificia videri antiqua? *at fatentur centuriarum authores in singulis centurijs, aliquos extitisse, qui dogmata pontificia, quæ nobis non probantur, defenderint.* Hoc enim dicit *Bellarminus*, sed planè mentitur. quid enim huic parcam, qui non parcit mendacia dicere? nam ut aliquos illi designent, qui de purgatorio, de inuocatione mortuorum, de satisfactione aliquid contra sacras literas defenderunt; non tamen sequitur ut doctrinam pontificiam continuò defenderint. oppugnant illi potiùs, quam defendunt. *obijcit præterea nos nescire authorem sectæ pontificiæ.* quasi verò non multos multarum hæreseõn potificiarum errores dixerimus, & non vbiq; in decretalibus pontificum Rom. epistolis, nouarum opinionum authores nominentur. *negat etiam nos tempus scire quo aliquod nouum ab illis dogma receptum est.* at hoc multis allatis exemplis refutauimus. præter cetera quæ suprà dicta sunt, hoc etiam occurrit, quod *Leo 10* in Concilo *Lateranensi* publicas probauit vsuras, sub nomine [5] montium pietatis. vbi sub nomine stipendij ministris debiti, exiguntur non tantùm [6] semisses & besses, sed etiam centesimæ vsuræ: hoc est, maximæ.

Negat præterea *nos dicere posse, quo tempore ecclesia Romana à fide defecerit*; cui res ipsa satis respondet. nam quocunque tempore publicè recepit contra religionem Christianam dogma aliquod nouum, hunc fecit ad defectionem gradum. cum probauit inuocationem mortuorum, cultum imaginum, transubstantiationem, primatum pontificis, aut deniq; aliquam veterem, aut nouam in hæresim (quod quo tempore factum fuerit,

[1] Calced. conc. can. 9. & Carth. concil. 4.

[2] Distinct. 92. nulla ratio.

[3] Luitprandus.

[4] De vita & honest. Cleric. item de cohabit. Cler. & mul. per totũ.

[5] *Monti di pietà.*

[6] Onuphr. in Pio 4.

decreta,& decretales pontificum, & acta conciliorum indicant) tum defecit à Christo.

Objicit etiam *non tenere nos locum, vbi noua hæc dogmata exorta sint, nec qui illi fuerint qui illa oppugnarint*, quibus nos antea obiectionibus satisfecimus. nam Romæ nata sunt, ibidemq; à priscis patribus, & pijs doctoribus continuò exorientibus damnata. In eo deniq; insistit *Bellarminus*, quòd nesciamus *à qua maiore ecclesia se separauerit ecclesia Rom.* quasi non dixerimus illam à catholica, quæ quauis particulari maior est, discessisse. sed hæc iste homo acutus non vidit. putauit enim ille Rom. ecclesiam vel ipsa catholica esse maiorem. qua in re peccauit non tantum contra Theologiæ, sed & Geometriæ principia. in Geometria enim flagitium est quod dicit, partem toto maiorē esse affirmare. Vniuersa sanè hac *Bellarmini* defensione nihil cogitari potuit imbecillius, aut putidius. nam ut videtis, falsa sunt quæ dicit; & si vera essent, non tamen ex illis consequitur quod cupit. Multas enim & *Augustinus*, & *Epiphanius*, & *Nicephorus*, & alij historiarum scriptores commemorant hæreses; quarum tamen nec authores, nec locos vbi viguerint, nec tempora, nec aduersarios qui illas oppugnarunt referunt. huiusmodi sunt qui dicuntur, *Apostolici*, & *Angelici*, & *Feri*, & *Nudipedales*, & *Aquarij*, & *Ophitæ*, & *Mirabiliarij*, & *Staurolatræ*, & *multæ alia hæreticorum familiæ*: quos non dubitamus hæreticos esse, quia pugnant aduersus Christianam fidem. quare si fidem orthodoxam deseruerit Rom ecclesia, conclamatum est. hæc de authore, tempore, loco, & huiusmodi circumstantijs commentatio, nihil aliud est, nisi otiosum monachi verbosi, & putidi deliramentum. Quæ affert ex *Caluino*, ea doctè, & argutè sibi videtur diluisse: sed facilis est victoria, cum proprijs legibus pugnant aduersarij. si causæ suæ confiderit, non colligat ille, quicquid libet, quo nihil est calumniosius; sed nostrorum hominum vniuersas rationes & ordine, & verbis ijsdem recitet, & deinde, si possit, diluat.

Christi quidem ecclesia catholica semper fuit, semperq; erit. nec enim vlla vis eam extinguere potest. sed nihil hoc ad [1] Romanam ecclesiam attinet, quæ nunc est, & his magistratibus, legibus, fide, moribus utitur. non est enim hæc vetus Rom. sed veteris Rom. ecclesiæ labes, seu potiùs cadauer, quod illius præter nomen fere nihil habet. alia enim habet dogmata fidei, alia sacramenta, alios cultus, aliam viuendi disciplinam. quare quod *Bellarminus* Romanæ ecclesiæ originem à principio mundi repetijt, aut somniauit, aut delirauit. vno enim hoc dicto caput pontificium Rom. ecclesiæ detruncauit. nam ante *Petrum* nullum dicunt Rom. ecclesiæ fuisse pontificem, ne *Petro* quidem *Antiochiæ* sedente fundatam dicunt fuisse Rom. ecclesiam. qui igitur potuit Rom. ecclesia esse, vt illi nunc

[1] Romanam ecclesiam quæ nunc est non multum durasse.

nunc eam definiunt, cum nullum esset caput, nec corporis Rom. ecclesiæ vita adhuc editæ essent decretales epistolæ? hæc posterior Rom. ecclesia à *Bonifacio 3* progressa, usque ad *Leonem* decimum incrementum accepit. nunc autem postquam diffundere se lux cœpit veritatis, pontificiæ paulatim tenebræ euanescunt. Ex *Ænglia, Dania, Scotia, Nornegia,* maximaq; *Germania* parte exulare cœpit papismi labes: *Gallia* & *Belgium* nutant. sola in perfidia impietatis immota stat *Hispania,* & ob metum armorum *Italia* se commouere non audet: adeò vt non dubitemus nos breui aut exitum, aut huius tyrannidis inclinationem maximam visuros. tenebræ enim cedunt luci, [1] *Antichristusq; spiritu oris domini tandem consumetur:* meretrixq; illa quæ septem collibus insidet, tandem nudabitur, & disperdetur. moliantur igitur quantum possint Iesuitæ, omnibusq; præstigijs & vulpinis fraudibus veritatem opprimant, adhibeantq; leones illi Romani suam etiam leoninam pellem, armisq; & seditione omnia turbent, veritas tamen mendacia, & hæreses vincet. [1] 2. Thess. 2.

[2] Pręterea non est ea amplitudo ecclesiæ Rom. vt catholica dici mereatur. nam vt id probemus, quod dicit *Vincentius*, eos esse catholicos qui tenent id, *quod* [3] *semper, quod vbiq;, & quod ab omnibus creditum est:* maximè tamen hoc contra ecclesiam Rom facit. nam eam quam hæc nunc profitetur fidem, nec semper Christi professa est ecclesia, nec viguit illa omnibus in locis, nec ab omnibus hominibus recepta est. *Catholica quidē Christi ecclesia,* vt inquit [4] *Augustinus, omnia tempora, loca, & hominum genera complexa est.* hoc autem ostendit ecclesiam Rom. non esse catholicam. nam quod ad tempora attinet, nusquam fuit, vel ante legē, vel ante Christi tempora, Rom. ecclesia. hæc verò quæ nunc viget Rom. ecclesiæ fides, nec in prisca quidem ecclesia Rom. nedum in alijs per orbē ecclesijs fuit. ne hęc quidem habuit sacramenta, aut hunc cultū diuinum, vel Romana, vel alia quæuis Christiana, & prisca ecclesia. si aliter sentit *Bellarminus*, cur non docet missæ sacrificium pro peccatis viuorum, & defunctorum, sanctorū, imaginum, & reliquiarum cultum, & septē Rom. ecclesię sacramenta semper in prisca ecclesia extitisse? *Paulus* quidem vnicū docet esse [5] sacrificium, vnicū sacerdotē, & vnicam oblationē, vnum pręterea mediatorē, & intercessorem. cultum imaginum, & reliquiarum, & omnium creaturarum vetuit ipse Deus: & nequis distinctionis inter δουλείας, λατρείας rima se elabi posse putet: Deus ipse ne procidamus coram creaturis adorandi [6] gratia vetuit. ipse etiam [7] *Hieronymus* reliquiarum cultum damnauit. propter hunc vnum imaginum cultum Iudæi Christianæ religioni sunt iniquiores. hæc autem septem sacramenta quæ nunc seruant pontificij vtcunq; paulatim in ecclesiam Rom. irrepserunt: tamen in Apostolica ecclesia

[2] Non esse hodiernam ecclesiam Rom. vniuersalē.
[3] Lirinens. in commonit.
[4] De vnit. eccl. c. 6.
[5] Heb. 7. & 9.
[6] Exod. 20.
[7] Epist. ad Ripar. presbyter.

pro sacramentis habita non sunt. nec in ecclesia quidem Romana certa lege accepta sunt ante concilium *Tridentinum*. neque hæc solùm, sed vniuersa ecclesiæ Rom. forma, & ritus noui sunt, vt supra diximus.

Si locos, & homines spectemus, nec à Iudæis hæc Romana fides recepta fuit, nec à priscis Christianis, nec illa ecclesiam aut orientalem, aut australem, aut transalpinas nationes occupauit. nam ante *Nicenum* concilium, imò quamdiu *Constantinopolitanorum* regum stetit imperium, exigua aut nulla ratio [1] habebatur Rom. ecclesiæ. à *Nicena* synodo pontificis Rom. iurisdictio terminis suburbicarũ ecclesiarũ definita erat. postquam verò neglectis limitibus alias ecclesias hostili more pontifices illi inuadere cœpissent, ecclesiam tamen *Rauennatem*, & *Mediolanensem*, non nisi post debellatos Imperatores Græcos, & subactos *Longobardos*, subigere potuerunt. Alpes supergressa eorundem potestas, Imperatorum tamen & regum *Galliæ* potentia diu repressa est. cum orientali ecclesia bella continua gesserunt. eisdem restitere ecclesiæ *Africanæ*. leges quidem diu nulla ecclesia à Rom. pontifice; Orientales verò, & *Africanæ* ecclesiæ nunquam acceperunt. fides verò orientalium ecclesiarũ longè alia fuit priscis temporibus ab hac Romana, vt diximus: etiam nunc & patrum memoria, in purgatorij articulo, & transubstantiatione & cælibatu sacerdotum, & pane azymo, & plerisq; religionis articulis, & ritibus, & cæremonijs Græci à Romanis pontificibus dissenserunt, & dissentiunt. qua igitur confidentia ausus est *Bellarminus* hanc Rom. ecclesiam, aut vniuersalem, aut Catholicam dicere, aut fidem, quæ nunc est, Rom. quæ recentibus admodum decretalibus, & scholasticorum rixis variè consarcinata est, catholicam esse profiteri? dicit quidem Apostolus verbum veritatis Euangelij peruenisse ad [2] *Colossenses*, sicut in uniuerso mundo erat, & id ipsum fructificare cœpisse. sed impiè hæc ille ad Romanam hodiernam fidem detorquet, quæ nec est verbum veritatis, nec ad omnes peruenit, nec fructus, sed malas herbas, vt lolium, & steriles auenas protulit.

Fidem etiam quę ab apostolis prædicata est, testatur [3] *Irenæus in vniuersum mundum peruenisse, & ab omnibus ecclesijs custoditam esse*. sed nec à Roma hunc sonum exijsse dicit, nec Rom. ecclesiæ meminit; nec si meminisset, quod de veteri Romana fide, quæ verè erat apostolica, dicitur, ad hanc nuperam Romam, quæ in sordibus & cœno volutatur pontificio, pertineret. nec *Irenæi* sententiam, si vllus illi esset pudor, *Bellarminus* ad hanc Rom. fidem & ecclesiam rapuisset. Christo quidem *Parthos*, *Medos*, & *Elamitas*, & qui inhabitant *Mesopotamiam*, & multas admodum Gentes, quamprimũ credidisse accepimus. memorat enim illud spiritus [4] sanctus. nihil igitur opus erat, vt hoc [5] *Tertulliani* confirmaret testimonio.

quod

[1] Pius 2.

[2] Coloss. 1.

[3] Lib. aduers. hæres. c. 3.

[4] Actor. 2.

[5] Adver. Iud. c. 3.

quod autem illi probandum erat, hanc nempe Pontificũ Romanorum mitratam, & calamistratam, & vnctam fidem ad omnes permanasse, quod in controuersia positum est, sicco pede præteriit, imo nec vno vestigio pressit. vt hoc probaret, nominat *Cyprianum*, eiusdémque citat librum de vnitate fidei. habet fortassè ille alios libros *Cypriani*, quam qui apud nos sunt. nam huius nominis inter eos *Cypriani* libros qui vulgò extant, nullus est. dicit quidem [1] *Cyprianus*, ecclesiam esse vnam; Ecclesiam verò Romanam ille episcopo, & plebe Rom. definit. Hæc immensa ecclesiæ spatia, quæ sub nomine ecclesiæ Rom. *Bellarminus* amplexus est, illi ignorata erant. nec mirum. summo enim vt amore, sic pari iure episcopo Rom. se coniunctum agnouit. nec alia est [2] *Athanasij*, [3] *Chrysostomi*, [4] *Hieronymi*, [5] *Augustini*, [6] *Theodoreti*, & [7] *Leonis Magni* sententia, quàm vt Christi fidem ad plurimas peruenisse nationes docerent. desinat itaque de Christi fide *Bellar.* loqui, (eam enim Rom. ecclesia adulterauit, & deseruit) & de hac Romana fide loquatur. Hanc enim nec [8] *Prosper*, nec vllus alius dicit vndique peruenisse. honores sedis Rom. ille prædicat, sed iurisdictionis sedis Rom. nullum apud eum est vestigium: famáque potiùs religionis & sanctitatis illo tempore, quam terrore coactionis nationes vltimas illi ecclesiæ obstrictas teneri testatur. at extant [9] *Gregorij Magni* ad episcopos *Orientis*, *Africæ*, *Hispaniæ*, *Galliæ*, epistolæ. egregia sanè deliratio, nam *Hieronymus*, *Augustinus*, *Ambrosius*, & alij pij viri ad multos epistolas scripserunt, quibus tamen illi non imperarunt. Omnis igitur hæc *Bellarmini* disputatio aliena est & insulsa. nam Rom. ecclesiæ latitudinem nullo modo probat. quid enim obstat quominus [10] *Gregorius*, & alij ad alias ecclesias quàm suas scribant? quare vt omnia hæc falsa redderet, attulit demum *Abbatis Bonenullis* hominis insulsi in vita *Bernardi* testimonium. cuius pleraque omnia ita sunt absurda, vt indicio suo miser ille monachus, tanquam sorex apud nos perierit. vixit ille post *Innocentij 3* tempora, quibus iam ecclesia Rom. imperij sui fines produxerat, nullo quidem iure: sed tamen quid attinet si tyrannide? non ita tamen, quin illo tempore magna esset in *Italia* ipsa de iurisdictione & honore contentio: Orientalisque & *Africanæ* ecclesiæ pars maxima à Pontifice Rom. dissideret. habuisse Rom. ecclesiam semper tam latos imperij fines negamus. nec probat *Bellarminus*: profert ille quidem huius latitudinis argumentum nouum orbem. sed is *Hispanorum* armis [11] euersus potiùs, quam *Iesuitarum* prædicatione conuersus fuit. exiguus est *Barbaris* religionis sensus, ijq; cruce potiùs, & campana, quàm fide agnoscuntur esse Christiani. quam autem fidem multa illa hominum millia quæ *Hispani* trucidarunt profiterentur, non dicit. Christianos fuisse non dicet, credo, *Bellarminus*. (non enim erit ea res *Hispanis* gloriæ, si tot

[1] Cyprian. epist. lib. 1. epist. 1.
[2] Lib. de humanit. verb.
[3] In cap. Mat. 24.
[4] In cap. item Matt. 24.
[5] Epist. 78. & 80.
[6] Lib. de legib.
[7] Serm. 1. de Petro & Paulo.
[8] Lib. de ingratis. sedes Roma Petri, &c.
[9] In regist. Greg.
[10] Lib. 2. epist. 7.
[11] Hieronymus Benzo, de rebus Indicis. & Bartholomæus à casas.

miseros Christianos morte affecerint:) sin Ethnici fuerint; non est tanta conuersionis *Indorum* laus, quantam *Iesuitæ* prædicant. adeo enim sunt pauci ibi Christiani, vt plures pingues *Iesuitas Charibes* comederint, quam illi verè Christianos effecerint. Cur autem *Angliam*, *Galliam*, *Germaniam* in suo regno Pōtificio describendo complecteretur, nulla causa erat. nam ex *Anglia*, & *Germania* magna parte, & nonnullis etiam *Galliæ* ciuitatibus, & prouincijs eiectus est Papatus, & in reliquis locis non adeo firmas habere videtur radices. adeo vt multum in Domino confidamus propediem futurum, vt quę nunc amplitudine, & numero superbit, ea breui in summas redacta angustias paucitatis argumento se defensura sit.

Nulla autem re magis, quam successione episcoporum gloriatur Rom. ecclesia. eam vbiq; iactat *Bellarminus*. *Verstegan*us à *Petro*, vsq; ad *Sixtum 5* recenset, catalogúmque illum prolixum Rom. Pontificum in tabula exhibet: quasi demum ea esset victoria vera, à *Petro* tanquam crepidine, vsq; ad *Gregorium 13*, & *Sixtum* quintum, & reliquos postremos Pontifices, tanquam tectum, seu potiùs tecti tegulas, & imbrices, imò lutum, & cæmentum hanc successionem contexere. vt hanc illis posthac eripiam, seu superbiam, seu insanam gloriationem; vt anteà ostendimus, quam nullius momenti vniuersa hæc esset episcoporum successio; sic nunc non habere illos, qua tantopere confidunt episcoporum successionem demonstrabo. nam hac quam habent, nihil incertius, eaq; sępius primò crebris & diuturnis vacationibus, deinde sedis ab vrbe translationibus, tertiò schismatibus, quarto *Ioannæ* Papæ intrusione. 5, hæreséon multarū colluuie, sextò Pontificalis muneris in ea sede cessatione, demum verò Antichristi in illam sedem ingressu, aut interrupta est, aut prorsus cessauit.

Incertitudo successionis & ex iuris quo succedunt incertitudine, & ex Historiarum in catalogo Pontificum recensendo discrepantia, & ex electione multorum episcoporum irrita vtpote contra Canones facta, & ex varia Pontificum, & aliorum de schismatibus sententia constat. nihil autem magis eneruat Rom. Pontificum successionem, quam quòd nec ius successionis suę sciant, nec tabulas testamētarias, vnde ius suum repetunt, proferre possint. successio enim verbū est iuris, & legibus ad illos qui eius iuris capaces sunt deferri solet. nam si locum spectemus, *Turcæ* episcopis *Hierosolymitanis*, & *Alexandrinis*, & *Antiochenis* successerunt; sed quòd nullum habent successionis ius, nec hæreditatis episcopalis capaces sunt, nemo illos illorum vocat successores. similiter si nec lex aliqua extet, nec testamentum, aut vltima Christi, aut *Petri* voluntas, quæ hanc ad Pontifices Rom. deferat vniuersæ Ecclesiæ hæreditatem: aut si hæc hæreditas eius generis sit, vt nec iure ad illos deferri, nec illi eam capere possint: frustra

frustra *Petri* succeßionem in ecclesiæ administratione venditabunt. æq; enim *Turcicis* sacerdotes episcopis *Hierosolymitanis*, & alijs olim vrbium magnarum episcopis atq; isti *Petro* successerunt, nisi hæc probare, & proferre poßint. quàm hoc illis difficile futurum est, ex sequenti disputatione experientur.

Quod ad primum attinet, succeßio in iure triplex esse solet, nam aut in vniuerso iure succeditur, quod faciunt hæredes, bonorúmque possessores, & fidei commissarij vniuersales : aut in re aliqua particulari ; quod ius Legatarijs, emptoribus, & donatarijs, qui appellantur successores [1] singulares, competit: aut denique in munere personali, in quo successores, *functionis* [2] *succidanei* appellantur. at nullo ex tribus iuribus Pontifices Romani, aut Christo, aut *Petro* succedunt. Vniuersales enim Christo successores esse nequeunt. nulla est enim viuentis hæreditas, aut [3] succeßio. Christus autem viuit, viuetq; in æternum, cum istius commentitię succeßionis nulla rudera supererunt. nec *Petro* quidem succedunt, in hac ecclesiæ vniuersali hæreditate. nam nec habuit *Petrus* huiusmodi aliquam vniuersæ ecclesiæ regendæ prærogatiuam, aut hæreditatem, qualem Pontificij putant: nec si habuisset, vel litera vna, vel syllaba extat, ex qua constare poßit eum eandem, aut testamento legasse, aut alio iure transmissam voluisse ad Romanos Pontifices. Dicit quidem *Clemens* in Commentitijs illis ad *Iacobum* fratrem Domini litteris, *Petrum* se ordinasse, & sibi Cathedram Romanam tradidisse. sed de hæreditate, aut alio iure nullũ extat vel minimũ indicium, Cathedræ autem hæc successio nulla est, nisi quæ in tonsorũ soleat esse officinis, vbi quibus abraduntur pili, sibi inuicem succedunt; nec tamen illa successione vel pilo ditiores sunt. ne in homine quidem positum est, vt quod in Christo Iesu fuit, & est, vt *sit Ecclesiæ caput, & sponsus, & Dominus:* id ille capiat. nec legatio *Petri* Apostolica quæ à Christo ei immediatè data est, ad alium nisi a Christo demandari potest.

Rei singularis successione nec Pontifices Rom. contenti sunt in hac ecclesiæ possessione, & iure, nec eam postulant : nec si ad rauim vsq; postularent, eam haberent. Christus enim regnum suum nec in parte quidem cum Angelis, aut hominibus commune habuit. *Petrus* autem nullam habuit regni huius, quam transmitteret, partem. nec sunt Romani episcopi, aut legatarij, aut donatarij. emunt quidem, idq; maximo pretio, auróque vendunt præsentario Cardinales Pontificatum Romanum. nec video quod ius habeant illi aut præstantius, aut pinguius. sed nos de iure succeßionis, quod vendi non potest, agimus.

Superest igitur vt in Christi, aut *Petri*, aut vtriusque munere, & officio Pōtifices Romani succedant, si modo vllum omnino habent succeßionis ius.

[1] L. vlt. ff. de except. rei vend. 1. § in locum. & ff. quod Legat. L. 7. & 8. de iureiurando.

[2] L. priuilegio. C. de decurionib. lib. 10.

[3] L. 1. ff. de hæred. vend.

ius. illi vtriusque in officio suo successionem sibi vendicant; sed nec iure alterutram possident. Christus enim in officio nullum habet successorem. semper enim viuit, & præsens adest, & munere suo fungitur. successores autem decedentibus, & absentibus succedunt; nec rectè illi homunciones ineptissimi postulant, se Christi Vicarios, & in Christi officio successores censeri. qui enim possunt, vel capitis, vel sponsi, vel domini ecclesiæ (licet non sine [1] blasphemia hæc sibi nomina arrogent) officio fungi? possúntne illi vires ecclesiæ membris infundere, & singula dirigere vt caput? vel omnes vbique ecclesias cura amplecti, & consolari, vt sponsi? ac si ista possent, non tamen deberent imperare, & præesse instar Domini. dicunt quidem se omnia ista præstare posse, & debere: sed vel sciunt se non posse, vel nesciunt quid possint. Christus se cum suis ad finem seculi futurum promittit. de bello isto suo vicario ne verbum quidem fecit, nisi fortè vbi multos in suo nomine venturos [2] pseudochristos, seu potiùs Antichristos prædixit. ipse hæreditatem ecclesiæ adijt solus, nulla ipsi facta est ne in quidem ima cera substitutio. nec *Petro* quidē tradidit Christus oues, nisi pascendas. *Petro* Vicariatum nullū dedit. istis autem qui non pascunt, sed mactant Christi oues, nunquā illas tradidit. *Petrum* quidem, vt & alios Apostolos in orbem vniuersum cū nobilissima Euangelij legatione destinauit: munúsque illis docendi, & administrandi sacramenta commune dedit. Hoc munus illi ceteris demandarunt. in quo licet multi illis ordine successerint; nullus tamen à *Petro* successionis ius deriuare potest. quicunque enim alicui in munere aliquo succedunt, non illi ius habent à prædecessoribus, sed ab illis qui ius illud sibi mandarunt. exemplo illud constat Consulum, tutorum, curatorum, & omnium qui ad munus aliquod electi sunt. Consules enim licet sibi inuicem succederent, ius tamen non à prædecessoribus suis, sed à populo Romano habuerunt; populi enim suffragijs electi sunt. quod omnium Magistratuum, Tutorum, Curatorum, & Procuratorū, quorum munus personale est, & sollicitudine animi, ac vigilantia sustinetur, commune esse dicunt [3] leges. Si obierit Magistratus qui mandato Principis delegatam habet potestatem, vel tutor fiduciarius, vel datiuus, vel testamentarius, vel curator; alter erit [4] hæreditatis, alter autem muneris successor. hæreditatem capiunt, qui lege, aut testamento hæredes sunt, aut bonorum possessores, aut fidei commissarij: munus autem capiunt illi, quibus illud Princeps, vel ille qui potestate præditus est, delegat. hæreditatem autem ecclesiæ nec *Petrum* creuisse, nec transmittere potuisse, nec Pontifices Romanos capere valuisse ostendimus. nunc nec *Petrum* prærogatiuam habuisse vniuersæ ecclesiæ regendæ, nec prærogatiuam illam, aut illum transmittere, aut hios capere potuisse demonstrabimus.

[1] C. quoniam. de immunitate in 6. & c. vnam. extr. de maior. & obed.

[2] Matt. 24.

[3] L. 1. § 1. & L. 6. § vlt. & l. vlt. de muneribus & honorib.

[4] L. 1. § sciendum. l. 4. l. 6. ff. de Magistrat. conuen. l. 6. § vlt. ff. de his qui notantur infamia.

Potestas

Poteſtas docendi, adminiſtrandi ſacramenta, & eundi in vniuerſũ mundum, & ſecundũ Chriſti leges adminiſtrandi eccleſiam, omnibus ex ęquo Apoſtolis data eſt. Chriſtus enim omnibus ex æquo dixit; [1] *Ite in vniuerſum mundum, docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Omnibus præterea non vni tantum *Petro* claues conceſſæ ſunt. dictum eſt enim omnibus; *quorum* [2] *peccata ſolueritis, ſoluta erunt*, & quorum ligaueritis peccata, ligata erunt. Tertiò, cum ad patrem aſcenderet, non vni tantum curam eccleſiæ regendæ commiſit. *ſed in eadem* [3] *alios dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores, & doctores*; quorum ſingulas prouincias ſinguli, non omnes vnus tantùm obiret. Quartò non habuerunt reliqui Apoſtoli poteſtatem à *Petro*, ſed a Chriſto Ieſu. nam ſi ab illo fuiſſent vocati, non eſſent dicendi Apoſtoli. Hoc enim habent Apoſtoli ſingulare præ reliquis paſtoribus, *quod non ab* [4] *homine, nec per hominem, ſed a Chriſto Ieſu vocati ſunt.* & ne quid *Petro* præ reliquis ſingulare conceſſum videretur; [5] dicit *Paulus ſe ijs qui columnæ videbantur nulla re* inferiorem fuiſſe; & [6] oſtendit à Chriſto ad Patrem aſcenſuro omnes Apoſtolos mandata paria accepiſſe. Quintò, eximiam hanc vnius in reliquos Apoſtolos, abſolutam, & Papalem poteſtatem Chriſtus prohibuit. [7] *tyrannicum enim dominatum, faſtuoſos titulos*, gentiles potiùs, quàm ſuos diſcipulos decere cenſuit.

Sextò, videmus hanc ſummam in reliquos Apoſtolos poteſtatem, nec *Petrum* arrogaſſe, nec reliquos illi detuliſſe Apoſtolos. In Concilio [8] *Hieroſolymitano Iacobus* non reliquis tantùm, ſed etiam *Petro* præfuit. Omnes enim ad *Iacobum* honoris eius cauſa venerunt, is vltimus ſententiam dixit, ex eius ſententia Acta Concilij ad alias eccleſias tranſmiſſa ſunt. *Paulus Petro* reſtitit, eúmq; grauiter reprehendit. erat enim meritò reprehendendus: quod quidem ſi *Petro* talis, qualem ipſi ſomniant, fuiſſet conceſſa prærogatiua, nec laudandum, nec ferendum erat. Pontifici enim Rom. negant licere dicere, [9] *Domine cur ita facis?* Septimò, nunquam, aut concilia, aut Patres hanc *Petri* in reliquos prærogatiuam, aut animaduerterunt, aut probarunt. *Hoc enim illis erant reliqui Apoſtoli, quod & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis.* [10] Valdè autem mirum videretur, ſi hoc quod iſtis prora, & puppis eſt, illi non vidiſſent. Octauò, multa incommoda ſequerentur ex hac *Petri* prærogatiua. *cadente enim eo qui vniuerſalis eſt Eccleſiæ rector, caderet* [11] *Eccleſia*; ſtantéque eo, multæ eius partes negligerentur. Neque enim cadit in quemquam tam excellens prudentia, vt omnem vbiq; Eccleſiam debita cura complecti poſſit, illo verò deficiente, & moriente, tamquam ſine rectore, & gubernaculo nauis multis iactaretur errorum, & turbarum fluctibus. Nonò, ne ipſi quidem Romani Pontifices cauſam huius primatus habent à *Petro*, ſed

[1] Matth. 28.
[2] Matth. 18.
[3] Epheſ. 4.
[4] Rom. 1.
[5] Galat. 2.
[6] Epheſ. 4.
[7] Matt. 20.
[8] Act. 15.
[9] C. ad Apoſtolatus. extr. ne ſede vacante, in gloſſ.
[10] Cyprian. de ſimpl. c. Prelat.
[11] Gregorius in epiſt. de Iohan. Conſtantinopolit. ad Maurit.

vt nonnulli ferunt à *Constantino*, vt alij a *Phoca*, vt reliqui aiunt a *Carolo Magno*, & *Ludouico Pio*. [1] *Constantinum* enim nonnulli asserunt, Pontifici Romano principatum tribuisse super omnes ecclesias. *Bonifacius* verò tertius, nec huic (si quæ fuit) donationi satis fidens à *Phoca* Vniuersalis Episcopi nomen, & iura impetrauit. Posteà verò cum nec sic satis firmum ius istud videretur; idem donatione *Ludouici Pij* confirmarunt. neque tamen quicquam profecissent, nisi armorum potentia omnibus contradicentibus silentium perpetuum indixissent.

[1] Distinct. 66. cap. Constantinus.

Quod itaque dicunt [2] Iurisconsulti, *non esse ferendum, vt actor alleget intentionis suæ causas contrarias*, hic etiam locum habet. Nec enim ferendum est, vt Pontifices, & diuinam, & humanam eiusdem rei originem proferant; eius præsertim quæ ita firma est, si a diuino iure profecta fuerit. Hæc enim maximè inter se pugnant, primatum à Christo, & a principum constitutionibus profectum esse. Denique contra hunc *Petri* primatum, omnes & sacræ, & Ecclesiasticæ loquuntur historiæ, quæ nullam *Petro* in reliquos Apostolos datam Iurisdictionem testantur.

[2] L. si quis, ff. de petition. hæredit. lib. 1. C. de furtis. l. Titius ff. de conditionib. & demonstr. & ibidem doctores.

Quod dicit *Bellarminus*, multisque dixerat ante eum, & frustrà *Turrianus*, *Petro* dictum esse, *Pasce oues meas*; item, *Dabo tibi claues regni cœlorum*; etiam, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* agnoscimns; sed negamus inde consequi *Petri* primatum in Apostolos, & ministros Ecclesiæ reliquos. nam vt *Petro* ista soli dicta sint, quod ad nauseam vsque nobis inculcat *Bellarminus*, multísque vtitur in re minimè dubia testibus non necessarijs; non tamen exclusiuè, nec præcipuè, seu limitatiuè, vt loquuntur, dicta sunt. nam & ceteris eandem potestatem [3] Christus tribuit, prorsúsque eos pares facit. Dicit *Paulus* se nulla re ceteris Apostolis fuisse inferiorem, & potestatem, non ab [4] *homine, nec per hominem accepisse*. eáque sententia est Patrum. *hoc erant vtique cæteri Apostoli*, inquit [5] *Cyprianus, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.*

[3] Matt. 28. & Ephes. 4.

[4] Galat. 1.

[5] Cyprian. de simpl. prælat.

Paulus etiam, teste [6] *Chrysostomo, nihil opus habebat Petro, nec illius egebat voce, sed honore par erat illi: nihil enim hic dicam amplius.* In eadem sententia sunt & *Origenes*, & *Hieronymus*. *dices* (inquit [7] *Hieronymus*) *super Petram fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.*

[6] In epist. ad Galat. cap. 2.

[7] Hieronym. aduers. Iouin. lib. 2.

Origenes verò vt ex interrogatione constat, nouum esse putat, vt Ecclesia super *Petrum* dicatur fundari: *quod si* [8] *super vnum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam: quid*, inquit *Origenes*, *di-*

[8] Origen. in Math. tract. 1.

Eturus

Elurus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? ostenditque dicta sua Christus æquè ad alios Apostolos, atque ad *Petrum* pertinere. omnibus enim potestatem tribuit soluendi & ligandi: & Apostolus vnam, & æquam fuisse Apostolorum societatem demonstrat.

Iacobus, Petrus, ([1] inquit ille) *qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* *Augustinus concorditer inter se vixisse* [2] dicit *Petrum, & condiscipulos eius.* criminísque loco obijcit *Petro* [3] *Chrysostomus, quòd se ceteris præposuit. duplex, inquit ille, crimen erat, tum quia repugnauit, tum quia ceteris seipsum præposuit.* nec ad rem facit quod *Petro,* non alijs Apostolis ter dictum fuerit; *pasce oues meas.* non enim triplex illi hoc dicto corona, nec pinguior Iurisdictio concessa fuit; sed triplici confessione, triplicis negationis antè à *Petro* factæ diluenda macula erat. *Quoniam* ([4] inquit *Cyrillus*) *cum alijs, Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit: iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur.*

[1] Galat. 2.
[2] August. Epist. 86.
[3] In Matt. Hom. 83.
[4] In Ioan. c. 21.

At vrget *Bellarminus*, Christi ad *Petrum* verba, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, multísque contendit Ecclesiam super *Petrum* fundatam. quod quidem, si vt Veteres intellexerunt interpretetur, non multùm repugnabimus. nam super doctrinam Apostolorum, & Prophetarum fundata est Ecclesia, & in *fundamento cœlestis Hierusalem nomina duodecim Apostolorum scripta sunt.* omnésque ferè Patres, propter horum singulare ministerium, Apostolos, vt fundamenta, per quorum ministeria ædificata est Ecclesia, suspiciunt. Potuit igitur tot hoc nomine allatis Patrum sententijs abstinuisse. sed ipse super *Petrum* solum exclusis alijs fundatam Ecclesiam esse vult, neque tantum super *Petrum*, sed etiam super Pontifices Romanos; atque ita quidem fundadatam, vt quicquid Pontifices illi ex sua Cathedra funditant, illud nobis continuò credendum sit. Hoc autem falsum est. non enim super homines, aut hominum sententias, sed super CHRISTVM IESVM, eiusque æternum Verbum, vt & scripturæ diuinitus traditæ docent, & prisci patres tradiderunt, fundata est Ecclesia; *aliúdque* [5] *fundamentum nemo ponere potest præter illud, quod positum est, quod est* IESVS CHRISTVS. *Superstructi sumus*, (inquit [6] Apostolus) *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, cuius imus angularis lapis est ipse* IESVS CHRISTVS. *Christus ille, est* [7] *lapis viuus* (inquit *Petrus*) *ad quem accedentes ædificari debemus.*

[5] 1. Cor. 3.
[6] Ephes. 2.
[7] 1. Pet. 2.

Hæc cum de Christo dicat *Petrus*, ipsíque fundamenti honorem tribuit; ipsi

ipsi potiùs auscultandum est, quam Pontificijs, qui super Romanam Cathedram, nescio quo nouo artificio suam inædificant fidem, [1] *Lapidem ipsum reprobantes, qui factus est caput anguli.* neque enim possunt hæc duo simul consistere, Christum, & eius doctrinam vnicum esse Ecclesiæ fundamentum, & Pontifices Romanos & *Petrum* esse succidaneum ecclesiæ fundamentum. nec si *Petrus* super Christum fundatus est, possunt alij fideles fundari super *Petrum.* interpretatio igitur illa, quæ *Petrum* fundamentum facit ecclesię, & *petram*, repudianda est. *Nulla enim proferenda est interpretatio* (inquit [2] *Augustinus*) *quæ cum apertis scripturæ locis pugnat.* si nec scripturis, nec nobis fidem adhibet: credat saltem interpretationibus *Patrum*, qui longè aliter, atque Pontificij hæc verba Christi, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; interpretati sunt. *Origenes non super Petrum solum, sed super*[3] *Apostolos etiam reliquos fundari putat Ecclesiam,* eorum enim doctrina nititur Ecclesiæ fides. Idem *Apostolis omnibus communiter concessas putat esse claues, eisdémque communes factas de Christi præsentia, & ecclesiæ duratione promissiones.* *Christus* (inquit [4] *Chrysostomus*) *est vir ille sapiens, qui ædificauit domum suam, id est, Ecclesiam, super Petram id est, super fortitudinem fidei: nam & fortitudo fidei, Petra dicitur, propter quam Simon Petrus dictus est, ad quem dicit Deus, tu es Petrus, &c.* [5] *Gregorius Nizzenus* his verbis, *Tu es Petrus, super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* intelligi putat confessionem *Petri.* dixerat enim ante, *tu es Christus filius Dei. Portæ inferni* (inquit [6] *Epiphanius*) *verè sunt omnes Hæreses, sed contra veritatem non præualebunt, hoc est contra fidem.* [7] *Hilarius vnam asserit esse fœlicem fidei petram, quam Petrus suo ore confessus est, & super illam* [8] *Petram confessionis Petri dicit ædificari ecclesiam. fundamentum quod Apostolus posuit, vnum esse Dominum Iesum Christum interpretatur* [9] *Hieronymus. quia petra Christus,* ideo (inquit [10] *Ambrosius*) *Simon nuncupatus est Petrus,* idem quod *Petro* dictum est, Apostolis etiam reliquis dici [11] putat. omnium autem clarissimè hæc Christi verba enucleat [12] *Augustinus: Vniuersa* (inquit) *ecclesia non cadit, quia fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, &c. ideo ait Dominus super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, tu es Christus filius Dei viui. super hanc ergo inquit Petram, quam confessus es, ædificabo ecclesiā meam. petra enim erat Christus, super quod fundamentū etiam ipse ædificatus est Petrus.* [13] dicit prętereà *Petrum* figuram ecclesiæ gessisse, cū illi diceretur, super hanc *petram &c.* non ergo nec *Petrus*, nedū Pontifices Rom. fundamentū sunt ecclesię. nō est enim ecclesia super cœnum, & lutum, sed super Christū, tanquā lapidem angularem, & immobilem *petram* fundata. at habet (inquit *Bellar.*) *Syrum* idioma, *super Petrū fundatam esse ecclesiam,* quasi

[1] Matth. 21.
[2] De doctrina Christi, lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 26.
[3] In Matt. tractat. 1.
[4] In opere imperf. in Mat. ca. 7.
[5] In testim. dilect. ex vet. test.
[6] Contr. hæres. lib. 3. hæres. 74.
[7] De Trinit. lib. 2.
[8] De Trinit. lib. 6.
[9] In Matt. cap. 7. lib. 1.
[10] Serm. 84.
[11] In Psal. 38.
[12] Tract. in Ioh. 124.
[13] Epist. 165.

quasi verò non multùm præstet versioni Syræ idiôma originale. prætereà falsum est quod dicit de idiômate Syro. nam etiam in illo distinguitur *Petrus* & petra; vt ex vocabulo *Hadah* quod fœminium genus designat, intelligitur. cũ idiômate Syro congruit & textus *Græcus*, & versio latina veteris interpretis, quam si repudiauerit *Bellarminus*, agendum est ipsi non nobiscum tantùm, sed cum *Tridentinis* patribus. ipsi enim hanc interpretationem confirmarunt. contra quos legitimo sacramento ei contendere non licet. contendit tamen, eorumq; sententiam, veteremq; interpretem non magni facit. huic enim pontificis sui causa, etiamsi omnes illi capiendi essent inimici, & omnes violandæ leges defendenda est. illi enim salus pontificis, suprema lex est. ego verò cum ecclesiam ex Christi verbis super petram fundatam, & consultò verborum mutationem factam videam: Christum, non *Petrum*, sed se in fundamento locasse non dubito: nec futilem & inanem *Bellarmini* sine mente contra nostram interpretationem, loquacitatem moror.

Reliqua eius argumenta adeò sunt inepta, & infirma, ut dubitem, vtrum argumenta, an potiùs scopæ dissolutæ, dicenda sint. nullo enim rationis vinculo colligata videntur. gustate quæso hominis acumen, & videte an ista dialectici alicuius sint, vel hominis sani, & sobrij. *Simon* (inquit ille) *dictus est Petrus*; & *primus numeratur inter Apostolos*; & *ambulauit cum Domino solus super aquas*; & *solus confessus est Christum esse filium Dei: solúsque soluit tributum*; retíque *in mare iacto pisces cepit*: prætereà *Christus resurgens, illi apparuit*, & *primò illi pedes lauit*, eique *soli mortem prædixit*: *Petrus porrò vnum docuit eligendum in locum Iudæ*, & *transiuit Petrus per omnes*, & *Paulus denique Hierosolymam venit, vt Petrum videret*: ergo *est Petrus caput ecclesiæ*, & *præfuit Apostolis*, & *summus erat pontifex*. quas tamen ille conclusiones non suo marte inuenit, sed ex *Petro Crabbe* mutuatus esse videtur. sed nihil illis cogitari potest ineptius. nam vt omittam, quod mendaciunculis has rationes aspersit: (nam & *Petrum* solum confessum esse Christum, & primò lauisse illi pedes mentitur; [1] *Chrysostomus* enim & *Theophylactus* Iudæ primum pedes ablutos fuisse dicunt) vt ista inquam omittam mendacia, maius est ab his præmissis ad conclusionem, quam Roma in Indiam ferè penitissimam, interuallum. nam qui nunc Romæ sunt, in Indiam proficisci possunt: hæ autem conclusiones cum præmissis nunquam rectè coniungentur. Patres quidem in numero, & ordine primas tribuerunt *Petro*: maiorem iurisdictionem illi, quàm reliquis non dederunt. omnes enim ut diximus pares fecerunt Apostolos, & non super *Petrum* tantum, sed super reliquos fundatam esse dicunt ecclesiam: *Petro* autem nullam

[1] In cap. 13. Ioan.

 iurisdictionis,

iurisdictionis, aut potestatem, vt loquuntur, coactiuam tributam censent. [1] *Irenæus* à *Paulo* dicit fundatam Romanam ecclesiam, non tantùm à *Petro*.

[1] Lib. 3. aduer. hæres. c. 3.

Sed vt fuerit aliqua *Petri* super reliquos Apostolos prærogatiua, quid hoc ad Rom. pontifices spectat, qui episcoporum quicunq; fuerunt, aut pòst aliquo in seculo futuri sunt, *Petro* maximè dissimiles sunt? *Petro* certè nec hæredes sunt, nec in munere Apostolico successores: nec vllas huius successionis, aut tabulas, aut testes proferre possunt.

Petrum nunquam Romæ fuisse nonnulli probabiliter disputant: sed vt fuerit (nam cum tot illud affirmantibus patribus nolo litigare) multi etiam Romæ fuerunt, quorum isti non petunt hæreditates. fuit *Simon Magus*, fuit *Nero*, & *Heliogabalus*, quibus licet moribus sint parissimi; successionem tamen istorum missam faciunt. nihil sanè minùs verisimile, quàm vt quocunque in loco Apostoli mortui sunt, ibidem nescio quam æternam, & inexhaustam hæreditatem reliquerint.

Nec probabile est *Petrum* Apostolicam legationem generalem, cum Romanæ ecclesiæ, quæ particularis erat, procuratione commutasse. [2] *Ireneus* antiquus author, licet à *Petro* deriuet episcoporum Romanorum successionem, illum tamen extra catalogum ponit, primúmque episcopum *Linum* numerat.

[2] Iren. lib. 3. c. 3.

Prætereà quod pontifices à *Petro* per successionem longissimam deriuant, est munus personale. at personalia [3] munera ad successores non transmittuntur. valdéque insulsè faciunt, qui a *Petro* deriuant successionem. nam pontifices Romani à prædecessoribus non ordinantur, sed vt Jurisconsulti loquuntur, causam habent à Cardinalibus: ab ijs eliguntur, ab ijs ordinantur, & consecrantur, seu potiùs vt capita sacra, Diabolo deuouentur. Antiquitùs quidem [4] episcopus Rom. à clero, & populo Rom. eligebatur, manúsque ei vicini imponebant episcopi, nunc ille mos cessauit, omnísque potestas ad cardinales translata est. nullo sanè tempore, nisi *Clementi* credere placuerit, qui se à *Petro* ordinatum dicit, Romani episcopi successores sibi designarunt. præcipuâ enim quadem lege, ne pontifex sibi futurum successorem designaret, cautum est. quid igitur prætendunt hanc successionem, cum episcopatum habeant, non ab illius succesśionis efficacia, & merito, sed à cardinalibus, contrà quidem expenso bono, & puro auro? pugnat etiam cum hac pontificum succesśione, quod *Petrum* solum imum in fundamento ecclesiæ locant. nam si fundamentum est *Petrus*, maneat necesse est, ne sublato fundamento corruat ædificium. & si vt soli locus liber præberetur, excludendi erant Apostoli; iniquum postulat hæc pontificum fœx, vt ipsi suppo-

[3] Priuilegia non egrediuntur personas.

[4] Cæsar. Baron. in Cornel.

nant

nant humeros, & fundamentum, seu sub fundamento potiùs instar lumbricorum correpant.

Neque sanè cohæret, quod dicunt se *Petro succedere:* nam si hoc fieret, dolabris subruendum esset ædificium à Christo positum, vt nouum isti, & bellum Palatium pontificale extruerent. nam non tantùm extra fundamentum, sed extra ædificium à Christo pontifices Romani relicti sunt.

Deniq; si ea esset cathedrę *Petri* virtus, & efficacia, vt omnes in ea desidentes, aut potiùs dormientes pontifices primas ferrent, & in *Petri* iure succederent: quid habent, quod contra *Antiochenos* objiciant, in quorum vrbe *Petrum* sedisse, & docuisse constat? Narrat, scio, *Marcellus* fabulam de translatione cathedræ *Petri*. & meritò, nam plus debent huic cathedræ, quàm vniuerso sanctorum catalogo. sed cur primæ debeantur Romæ, potiùs quàm *Antiochia*, cum ius habeat vrbs vtraque par, non dicunt. Omnes qui de hac successione loquuntur patres, non plus ad pontifices Romanos, quàm ad alios apostolorum successores peruenisse dicunt. in primatu illos *Petro* succesisse, qui potuerunt videre, cum nec primatum *Petri* agnoverint, nec de successione pontificum in hac infinita tyrannide quicquam somniarint?

Multa contra disputauit *Bellarminus*, sed ea aut otij consumendi causa, aut saltem vt se suo pontifici, cui totus veniit, venditaret, potiùs quam quòd se hanc successionem pontificiam confirmaturum confideret, quid enim affert, quod non millies dictum, & à *Turriano* etiam aliquantò fortiùs colligatum, & astrictum fuit, milliésque discussum in fumos abijt? quod primum ponit ridiculum est, nam ex eo, *quòd summus pontifex erat propter ecclesiam, ideò summum pontificem semper futurum esse concludit.* quæ ratio concludendi si valeret, semper etiam futuri essent effrontes Monachi: nam illi sunt etiam propter ecclesiam Romanam: sempérque futura essent lupanaria & prostibula. nam ex illis magnum faciunt quæstum ecclesiæ Romanæ pontifices. prætereà quod in controuersia positum est, ille pro suo Iesuitico more & iure tanquam concessum sumpsit. negamus enim aliquem debere esse summum totius ecclesiæ præter Christum Iesum, pontificem. etiam ridemus quòd cùm digitum latum progredi non posit, in eodem tamen vestigio se iactat, & ex falsis principijs falsam exædificare successionem conatur. qualem habituri simus in reliqua disputatione, cogitate: qui in re sui pontificis maxima, se tam stolido fultum argumento in prima ista velitatione intulit?

Putat etiam idem, *quia vnus erat ecclesia rector temporibus Apostolorum,*

idcircò

idcirco vnum nunc esse debere summum pontificem; quod multis nominibus vitiosum est argumentandi genus. nam vt fuerit aliquis inter Apostolos summus; quid hoc ad Rom. pontifices, nisi hæc ad illos pertineat summi iuris successio? prætereà vt tunc aliquis fuerit summus rector, non tamen sequitur, vt vnus esse debeat totius ecclesiæ summus rector. nam non est vna semper externa ecclesiæ forma. alia ante legem, alia sub lege, alia deniq; sub Christi Euangelio fuit. sed ne longiùs progrediantur, negamus *Petrum* summum fuisse ecclesiæ moderatorem, aut Rom. pontifices illi successisse. cur non docent illi, cum toties hoc ab illis, & magna quidem voce flagitemus?

At, inquit ille, *pascendæ sunt continuò Christi oues.* fac esse. num propter eà vni alicui pascendi cura demandanda est? ac si vni præcipuè incumbit pascendi cura, cur non etiam debeat præ alijs docere? hoc enim propriè pascere est. sed nihil causæ est, cur pascendi mentionem faceret *Bellarm.* nam pij episcopi omnes qui successores sunt Apostolorum, pascunt. isti autem non pascunt, sed fame oues macerant, verbum vitæ subtrahendo, & legitimum ministerium corrumpendo, & quod multò est deterius, ferro & igne mactant. non igitur *Petro* successere in pascendo, sed lupis in laniando Christi grege: illis nempe quos Christus ouinis pellibus indutos fore prædixit, & quos specie humilitatis, & pietatis Christi oues pedibus protriuisse vidimus.

Dixit prætereà *oues Christi omnes etiam futuri temporis Petro, in illis verbis, pasce oues meas, commissas fuisse: Petrum autem, quia non semper futurus esset, illud præstare non posse, & ideò adhibendos esse Petri successores Rom. pontifices.* neq; *enim soli Petro Christus, sed & ijs qui Petrum sequuti sunt tradidit* (inquit *Hieronymus*) *oues suas.* in quo argumento multa reprehendenda sunt. est enim idem cum superiore, & crambe alijs verbis recocta, & reposita. nam quod continuò faciendum est, etiam post mortem *Petri* durat. nec *Petro* soli, quod isti putant, oues Christi commissæ sunt; nec vnius *Petri* successoribus Rom. pontificibus. hoc enim *Bellarmino* probandum erat. *Chrysostomus* certè ne verbum quidem facit de Rom. pontificibus. ille enim de suo, non de alieno loquitur episcopatu, *& sibi non illis commissas dicit Christi oues*; *seq.* *& fideles*[1] *Christi seruos omnes, non tantum Rom. pontifices Petri vocat successores.* hæc verba à *Cyrillo* ad omnes eclesiæ doctores referuntur. *doctores ecclesiæ* (inquit *Cyrillus*, verba hæc, pasce oues meas interpretans) *discunt non aliter se posse Christo coniungi, nisi omni cura, & opera studeant, vt rationales oues rectè pascantur, & valeant.* nec aliquod est huius connexi firmum vinculum; *quia non semper futurus erat Petrus, ideò futuros et Petro successuros esse Rom. pontifices*, nam vt illi in maximā

[1] Τῷ Πέτρῳ, καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον (ὁ Χρίστος τὰ πρόβατα) ἐνεχείρισεν. Chrysost. de sacerd. lib. 2. c. 1.

malam

malam eant crucem; non tamen deerunt gregi Christi fideles Pastores. quod autem dicit [1] *Leo, Petrum in suis successoribus viuere*, fieri potest vt etiam senserit. nam non est mirandum si nomine tanti Apostoli, aliquam sibi apud suos commendationem conciliare voluit; sed certè modus loquendi est Pontificalis, & durus, nam etsi Patrum in filijs viuit memoria, & *Iulij Cæsaris* aliqua in Romanis Imperatoribus representetur imago: occidunt tamen Patres, & non viuunt, & occidit ille *Iulius Cæsar*: viuitque cum Christo *Petrus*, non autem in Pontificio illo idolo, quod præter nomen, nihil veneratur *Petri*. sed successionem *Petri* in solis remanere Pontificibus, quod probandum erat, non dicit *Leo*, nec quidem cogitauit. nam quicunque Christi pascunt oues, ij *Petro* in pascendo succedunt. Pontifices autem Romani, qui iampridem pascere oues Christi desierunt, & iam multos annos multas laniarunt, non *Petro* in pascendo, sed *Neroni* in laniando Christi grege succedunt. in magno apparatu, & superbo comitatu, non *Petro*, sed *Constantino* successisse videntur. *nescitur enim* (inquit *Bernardus*) [2] *Petrus processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris.* absque his tamen, satis credidit posse impleri salutare præceptum, *si amas me, pasce oues meas.* in his *Eugenium* non *Petro*, sed *Constantino* successisse dicit.

Sed tamen fieri non potest (inquit *Bellarminus*) vt corpus visibile, sine visibili capite subsistat. quod quidem verum est, si de corpore naturali loquatur. sed Ecclesia corpus est mysticum, & non nisi per similitudinem dicitur Corpus. nam nec vno est in loco, nec eius omnes partes, vel militantes, ita vno sunt in loco, vt vno intuitu videri possint. sciat igitur, quod sæpius Pontificijs dictum est, non posse firmam rationem ab allegorico sensu duci. si nec nos audit, audiat saltem suos scholasticos, qui sensum allegoricum, & symbolicum [3] dicunt non esse argumentatiuum. *quis* (inquit [4] *Augustinus*) *non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* [5] *Hieronymus* etiam negat *parabolas, & dubiam ænigmatum intelligentiam, posse ad auctoritatem dogmatum proferri.* ex hoc etiam exemplo discat, non sequi ista a similitudine argumenta. nam si quia corpus dicitur Ecclesia, idcircò ei corporis affectiones conuenirent: tum vno in loco esse deberet; & Romano Pontifice moriente, interiret Ecclesia Romana, cuius ille caput dicitur. neque enim ad temporis vel exiguum momentum carere potest corpus capite. præterea vt oculi sunt homini in capite tantum: sic effossis ex alijs Ecclesiæ Romanæ membris oculis, sublataque illis omni videndi facultate, solis Romanis Pontifici-

[1] Ser. 2. de anniuers. assumpt. suæ ad Pontificat.

[2] In libr. de consideration. ad Eugen.

[3] Lyr. in 1. c. ad Heb. in proœmio

[4] Epistol. 48.

[5] In Matthæū.

bus concedenda esset videndi, & prospiciendi potestas. illud enim instar monstri esset, vt in cubitis, & digitis, & humeris oculi locarentur. hoc denique caput solum, ne omnia persequar, intelligeret, cerebrum haberet, loqueretur, corpus regeret: reliqui omnes Christiani, vt *Cyclops* ille apud *Homerum* effosso oculo, incertis motibus circumferrentur, imò cerebro & mente carerent. desinant igitur corporis similitudine ad sui Pontificis statuendam authoritatem abuti. ab allegorijs enim, & similitudinibus, nisi quatenùs in Scripturis lucem habent, nulla firma ducitur argumentatio.

Sed vt in Ecclesijs singulis aliquod esset summum imperium, quod instar capitis cuncta moderaretur; non tamen inde sequitur, vt vnus aliquis debeat præesse vniuersis. neque enim omnium Episcoporum, & Pastorum vnus aliquis munus laboriosum obire potest.

Disiectis copijs superiùs in acie locatis in subsidium affert *Bellarminus* figuras veteris Testamenti, & quia vetus sacerdotium erat figura noui, & quædam erat successio *Aaroni* in summo Pontificatu, idcircò *Petro* etiam in nouo Testamento successum putat à Romanis Pontificibus. sed vacillat vniuersa huius argumentationis vis. Scripturæ enim *Aaronis* sacerdotium non Pontificum Romanorum, sed sacerdotij Christi typum faciunt, tacitéque hanc à figuris veteris Testamenti distortis consecutionem reprehendunt. iste verò quod Scripturæ negant, impudenter affirmat, *Aaronis* nempè sacerdotium esse perpetuum in Pontificibus Romanis. commouerant eum fortassè vniuersæ ferè ex Ecclesia Iudaica in Missam translatæ cæremoniæ. præterea pugnant secum in hac de translatione sacerdotij sententia, Pontificij. nam qui summum Pontificem dicunt *Aaroni* tantùm successisse, ijdem etiam quosuis sacrificulos instar *Aaronis* sacrificium Deo offerre dicunt, quasi ipsi etiam *Aaronis* essent successores: eosdem præterea non tantùm instar *Aaronis*, sed etiam instar [1] *Melchizedechi* sacrificare iactant. vt igitur illis simul responsum sit omnibus, dicimus nos, atque ex scholæ vniuersæ consensu affirmamus, nihil sequi ex figuris veteris Testamenti, nisi quòd Scripturæ ipsæ ex figuris colligunt, ratióque aperta confirmat. hanc nos licèt multùm, & sæpè à *Bellarmino* flagitemus, ipse tamen nullus dicit; nec reliqui quidem dicturi videntur.

[1] Vlenberg. in libr. de 22. caussis, &c.

Reliqua [2] *Bellarmini* ad ius Pontificiæ successionis confirmandum allata argumenta nihil efficiunt: ne cohærent quidem inter se. Monarchiam dicit ille optimam esse Ecclesiæ regendæ formam; Christúmque suis optimam formam præscripsisse: idémque negat Principes & Reges Ecclesiæ esse Monarchas; populúmque in regenda Ecclesia potestatem

[2] Bellarm. de Rom. Pontific. lib. 1. & 2.

conuellit.

conuellit. sed quorsum ista quæ tam prolixè disputauit ille? nam vt non sint Principes Ecclesiæ vniuersæ capita, nec habeat populus aliquid in summo Ecclesiæ imperio iuris, num idcircò erunt Romani Pontifices Ecclesiæ capita? aut quia Monarchia est optima, num propterea vnum toti terrarum orbi præesse oportet summum Principem, & Monarcham? aut denique verisimile videtur, hoc ius ad Pontifices Romanos pertinere? nihil sanè his Monachorum somnijs aut futilius, aut incredibilius. nam quæcunque summis principibus obstant rationes, eæ Pontificibus multò aduersantur magis. de Principum enim potestate multùm loquuntur sacræ literæ: de summis Pontificibus Romanis, & eorundem summa potestate, summum est in sacris literis silentium. Christus quidem verus & summus est Ecclesiæ Monarcha, & Rex: nec vnquam moritur, aut abest, vt illi hac succidanea Pontificum Romanorum opera opus sit. in Ecclesia verò externa singulis prouincijs singuli præesse possunt sub principis viuentes imperio Archiepiscopi. nam hunc modum & *Nicena* Synodi Canones præscripserunt, & mores Ecclesiæ vetusti confirmarunt. vt vnus Ecclesiæ vniuersæ præesset summus Pontifex, nusquam aut præceptum fuit in sacris literis, aut probatum in Canonibus. imò & Scripturæ, & Canones, & Ecclesiæ rectè administrandæ ratio eidem maximè aduersatur. sed quid ego de Republica disputem aduersus Monachum, aut quid huic Monacho, qui se in Cella (Monastica no dicam, an vinaria?) condidit, mundóque nuntium remisit, cum Republica negotij? an quia Pontificum Romanorum defendit latrocinia & sacrilegia, idcircò sibi res alienas curare, & aliorum iura inuadere putat licere?

Pontifices Romanos non esse Christi vicarios, nec posse illi in Monarchia Ecclesiæ succedere, multiplex etiam eorum in hoc munere suscipiendo, & gerendo impotentia, & incapacitas declarat. neque enim dici possunt Ecclesiæ capita, aut fundamenta: nec tantæ moli sustinendæ pares esse possunt. vt vnum est Ecclesiæ corpus, sic etiam caput vnum esse debet. hunc honorem sacræ literæ Christo deferunt: quid igitur isti impotenter illud ambiant? vt vnum est totius ecclesię ædificium: sic etiam vnum est eiusdē fundamentū. aliud enim [1] *fundamentum nemo ponere potest, præter illud quod positum est, quod est Christus Iesus*. huius Euangeliū fundamentū est nostræ fidei. de alio fundamento nihil ex sacris literis accepimus. nec possunt quidē homines dici Ecclesię fundamentū. nihil est enim in illis solidę firmitatis, nec possūt dici petra, qui omni vento circūferuntur, & tot casibus subjiciuntur. prætereà vtcunq; hoc sibi arrogent Rom. Pontifices: tamē non possunt dici spōsi. vnus enim sibi ecclesiā despōsauit

[1] 1. Cor. 3.

Iesus Christus. reliqui qui hoc nomen sibi vsurparunt sponsi sunt *Penelopes, Alcinoíque*, iidémque mœchi & adulteri, non illi quidem Ecclesiæ (nam non potest illa adulterari) sed certè Romanæ Synagogæ, quam isti omni idolorum, & hæreseôn turpitudine polluerunt. domini esse non possunt, nec debent. disertè enim prohibet[1] *Petrus* dominatum in clerum Domini; vetuítque Christus ipsis Apostolis nedum Apostolorum successoribus hunc Pontificum Rom. basilicum, & planè tyrannicum fastum, & dominatum. nec sanè cadit in hominem quenquam, vt omnes vbique Ecclesias, aut regere, aut rectè curare possit: hócque nobis tacentibus indicat summa Ecclesiæ Rom. sub istis tyrannis perturbatio. audiant igitur illi Christū, & Apostolos, qui hunc quem in successione *Petri* prætendunt principatum, illis interdixerunt, si nec istos audire velint: audiant saltem quæ in decreta sua relata probarunt Romani Pontifices.[2] *quicunque primatum desideranerit in terra, inueniet confusionem in cælo: nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit.* hæc dicit *Chrysostomus, Gratianus* inter sententias Pontificum retulit. negabunt fortassè illi, aut se desiderare, aut de primatu tractare: sed contrà loquuntur historiæ, & simoniaci illos arguunt multis instrumentis, & testibus confirmati contractus. ne quis dicatur summus sacerdos, aut princeps sacerdotum decreto suo cauerunt [3] *Carthaginensis* Concilij Patres: [4] vniuersalis autem Episcopi nomen, nedum fastum & dominatum lege omnibus interdixerunt. audiant etiam [5] *Gregorium* suum, qui hanc œcumenici & vniuersalis Episcopi superbam appellationem repudiauit. si nec suos, quos tantopere se venerari ostendunt, audire voluerint, quid est cur eos, vt *Niceni* Concilij Canones audiant, postulem? sciant tamen hunc Pontificij culminis primatum aduersari *Nicenæ* Synodi actis. nec sanè vel eum *Constantinopolitanæ*, vel *Chalcedonensis* Synodi pattes tulerunt. imò prærogatiuam *Constantinopolitano* Archiepiscopo cum Romano parem detulerunt. quid igitur tantam sibi ob istam successionem confidentiam sumant, cùm ius suum nullum Romani Pontifices proferre possint? ne successionis quidem suæ qua tantoperè superbiunt seriem dicere possunt.

Petrum à quo illi ius omne suum deriuant, & cuius se successores in Episcopatu esse iactant,[6] *Ireneus* inter Episcopos Rom. non numerat. primum enim Episcopum *Linum* numerat. duodecimo autem loco recenset *Eleutherium*, qui si *Petrus* Episcopus fuisset Rom. decimum tertium habuisset. prætereà non *Petrum* tantùm, sed & *Paulum* dicit Ecclesiam Romanam primùm fundasse. isti contrà *Petrum* solùm, non tantùm fundatorem, sed etiam fundamentum eius Ecclesiæ fuisse agnoscunt. ne in tempore

[1] 1. Pet. 5.
[2] c. multi. § quicunque. dist.
[3] Dist. 99. c. primæ.
[4] Ibidem c. nullus Patriarcha.
[5] Ibidem c. Ecce.
[6] Lib. aduers. hæres. 3. c. 3.

tempore quidem primæ fundationis ecclesiæ suæ consentiunt, nonnulli enim *Petrum* à primo apostolatus tempore pontificem fuisse Rom. asserunt. [1] *Heruæus* autem dum Christus viueret, *præter ipsum nullum alium fuisse Papam dicit.* [2] *Petrus de Palude, non nisi post Christi ascensionem cœpisse Petri primatum autumat.*

Quàm autem imbecillo fundamento Papatus nitatur, inde constat; quòd nullo ex scripturis argumento probari possit, *Petrum* Romæ vllo tempore fuisse, adeò vt valdè infirmum oporteat esse totius Romanæ ecclesiæ ædificium, quod nullum habet in sacris scripturis fundamentum. imò multæ, & probabiles rationes contra vulgò receptam pontificiorum sententiam, qui *Petrum* Romæ episcopatum gessisse putant, adduci solent. Primò enim multum inter apostolatum, & episcopatum interest, nec verisimile est, qui in vniuersum mũdum legatus esset, vnum præcipuè locum, nisi fortasse sub vitæ finem, delecturum vbi quiesceret, & munus ministerij placidè obiret.

Prætereà cum *Petrus*, & *Paulus* inter se compararent vtri ad *Iudæos*, vtri ad *Gentes* proficiscendum esset; *Petro* circumcisorum prouincia, & cura obtigit, *Paulus* autem doctor gentium constitutus est. cur igitur nos contra scripturas credamus *Petrum* relicta prouincia quam susceperat, in alienam prouinciam inuasisse?

Vtrámq; epistolam suam *Petrus* [3] ad dispersos *Iudæos* scripsit, quid autem minus consentaneum, quàm episcopum neglecta propria prouincia, alienas res curaturum, aut suis neglectis, ad tam procul seiunctos tantùm scripturum fuisse? nonne potiùs verisimile est prouinciam suam illum curasse, nempè circumcisos, cum Romanis autem nihil habuisse commercij?

Qui autem potuit ille qui Babylone vixit Romæ episcopatum administrare? nam vt Babylonẽ, cuius [4] in extrema epistola *Petrus* meminit, Romam interpretemur, præterquàm quòd ita existimat *Hieronymus*, nulla ratio afferri potest. nam cùm nec vno vocabulo in vniuersa epistola Romæ meminisset, non erat verisimile eum subitò tam grauem illi vrbi notam inusturum, aut nomine impijssimæ Babylonis Romam designaturum, vbi ecclesia iam ita florere cœperat, vt fama illustris fidei illius ecclesiæ ad remotas oras perueniret. quod aiunt nonnulli, *Petrum verentem Romam dicere, Babylonis nomine illam designasse,* parùm firmo nititur fundamento. cur enim non æquè ille, ac *Paulus* Romam liberè nominaret? denique cur Roma scribens dispersos per *Italiam, Illyrium, Macedoniam, Græciam, Thraciámque Iudæos* silentio prætermittens, *Asiaticos* tantùm compellaret? an verisimile est, qui tam remotos cura sua complexus esset, illos qui vicini essent neglecturum? nihil autem nouum fecit aut mirum, si Babylone

[1] De potestate Papæ, c. 21.
[2] De potestate Apostolor.
[3] παρεπιδήμοις διασπορᾶς. 1. Pet. 1.
[4] 1. Pet. 5.

lone agens ad Iudæos qui per Asiæ vicinas gentes disperſi eſſent literas daret, neglectis regionum vlteriorum incolis.

Nihil autem magis hanc noſtram de *Petro* dubitationem auget, quàm quòd multos *Paulus* in epiſtola ad Romanos ſalutans, aliósque in alijs epiſtolis qui Romæ eſſent memorans, Apoſtoli tam clari ne verbulo quidem vno meminit, nam cum illius teſtimonio epiſtolæ *Pauli* commendatæ, apud alias eccleſias gratiores futuræ eſſent, nunquam ille eam occaſionem dimiſiſſet, ſi *Petrus* quo tempore illas literas ſcripſit, Romæ fuiſſet. nam ad Corinthios ſcribens in prima epiſtola *Soſthenis* nomen, in 2. *Timothei*, cum ſuo coniungit.

Quòd nonnulli viginti quinque annos *Petrum* Romanæ eccleſiæ præfuiſſe dicunt, claro ſcripturarum teſtimonio refellitur. [1] interfuit enim Synodo illi Hieroſolymitanæ quæ octodecim aut nouemdecim annis poſt Chriſti mortem celebrata eſt, *Paulus* etiam [2] teſtatur ſe *Petrum* Hieroſolymis multis annis poſt ſuã conuerſionem conueniſſe. nunc igitur ſi poſteà, quòd [3] pontificij aſſerunt, quinque annos Aſiaticas obierit eccleſias, & 7 annos Antiochiæ ſe pro epiſcopo geſſerit poſt illa Synodi Hieroſolymitanæ tempora: fieri non poteſt, vt tot annos, quot iſti fingunt, Romæ manſerit. nam à Chriſto paſſo ad Neronis mortem, ſub quo *Petrum* paſſum omnes conſentiunt, tot anni non interceſſerunt. adeò vt neceſſe ſit, aut *Petrum* non tam citò paſſum, aut non tam diu Romæ vixiſſe. quod dicit *Cæſar* [4] *Baronius*, conſtituta & fundata eccleſia Romana *Petrum* poſteà alias regiones obijſſe, à veri paſtoris officio alienum videtur; pugnátque cum *Petri* in munere ſuo obeundo ſumma cura. mercenarij grege deſerto ſuas res agunt, boni autem paſtores tanquam in ſpecula conſtituti continuò pro grege ſuo excubant. Quare vt fuerit *Petrus* aliquando Romæ, cuius tamen nullam ex Scripturis probationem videmus: tamen quamdiu ibi fuerit, & an epiſcopatum ibi geſſerit, incertum eſt.

De *Petri* etiam proximis ſucceſſoribus maxima inter authores diſſenſio eſt. [5] *Tertullianus* poſt Petrum proximum facit *Clementem*, cui aſſentitur & ipſe in quadam ad fratrem domini [6] commentitia epiſtola *Clemens*. ſe enim à Petro ordinatum, & ſibi poſt Petrum doctrinæ, & prædicationis cathedram traditam dicit. idem etiam affirmat qui Canones apoſtolorum (ſic enim vulgò dicuntur) in Latinum conuertit [7] *Haloander*, & pleríq; etiam alij, vt author eſt [8] *Platina*. in ijs certè eſt *Marianus Scotus*. *Ireneus* verò & *Epiphanius*, & *Euſebius*, & ipſe *Platina*, & nunc omnium poſtremus *Cæſar Baronius*, & alij nonnulli poſt Petrum, *Linum* numerant. ab his omnibus diſceſſit [9] *Ignatius*. is enim nec *Linum* nec *Clementem*, ſed *Ana-*

[1] Act. 15.
[2] Gal. 1. & 2.
[3] Cæſar. Baron. annales.
[4] Annal. lib. 1.
[5] De præſcript. aduerſ. hæret.
[6] Epiſtol. 2.
[7] In epigraphe canonum.
[8] In vit. Pontif.
[9] Ad Mariam Caſſoboliram.

Anacletum Petro proximè successisse memorat.

De *Cleto* pariter inter se digladiantur ecclesiastici scriptores. nam post *Linum Platina*, *Onuphrius*, & *Cæsar Baronius Cletum*, & deinde *Clementem* & *Anacletum* recensent: [1] *Eusebius Cletum*, [2] *Epiphanius Anacletum* ex pontificum numeris expungit. [3] *Irenæus Cletum* omittit; & post *Linum*, *Anacletum* numerat. *Onuphrius* verò ordine prorsus inuerso post *Petrum* scribit *Linum* & *Clementem*: & deinde *Cletum*, & *Anacletum*, *Marcellum* quem *Marcellino* successisse pleriq; alij tradunt, *Eusebius* & *Theodoretus*, aliiq; nonnulli silentio prætereunt.

[1] Histor. eccles. lib. 3. c. 4.
[2] In hæres. 27.
[3] Lib. 3. c. 3.

Ioannam pontificem alij scribunt, alij etiam pingunt, vt [4] ille qui historiam suam picturis variauit. alij verò obelisco eam propter rei turpitudinem transfigunt. à [5] *Nicolao* primo ad *Clementem* secundum adeò omnia obscura & incerta esse fatetur *Onuphrius*, vt neque quo ordine, nec quo loco pontificum Rom. nomina digerenda sint, liquere possit. *Sigebertus* post *Marinum* numerat *Agapetum*, post *Adrianum* tertium *Basilium*, quos tamen alij omnes, quos ego vidi, omittunt. *Martinum* 2, & 3 in numero esse quartum & quintum censet [6] *Onuphrius*. idem [7] *Stephanum* secundum prorsus expunctum esse dicit. quem autem reliqui propè omnes *Iohannem* 12. numerant, *Platina* decimum tertium vocat: adeò vt in vno *Iohanne* errorem esse necesse sit. idem etiam *Iohannem* quem pleriq; vicesimum secundum vocant, vicesimum tertium ponit. eum dico qui de animarum post mortem statu malè sensit. *Clementem* verò septimum, multi octauum dicunt. longum est omnes de pontificum numeris controuersias, & dissensiones narrare; enodare & explicare vnum τῶν ἀδυνάτων est. hos igitur ego rixantes de suorum pontificum catalogo relinquo. nam ex his quæ iam allata sunt, super incerto fundamento ecclesiæ Romanæ successionem ædificatam esse constat.

[4] Author chronic. chronicor.
[5] In annotat. in Plat. post Nicolaum 1.
[6] In annot. ad Platin. post Martinum 2.
[7] In annotat. in Plat. post Stephanum 5.

Multi præterea in episcoporum Rom. numeris ascribuntur, quos quia contra canones ingressos constat, ne ipsi quidem, credo, si ius suum decretalinũ tueri voluerint, episcopos dicent. videat igitur *Versteganus*, videántque & reliqui pontificum Romanorum nomenclatores, ne falsum scripserint. *Vigilius* factus est episcopus Romanus viuente adhuc *Syluerio*: Fœlicem etiam ipsi viuo *Liberio* intrusum fuisse memorant: omnes tamen hos, vt legitimos habent pontifices, Fœlicem etiam, vt martyrem colunt, sed quid ego istos commemorem cum viuente *Petro Linum*, & *Cletum* in cathedram *Petri* intrudant; *Petrúmq;*, à quo genus se ducere gloriantur, ex sede eradicent? num illud æquum putant, vt quis viuentis episcopatum occupet, & hæreditatem eius ante mortem cernat? sed vt istos probent esse pontifices legitimos, quid de illis respondebunt, qui aut

armo-

armorum metu, aut pecuniarum interuentu sedem *Petri*, vt vocant, occupatunt? *Syluerius* cum clericorum suffragijs non posset, à *Theodato* quem pecunia corruperat obtinuit, vt militum copijs in papatu sublimis locaretur. huius exemplum secutus [1] *Constantinus*, licet laicus esset, per tyrannidem *Petri* cathedram inuasit, duósque annos imperauit, presbyterósque nonnullos manibus profanis ordinauit. *Iohannes* vicesimus tertius, quem, propter animæ negatam immortalitatem, & alias hæreses, & scelera Synodus Constantiensis exautorauit, sibiipsi sine electione stolam pontificiam induit. num & hos pro legitimis habebunt pontificibus? & in istis, & multis alijs ipsi pontificij scriptores valdè hærent. *Constantinum* enim *Platina* è numero pontificum delet, & post *Paulum* primum *Stephanum* tertium scribit. *Damasum* secundum, quem nonnulli post *Clementem* secundum recensent, alij quòd per vim ingressus sit, pro intruso habent. *Benedictum* quintum *Platina* vt legitimum pontificem suspicit; cum tamen *Onuphrius* vt schismaticum condemnat.

[1] Fascic. temporum, in Constantino 2.

Iohannem duodecimum, & *Syluestrum* secundum omnes pro legitimis *Petri* successoribus habent, illum tamen per vim intrusum fuisse, & moribus spurcissimis sedem illam fœdasse; hunc diabolicis artibus papatum obtinuisse, grauissimi authores testantur. Vtrum qui diabolo homagium fecit, quod de *Syluestro* isto dicit Fasciculus temporũ, possit Christi vicarius esse, magna quæstio est. nec sanè satis explicare possunt isti, quo modo *Benedictus* nonus, & *Syluester* tertius, & *Gregorius* sextus possunt haberi legitimi pontifices, quum & vnà vixerint, & se mutuò armis pepulerint, & ita morati fuerint, vt eos [2] *Platina* tria teterrima monstra appellare non dubitet. *Gregorio* duodecimo, quem *Theodoricus Niemensis* Errorium vocat, in cathedra *Petri* sedente ingressus est *Alexander* quintus; eodémq; tempore *Petrus de Luna* se pro pontifice gessit. ne ipsi quidem norunt ponti ficij, quis ex isto numero ius habuerit.

[2] In Gregorio. 6.

Per simoniacas pactiones episcopatum adeptos exautorant canones, lupósque, & mercenarios esse potiùs, quàm legitimos pastores dicunt. quomodo ergo possunt pro legitimis numerari, qui contra leges paparum apertè mercati sunt? *ante Stephanum sextum plurimos* [3] *Platina ad pontificatum promotos fuisse licet renitentes author est; posteà autem ecclesiasticos largitionibus eam viam affectasse* [4] *queritur, plurimósque pontificatum adeptos, non qui sanctitate vitæ, & doctrina excellerent, sed qui largitione, & ambitione plurimum possent.* [5] *Syluerius* pecunijs datis à *Theodato* per vim intrusus est. eundem imperatoriæ coniugis fretus gratia loco pepulit *Vigilius*. *Iohannes* decimus octauus per aureas scalas papale ascendit fastigium. multo enim auro à *Crescentio* obtinuit, vt eius opibus in sede papali collo-

[3] In Stephano.

[4] In Syluestro. 3.

[5] Fascic. temporum.

collocaretur. per simoniæ etiam [1] posticum ingressi sunt & *Benedictus* 9, & *Syluester* tertius, & *Gregorius* sextus. *Benedictum* [2] decimum tanquam Simoniacè ingressum è cathedra exturbauit *Hildebrandus*; quo nomine & ipse de sede depulsus est à Synodo *Brixiana*. sed quid ego singulos cõmemorem, cum per hanc simoniæ viam ingressi sint posteriores pontifices ferè omnes? *Alexandrum* sextum palàm emisse pontificatum author est [3] *Guicciardinus*, nec frustra cecinit *Pasquillus* de *Gregorio* decimoquarto [4] *Sol, Re, Mi, Fa.* nam regis Hispaniæ pecunijs acceptũ ferre potuit pontificatum. cum Cardinalibus transegit & *Paulus* tertius, & *Clemens* septimus adeò apertè, vt fama eius rei ad exteras etiam nationes peruenerit. nec sanè, cùm mecum reputo, video causam vllam cur tam pretiosam pontificis infulam, quæ tanto auro constitit quisquam gratis expectaret. sed de pontificum Rom. simoniaca turpitudine iam antea satis multa diximus. hoc loco vt pontificum Rom. incertam videatis successionem, ista dixisse satis erat: nam cum simonia, vt loquuntur Iurisconsulti *vitiet* [5] *promotionem episcopi*, adeóque ipsis exosa esse videatur pontificijs, vt acerbissimè in simoniacos inuehantur, eósq; vt [6] hæreticos condemnent; & fures etiam & latrones vocent eos, qui aliunde, quàm per ostium ingrediuntur; iampridem defecit legitima pontificum Rom. successio, quæ non ampliùs meritis defertur, sed vi & largitione acquiritur.

Ne autem certò cognoscamus qui pro legitimis *Petri* successoribus habendi sint, multitudo etiam & varietas schismatum facit. *Laurentium* contra *Symmachum* ordinatũ, & *Dioscorum* contra *Bonifacium*, *Fœlicem* item contra *Liberium*, & *Vigilium* contra *Syluerium*, aliósq; schismaticos factio propria, quandoq; ipsi pontifices Romani vt legitimos episcopos venerãtur. tres Papas simul sedisse suo tempore dicit [7] *Theodericus Niemensis adeò omnes pari iure, vt difficile esset, quis eorũ maximè excelleret internoscere.* *Clementem* illum qui *Vrbano* sexto in Italia regnante Romanum in Gallia episcopatum administrauit, Gallia, & occidentis pars maxima sequuta est: Anglia verò nostra communi ordinum regni decreto eundem legitimum esse pronuntiauit. *Petrum de Corbario*, reliquósque qui contra pontifices Romæ aut Auinione sedentes à Cardinalibus electi sunt, & imperatores plerúmq;, & maxima pars orbis terrarum approbauit. qua igitur nota internoscere possumus, & hos legitimos esse pontifices, & illos non esse? si canonicè electos legitimos esse & pro veris *Petri* successoribus colendos dixerint, at non soluitur nodus iste. omnes enim se ipsos schismatici canonicè electos asserunt, si à Cardinalibus electos proponunt ceteris, & schismatici se à Cardinalibus dicent electos: ne pontifices quidem Romani in isto negotio conueniunt. *Vrbanus* [8] 6. *Clementem*, *Clemens Vrbanum*, & ei

Y adhæ-

[1] Platina.

[2] Annotat. Onuphr. post Benedictum decimum.

[3] Comperò palesamente. Guicciard. lib. 1.

[4] Hoc est, solus Hispaniæ rex me fecit Papam.

[5] L. si quenquam & ibi bald. de episcop. & clericis. & in authen. quomodo oporteat episcop. § 1.

[6] 1. q. 1. eos & glossa, & 79. dist. si quis pecunia.

[7] In labyrinth. nemor. vnion.

[8] Theodoric. à Niem. de schism. lib. 1.

adhærentes schismaticos declarauit,& excommunicauit. *Formosum* nonnulli pontifices expungebant olim è pontificum Rom. numeris: nonnulli *Benedictum 5, Fœlicem, Vigilium, Constantinum 2, Damasum 2*, imò *Victorem 3, & 4*, & *Anacletum* expungunt. in tanta sententiarũ varietate expecto quid *Bellar.* ad suam labantem successionem resarciendã allaturus sit.

Sed vt demus certam fuisse, nunquam tamen negare possunt, quin crebrò hæc pontificum Rom. successio interrupta fuerit. interfecto *Marcellino* sedes episcopi Rom. propter atrocitatem persecutionis 6 annos vacasse [1] dicitur. post [2] *Fabiani* excessum vacauit annum integrum, & aliquot mẽses. post obitum verò *Iohannis 3*. menses 10. Vacauit etiam post *Honorii 1*, annum & 7 menses: post *Nicolaum 4*, annos duos & menses 3. tantum etiam ferè vacauit post *Clementem 5*. post *Iohannẽ 22* vacauit pontificalis sedes duos annos & 5 menses. nec tantum vnquã in creandis pontificibus festinatur, vt non aliquantum temporis interuallum intercedat. quæro igitur à pontificijs, qui possint pontifices Rom. dici capita & fundamenta ecclesię, cum nec sine capite corpus, nec sine fundamento ædificium vel momentum vnum consistere possit? quod dicunt Canonistæ, Christum supplere absentiam pontificum, & vacationem cathedræ Rom. non tantum pugnat cum istorum sententia, sed impium est. quis enim sine impietate, Christi operam ad istorum supplendam absentiam locare potest? aut qui potest constare, vt Christus vicarius sit pontificis, cum pontificẽ isti Christi vicarium constituere soleant? aut quid opus est pontifice, si ipsis pereuntibus ipse nihilominus ecclesiã suam regere possit? quero etiã cùm nullam ecclesiam pro vera habeant, nisi quæ successoribus *Petri* obedientiæ vinculo colligata est, qui possint suam ecclesiam veram dicere, cùm sæpenumerò accidat vt multi sint, sæpe autẽ vt nulli sint *Petri* in terris successores? nam quòd cathedræ pontificis quidam alligant successionẽ, probabili caret ratione. nullum enim inter cathedram, & ecclesiã intercedit vinculum; nec dicitur cathedra nisi eius respectu qui ibi sedet: qui cum sæpe nullus in mundo sit, simias alligent, si velint huic vacanti cathedræ. pulchrè enim lupis & simijs conueniet. ecclesiam eidem alligare non possunt. hæc si acutè dissoluerit *Bellarminus* (nam de *Rossei* & *Vlenbergij* & *Bozij* inculto & horrido ingenio nihil est quod sperem) tum causam dicat, cur non possint nostri pastores dici Apostolorum successores, qui in Apostolica doctrina, licet longo post interuallo eisdem successerunt. nam si successores dicendi sunt, qui in eodem loco succedunt, licet à maiorum moribus & doctrina discesserint, nec quicquam illos impediãt crebræ vacationes, cur non nostri pastores verè apostolis successisse dicantur, qui in eorundem hæreant doctrina, & vestigijs?

[1] Genebrard. in speculo histor.
[2] Cyprian. & Cæsar. Baron. in Fabiano.

Sæpius

Sæpiùs etiam discessu pontificum Rom. ab vrbe, & longa & longinqua ab eadem peregrinatione vacauit *Petri* quam vocant, sedes, & Rom. pontificatus interscissus debile hoc successionis fulcrũ sustulit. [1] *Clemens 5* vrbe relicta in Galliam pontificias opes transtulit. eodem in loco plures deinde per 70 annos sederunt eiusdem successores: quo omni tempore Romana ecclesia tanquam vidua deserta mœchorum libidini prostituta fuit. Plures etiam annos ab vrbe abfuit *Alexander* tertius, & *Vrbanus* sextus, multíque alij pontifices. qui igitur potest hæc Romanæ ecclesiæ toties nobis obiecta successio dici continua, cum tot annos pontificibus caruerit? nam si loci nulla habetur ratio, possintque Romani dici pontifices qui Romam nunquam viderunt, satísque sit vt quis Rom. dicatur pontifex, etiamsi nihil faciat quod ad pontificem pertinet: erit etiam successio *Alexandrina*, & *Constantinopolitanæ*, & *Antiochenæ* ecclesiæ continua, habent enim Romæ quasdam vmbras hominum, quibus nomen pontifices tribuunt Patriarchæ *Alexandrini*, *Antiocheni*, & *Constantinopolitani*: famelicósque fraterculos magnarum vrbium titulis, & episcopatuum nominibus beare solent. sed nullos ex istis sacræ literæ aut canones pro episcopis agnoscunt. [2] Apostolus episcopatum docet esse opus, non nudum nomen; & antiquitas vno ore hos laruatos episcopos repudiat.

[1] Platin. in Clemente 5.

[2] 1. Tim. 3.

Schismata verò nisi successionem pontificum intersciderint, potest illud quod in partes dissectum est continuum dici, quod quidem si pontificij dixerint; non nobiscum tantùm, sed etiam cum mathematicis illis lis erit. quoties igitur schisma exortum est in ecclesia Rom. toties vacillauit pontificum successio. neque enim illa certa esse potest, nisi de pontifice certò constet. crebra autem in ecclesia Rom. fuisse schismata, nec ipsi negant pontificiæ causæ actores. contra *Cornelium* surrexit *Nouatus*, *Liberium* è sede pepulit *Fœlix*, acriter contenderunt *Vrsicinus* & *Damasus*: grauitérque de pontificatu rixatus est cum *Bonifacio Eulalius*, cum *Symmacho Laurentius*, cum *Dioscoro Bonifacius*, ecclesiáque in varias partes scissa est. *Sylnerium* de pontificis solio deiecit *Vigilius*. temporibus autem *Sergij* tertij non tantum pontifices ipsi certabant, sed etiam [3] contrarijs sententijs duæ pugnabant synodi. *Gregorius* septimus, *Clementem*, *Innocentius* tertius, *Petrum Leonis* non tantum mucrone spirituali, sed etiam armis expugnauit. *Alexander* tertius victorem non tantum odio, sed & exercitu persecutus est. *Petrum* autem de *Corbario Iohannes* vicesimus secundus nactus exquisitis necauit supplicijs. nec quicquam ei profuit aut nomen pontificis, aut imperatoris gratia. inimicum enim ille quauis ratione tollendum decreuerat. [4] concurrebant inter se *Vrbani* sexti, & *Clementis* partes, certabantque acerrimè tam hastis

[3] Fascic. temporum.

[4] Theodoric. à Niem.

& pilis, quàm odijs & ecclesiasticis telis. frustra igitur iactant isti aut vnitatem, aut successionem; cum nihil illa incertius esse possit.

Planè autem cessauit pontificatus ecclesiæ Rom. in *Ioanna*, pontifice dicam, an meretrice? fœminæ enim pontificalis ordinis minimè sunt capaces, nec potuit illa dici beatissimus pater. Publicè enim pariendo se infœlicissimam matrem declarauit. sed siue mater dicatur, siue contra omnes grammaticæ leges, pater: fœminam illi olim sedi præfuisse constat. nihil enim vel *Onuphrius* aut *Genebrardus* apertè mentiendo, aut *Sigonius* tacendo, aut contra clarissimam veritatem oganniens *Bellarminus* profecit. res sanè toto orbe notissima est. cur non ergo *Versteganus* inter tot beatissimos à se depictos patres, & hanc bonam matrem depingat? nec opus est, vt in baculo pastorali depingendo laboret. quid enim huic negotij est cum baculo? pingat colum potiùs, & fœmineam stolam. nec pudeat istum hanc tabulam proposuisse. multi enim & graues authores hanc ante ipsum narrarunt historiam. si cum *Onuphrio*, & *Bellarmino* illos comparaaris, viros dices esse doctos & fide dignos.

Hanc historiam primus narrauit *Rodolphus Planiacensis* monachus *Benedictinus*, pudoréq; patris sui imò & matris detexit author sanè grauis testísq; locupletissimus. [a] Floruit enim circa an. Dom. 930, non multùm quidem post *Ioannæ* huius tempora. eámq; rem optimè scire potuit. eiusdem rei testis est & *Marianus Scotus* minimè contemnendus scriptor, nec indoctus. *Anno Domini inquit 854, anno Lotharij decimo quarto, successit Leoni Ioanna* mulier. *Hanc annis duobus mensibus quinq; diebus 4. cathedram illam occupasse scribit.*

[a] Tritemius.

His astipulatur *Sigebertus* monachus qui vixit tempore *Henrici 4.* anno Dom. 1110. *Fama est* (inquit ille de *Ioanna* ista verba faciens) *hunc Iohannem fœminam fuisse, & eum vni soli familiari cognitam, qui eam complexus est. eam grauidam factam peperisse dum Papa existeret, & ideò non numerari inter pontifices dicit.* Hæc *Iesuitæ* in *Mariano*, & *Sigeberto* reperiri negant. & quidni faciant, cum historiæ illius nacti nonnulla exemplaria historiam illam eraserint? neq; enim verecundiores fuisse puto in historijs, quàm in patrum scriptis, quæ turpissimè multis demptis, & additis nuper corruperunt; legésq; falsi & hominum existimationem nec flocci fecerunt. reperiri hæc quæ diximus in *Mariani* & *Sigeberti* vetustis libris ex multorum constat testimonijs. librum quem sequuti sunt *Basilienses* ipsi ex Bibliotheca collegij sancti *Bartholomæi Francofurtensis* iussu episcopi *Moguntini* habuerunt. nec cum primùm isti libri excuderentur, causa erat cur quisquã libros illos corrumperet. nullus enim ante *Onuphrium*, & hos nuper exortos *Iesuitas* hanc de *Ioanna* historiam negauit. & vt nulla fuisset vnquam

Ioanna, nos tamen meretricis *Babylonica* turpitudinem satis detegere potuimus.

Horum dicta confirmat *Martinus Polonus*, testis omni exceptione maior, fuit enim *Nicolai* tertij primùm pœnitentiarius, posteáque Archiepiscopus *Consentinus*. audite igitur loquentem *Martinum: Iohannes*, (inquit ille,) *Anglicus natione Moguntinus sedit annis duobus, mensibus quinque, mortuus est Romæ, & Pontificatus cessauit anno vno. hic vt asseritur fœmina fuit. & cum puellari ætate à quodam suo amasio in habitu virili Athenas ducta fuisset, in diuersis scientijs ita profecit, vt nullus ei par inueniretur, adeò vt post Romæ primùm legens magnos magistros, discipulos haberet. & cùm in vrbe vita & scientia magna opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. sed in Papatu per familiarem suum impregnatur. verum partus tempus ignorans, cùm de sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colosseum & sancti Clementis Ecclesiam, & postea mortua ibidem, vt dicitur, sepulta fuit. & propterea quòd Dominus Papa semper eandem viam obliquat, creditur omninò à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc faciat. nec ideò in Catalogo sanctorum Pontificum ponitur, tam propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti.*

Eadem & ijsdem propè verbis retulit & alius quidam *Martinus Minorita* in libro quem inscripsit [1] *Flores temporum*, hanc enim *Ioannam* cùm dæmonem quendam adiuraret, & interrogaret, quando vellet è corpore dæmoniaci illius exire, hoc responsum retulisse narrat:

Papa pater patrum Papissæ pandito partum,
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.

His accedit grauissimus testis *Franciscus Petrarcha* vir suæ ætatis facilè doctissimus, qui & quæ de *Ioanna* hac narrantur [2] confirmat, & eandem & Papam fuisse, & peperisse dicit. omnem autem dubitationem eximit *Antoninus* Archiepiscopus *Florentinus*. neq; enim verisimile est tantum virum nugas agere, aut dicere. is & historiam illam narrat, vt alij, & præterea [3] dicit signum marmoreum partum Papæ referens in loco partus positum, vnde etiam exclamat: *ô altitudo sapientiæ & scientiæ Dei.*

In subsidium afferuntur [4] *Iohannis Boccacij*, & *Iacobi Gulielmi Ægmondani* Monachi testimonia. *Ioannam illam primò Gilbertam dictam narrat Boccacius: de partus loco & declinatione Pontificis, & summa eiusdem Ioannæ doctrina cum Martino Polono, & reliquis testibus consentit. Iacobus* autem ille *Gulielmus* metris monasticis partum Papæ, & vniuersam de *Ioanna* historiam contexuit:

Papa (inquit ille) *cadit, paulisper improbis,*

[1] Editus est hic liber Vlmæ Germanicè anno 1486.

[2] Liber Italicè scriptus est, & Florentiæ excusus anno 1478.

[3] Histor. part 2. tit. 16, c. 1, § 7.

[4] De fœminis illustribus.

videndi norma: *puer nascitur,*

in vico Clementis. Cætera sunt his, quæ iam dicta sunt similia. hæc omnia confirmat apud istos fide dignus auctor, qui historiam suam Fasciculum temporum inscripsit, eum enim *Colonienses*, vt audio, nuper testimonio suo confirmarunt, verba ipsius, ne fidem meam culpetis, audite. *Iohannes* (inquit ille) *Anglicus natione Moguntinus circa hæc tempora dicitur fuisse: & erat fœmina habitu vestita virili, sic in Scriptura profecerat, vt par ei non inueniretur, in Papam eligitur, sed post impregnata cùm publicè in processione pergeret, peperit, & moritur. & hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit, & similiter sicut alij à Deo plagatus fuit, nec ponitur in catalogo Pontificum*, eadem historia in [1] Annalibus *Augustanis* refertur: eidemque testimonium perhibent Scriptores clarissimi *Otho Frisingensis*, *Raphael* [2] *Volaterranus*, [3] *Platina*, [4] *Sabellicus*, *Iacobus Philippus* [5] *Bergomensis*, *Matthæus Palmerius*, [6] *Trithemius*, *Iohannes Stella*, [7] *Nauclerus*, *Albertus Crantzius*, *Baptista Mantuanus*, *Iohannes Lucidus*, *Iohannes Henaldus*, & plurimi alij scriptores, qui Gallicè, Anglicè, Germanicè, & Latinè scripserunt. addit etiam *Platina* narrationem de perforata sede, & vltimo Diacono. & quia præuidit Deus exorituros tandem lingua effræni, & fronte ferrea *Iesuitas*, & similes Monachos qui monumenta literarum detersuri & corrupturi essent, idcircò vt æterna maneret eius rei memoria, non tantùm coloribus, & literis, sed etiam in marmore hanc historiam exprimendam curauit, nam extat primò eius mulieris marmorea statua: extat etiam sedes marmorea quæ nobis hanc historiam in memoriam reuocat. *Sienna* prætereà in summo Templo inter Pontifices fingitur & *Ioanna* fœmina. cuius imaginem licèt Pontificij eraderent, locus tamen vacuus eorum turpitudinem semper argueret. hanc denique historiam non tantùm narrauit, sed etiam bellè depinxit auctor [8] Chronici Chronicorum.

[1] Anno 855.
[2] In Cosmogra.
[3] In Iohanne 8.
[4] Ennead. 9.
[5] In histor. excus. 1503.
[6] In catalog. Pontific.
[7] Generat. 29.
[8] In Iohanne 7.

Huic tanto testium, & antiquitatis consensui repugnare *Iesuitæ*, si quis esset in ferreo illorum ore pudor, sat scio, puderet. quid enim habent, aut probabiliter fingere possunt, vt non omnes eos veritatis odio insanire putent? non habet, inquit *Bellarminus*, *Anastasius* Bibliothecarius Pontificis hanc de *Ioanna* historiam. at qui scit nunquam illum habuisse? & qui non magis liceat Pontificijs quos domi conclusos tenent libros corrumpere, quàm qui in omnium manibus versantur? negat idem in *Adone Viennensi* aliquod eius rei reperiri vestigium. huic etiam scriptori falsarij isti violentas intulerunt manus. verùm fac nullo vnquam tempore eam historiam apud *Anastasium*,

sium, aut *Adonem* repertam fuisse. ne apud *Paulum* quidem, aut *Lucam* quorum longè maior est auctoritas & fides, quàm *Anastasij* aut *Adonis* vlla fit mentio de *Petri* Episcopatu, quem tamen isti eum *Romæ* gessisse credunt, citiùs tamen sibi oculos eripi, quàm hanc de *Petro* opinionem Pontificij sinent. cùm igitur nonnulla facta fuerint, quorum in sacris eorum temporum historijs nulla fit mentio; cur non idem in alijs historiis vsu venire fateantur.

Multa historiarum scriptores consultò tacent, multa negligentia omittunt: nonnulla aut odio aut amore incitati, aut recitant, aut tacent. quare cùm propter rei fœditatem [1] multi testentur *Ioannæ* huius nomen ex Catalogo Pontificum erasum fuisse, quid mirandum, si aut Authores isti consultò reticuerint, aut alij præ malitia ex illorum libris tam fœdæ rei memoriam deleuerint? nec pugnant hæc, quosdam voluisse eius rei extare memoriam, quosdam noluisse, suum enim est cuique quod sequatur iudicium.

[1] Gotfridus Viterbiensis, Fascic. temporum, & Antoninus & alij.

Negat etiam idem, hanc historiam apud *Rheginonem*, *Lambertum*, *Hermannum*, & *Vrspergensem* reperiri. ne Pontificum quidem Romanorũ omnium reperiuntur apud illos aut nomina, aut res gestæ: quos tamen nec isti negabunt Pontifices fuisse, aut ea quæ illi omiserunt gessisse. leuissima itaque hæc est exceptio. nullus enim vnquam tanta fuit diligentia, vt omnia quæcunque fuerunt, referret. satis est igitur, quod apud alios hæc de *Ioanna* Pontifice historia reperiatur. plúsque creditur vni testi affirmanti, quàm mille negantibus. multò ergo magis credetur multis illud affirmantibus, quod nemo negat. hos ego tantùm excipio *Iesuitas*, quibus nemo credit. haud scio denique, an hæc de *Ioanna* historia apud istos quandoq; reperta fuerit. vt meritò suspicer fuisse, Pontificiorum facit notissima nobis in auctoribus corrumpendis audacia, & fraus.

Quod de *Rheginone*, *Lamberto*, & alijs qui Latinè scripserunt, negauit, idem de *Zonara* & *Cedreno* negat. neutrum enim horum huius *Ioannæ* meminisse contendit. quasi verò aut expectandum, aut postulandum sit, vt vel *Græci Italorum*, vel *Itali Græcorum* res gestas persequantur.

Videntur tamen, inquit ille, *præ summo quo prosequuti sunt Ecclesiam Romanam odio Græci non taciturí, si quid huius rei inaudiuissent*. sed quis non crediderit potiùs Pontifices Romanos rei tam turpis & nefandæ memoriam quantum possent occultasse, & suppressisse? falsum est etiam, quod de *Zonara* & *Cedreno* in Romanos Pontifices odio scripsit. nam non nisi nimis eisdem quibusdam in rebus fauisse videntur. quare aut non audiuerunt Græci, aut non putarunt

tarunt rem fuisse relatu dignam, aut nulla illis eius rei narrandæ occasio oblata est, aut denique gratiæ eius rei occultationem tribuerunt.

Negat prætereà *Bellarminus* quæ nos ex *Mariano Scoto*, & *Sigeberto* descripsimus, apud illos haberi, habere enim se manuscripta exemplaria in quibus ista non reperiuntur. cui nos anteà exceptioni occurrimus, nam aut ad solitas mentiendi artes *Bellarminus* confugit, aut in exemplaria à falsarijs corrupta incidit. quæ nos sequuti sumus exemplaria integra esse iam anteà demonstrauimus, cur non item se non esse mentitum confirmat, cùm non tantùm mentiri & falsum dicere, sed etiam peierare Pontificis sui causa se paratum ostenderit?

At non potuit, inquit ille, eadem & *Moguntiæ*, & in *Anglia* oriunda esse. nec nos quidem ista dicimus. sed tamen qui *Moguntiæ* oriundus est, nihil impedit, quo minùs nomen habeat *Anglici*: quod de hac *Ioanna* affirmat *Martinus Polonus*, *Marianus Scotus*, aliíque scriptores complures: vulgóque in alijs quotidiè verum esse experimur.

Obijcit præterea, *nulla temporibus huius Ioannæ viguisse Athenis studia literarum, falsúmque ea in re retulisse Martinum*. dicit enim [a] *Synesius*, qui circa illa tempora vixit, nihil se *Athenis* reperisse, præter nomen Academiæ. sed nihil huiusmodi ex *Synesij* verbis consequitur, quale putat *Bellarminus*. nam manifestè liquet Academiam ibi tunc temporis fuisse, licèt illa *Synesij* expectationi non responderet. si non semper ibi florebant studia literarum, quid mirum? nam vt flumina nunc augentur, & extra ripas diffluunt: nunc arescunt; nunc in alueo suo tacito cursu fluunt: sic literarum studia, prout honores, & præmia literarum augentur, ita vel crescunt, vel minuuntur, vel euanescunt. quod ex Romana quæ nunc, & olim fuit Academia, ne longiùs abeat, discere potest, si voluerit. Restituit quidem *Athenis* scholas *Michael* Imperator *Constantinopolitanus* post *Ioannæ* tempora. sed hoc nec literarum studia ostendit, tunc prorsus defecisse, nec quicquid ipse fecit, illud ad tempora *Ioannæ* Papæ pertinet. vixit enim Imperator ille aliquantò pòst, & præmijs auxit literarum studia, non autem prima posuit illius scholæ fundamenta.

[a] Epist. ad fratrem vltima.

At (inquit ille) *non est verisimile, Pontifices qui tunc temporis in Laterano habitabant, è Vaticano Lateranum petituros*. quasi non debeant illi qui domo profecti sunt, domum repetere. neque enim pugnant hæc in *Laterano* habitare, & alias vrbis regiones visere, & peragrare. habitasse in *Vaticano* tunc temporis Pontificem non dicit *Martinus*, nec licet habitaret *Ioanna* in *Lateranensi* palatio, quicquam impedit quo

quo minus in *Litaniarum* spatijs vrbe peragrata partus angustijs accelerata domum properare, & in reditu partus doloribus opprimi potuerit.

Quod autem negat *probabile esse mulierem grauidam, & partui vicinam prodire voluisse in publicum, aut partus tempus ignorasse*, nequicquam negat. res enim tota subita est, fallique solent, ea in re mulieres peritissimæ: nedum vt mirandum sit, si mulier imperita, temporúmque ignara falsa sit. sed Iesuitæ ista omnia ignorant. illis enim cum mulieribus quæ rarò parere solent negotium est: cum puerperis vasis saluis rem habere non licet.

Affert etiam è *Leonis*[1] *noni* literis, tanquam è *Iouis* tabulis descriptum testimonium: homo sanè lepidus & bellus, qui quas isti ex sinu suo depromunt chartulas, quásque pro veteri quæstus, & malitiæ more fingere, & refingere solent, ijs credi postulet. sed videamus quid iste lupina pelle indutus *Leo dicat. author est*, inquit *Bellarminus*, (nam nihil nos huius rei videre potuimus) *constantem famam percrebuisse, non tantum eunuchos, sed etiam fœminam Constantinopolitanæ vrbis cathedram occupasse.* nec sine causa quidem ista dixisse videtur, voluit enim ille æmulam imperij pontificij *Constantinopolitanam* ecclesiam vlcisci, & hanc turpitudinem fœminei pontificatus, aut rejicere à se, aut cum alijs communicare, illámque ecclesiam Romana turpiorem esse demonstrare. nam in Romanæ ecclesiæ cathedra omnes aut viros fuisse, aut fœminas, idq; viros gignendis liberis, *Ioannam* pariendo comprobasse: in cathedra autem *Constantinopolitanæ* ecclesiæ sedisse quoddam tertium semiuirorum, & eunuchorum genus, & hoc fortasse propter porphyreticæ sedis defectum contigisse. hinc autem *Bellarminus* aliud colligit: *Leonem nempe istum nunquam hoc nomine alios accusaturum fuisse, si eodem crimine ipsi pontifices Romani condemnandi essent.* sed sanè valde rerum imperitus esse videtur, si istas hominum astutorum in occupandis aduersariorum obiectionibus artes non norit. quo enim ipsi crimine grauissimè laborant, hoc calidi homines non rarò aduersarijs imponunt, vel vt eorum os obstruant, vel vt eorum ictus leuiores faciant. Nihil certè habent pontificij in ore frequentius, quàm vt alios hæreseôs accusent, cum sint ipsi hoc nomine maximè infames, sintq; ipsi, non hæretici tantùm, sed trihæretici, hæreseônque omnium sentina. sed si credi sibi deinceps postulent: missas faciant has commentitias fabulas, & epistolas decretales, & apocryphas, quas ipsi pro arbitrio, & re nata apud se, comminiscuntur, & proferunt. pontifices isti apud nos confregerunt tesseram, hominésque nostri audiendis pontificum Rom. mendacijs, & nugis iampridem obduruerunt.

[1] Leo 9. c. 23. ad Michaelem Constantinopolit.

Objicit præterea, *Martinum polonum hanc de Ioanna narrationem, non vt historiam constanter, sed tanquam rumorem leuem referre* : eumq; *hominem fuisse indoctum, & imperitum.* sed vtrúmq; falsum est. nam nec rumorem, aut fabulam vulgi, sed historiam quam ille ab alijs acceperat narrat. nec obstat, quod hoc se ab alijs accepisse dicat. nam quæcunque à nostra ætate remota scribuntur, ea ab alijs quasi manu traduntur. nec fuit ille, vt isti asserunt, homo simplex, sed vt illa ferebant tempora doctus. nam quod nonnulla imperitè scripsit, fuit illa non *Martini*, sed temporum culpa. fuit ille olim *Nicolai 3* primùm pœnitentiarius, & posteà episcopus *Consentinus*. nec verisimile videtur, si adeò simplex fuerit, vt isti ferunt, ad hos honores illum peruenturum fuisse. omni doctrinæ & prudentiæ genere summos superasse videtur pontifices. sed vt fuerit homo simplex, & *indoctum*, non tamen verisimile est, illum falsa scripsisse. nam ad hanc narrationem perpoliendam nulla admodum desiderabatur exquisita doctrina. si verè scripsit, satisfecit ille muneri suo.

Vt omnia denique huius historiæ indicia, & monumenta tollat, negat *Bellarminus aliquam extare mulieris puerperæ marmoream statuam* : idémque contra *Antoninum* & *Boccacium*, aliósque eius rei testes fortiter pugnat. sed planè insanit, si verbis se marmora absumpturum speret, aut homines sanos sibi potiùs, quàm antiquis testibus fidem adhibituros. affirmat *Antoninus*, & *Boccacius*, aliíque complures : negat *Bellarminus*, affirmant illi quibus tacuisse consultius erat : iste negat, cui nisi negaret, & mentiretur fame pereundum esset. vos igitur æstimate cui potissimùm credendum : & vtrum marmorea illa statua quæ teste *Antonino*, & alijs fidedignis scriptoribus huius *Ioannæ* est, subitò in Pasquillum, aut aliam alterius generis *Bellarmini* carminibus magicis transferri possit. de sede perforata quam stercotariam vocat, longas ambages orditur : negátque esse explorandi sexus gratia constitutam : negat denique aliquo alio nomine pontifices Romanos vicum *Clementis* declinare, quàm quòd alia via magis commoda est, & compendiosa, sed quid non ille negaret, qui contra veritatem, & historias obganniendo magnum quæstum facit ? cur non *Platinæ*, *Antonino*, *Fasciculo* temporum, *Boccacio* & alijs fidedignis testibus potiùs quam omnibus Iesuitis credamus, nihil afferre potest.

Interruptæ autem pontificiæ successionis nullum maius extat argumentum, quam quod à multiplici pontificum Rom. hæresi ducitur. nam hæresis non tantùm personalem, sed veram etiam doctrinæ successionem interscindit. & ideò perijsse iampridem ecclesiæ *Constantinopolitanæ*, *Antiochenæ*, & *Alexandrinæ* successionem asserunt, quia multi illas sedes occuparunt

cuparunt hæretici. hæreticos multis contendit [1] *Bellarminus* extra ecclesiam esse, qui possunt igitur ecclesiæ esse capita, & fundamenta, qui nec membrorum locum, nec appellationem merentur? multos autem pontifices Rom. fuisse hæreticos, nisi patribus & historijs, & conciliorum actis,& rerum gestarum monumentis fidem omnem abrogare possit *Bellarminus*, concedat necesse est.

Pontifices Rom. in fide errare posse, affirmat [2] *Hadrianus* sextus, qui & ipse pontifex erat. si per *ecclesiam*, inquit, *Romanam intelligatur caput eius, putà pontifex, certum est quod possit errare, etiam in his quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo.* nonnullos etiam quod in reliquis fieri posse concedit, *errasse in fide, & hæreticos fuisse dicit.* quod de *Ioanne* vicesimo secundo confirmat. *is enim publice* (contra fidem) *docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quod animæ purgatæ ante finale iudicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei.* hæc enim de eo dicit *Hadrianus.* dicit etiam errasse pontifices circa matrimonium *in c. licet de sponsa duorum.* & falsum determinasse *Celestinum* papam circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim. papam posse *hæreticum esse, & eo nomine deponi*, [3] *communis est etiam iuris Canonici interpretum sententia.* illis astipulatur non contemnendus apud istos author [4] *Alphonsus à castro. aliquos*, inquit ille, *pontifices summos in fide errasse compertum est.* in eadem sententia fuere [5] *Nilus*, [6] *Gerson*, & *Almaninus, vt ipse* fatetur [7] *Bellarminus.* & ideò verba eorum referre nihil necesse est, errasse etiam in fide summos pontifices fatetur & [8] *Nicolaus Lyra.*

His omnibus aduersatur *Bellarminus*, idem etiam veritati ipsi sæpe aduersatur. negat ille pontificem in fide definiendo aliquid errare posse. valde enim metuit, ne si errare posit, sæpius etiam errauerit. suæ autem sententiæ fundamentum ex lucæ verbis mutuatur: *Simon, Simon*, inquit [9] Christus, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum, ego autem vogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus conforma fratres tuos.* hinc concludit ille pontifices Romanos hæresim determinare non posse, omnésque decretales pontificum epistolas pro verbo Dei recipiendas. sed hunc locum, etiamsi adhibeat machinas illas quibus non ita pridem Sixtus quintus Pyramidem *Virgilij* (vt vulgò appellant) loco mouisse dicitur, nunquam ad suos pontifices accommodare poterit. nihil enim facit *Simonis* fides ad horum perfidiam, nec quæ *Simoni* dicta sunt ad hos pertinent qui multò magis referunt *Simonem Magum* quam *Simonem Petrum*, cur

[1] De eccles. militant. c. 4.

[2] De sacram. confirmat. art. 3. § ad secundum principale.

[3] Gloss. in c. 1. de renuntiat. in 6. & dist. 40. si papa, & ibi doctores.

[4] Lib. 1. contra hæres. c. 2.

[5] Aduers. primat.

[6] Lib. de potest. ecclesiæ.

[7] De Rom. pont. lib. 4. c. 3. & 4.

[8] In Matth. c. 16.

[9] Luc. 22.

cur pro ipso rogaret, multæ & graues erant causæ. Nouerat enim Christus, eum non ita multò pòst se abnegaturum, hominisq; fragilem naturam secum reputarat: ideóque lapsus eum admonuerat, ne de resurgendo dubitaret. atque hæc est sententia patrum. à qua pontificij, dum hunc locum ad pontificem Rom. rapiunt, prorsus deficiunt. pontifices Rom. cadunt quidem sæpiusculè, sed pertinax lapsus defensio omnem nobis spem adimit eos resurrecturos. superest igitur, vt vos, vtrum *Hadriano* pontifici summo, virisque summis, an huic minuto sophistæ pontificum decreta opupgnanti, credendum sit, iudicetis.

Hadriani hanc sententiam nos & rationibus, & multis exemplis confirmabimus. nec nisi summa esset istius hominis pertinacia, ipse repugnaret. omnes enim homines sacræ literæ vanitati subjiciunt,[1] medaciique arguunt. nec tempus illæ aliquod, nec locum excipiunt. neque enim *Mosi* hoc, nec *Aaroni* datum est, vt nunquam erraret. Canones[2] præterea pontificum ipsos deuiantes, vt aiunt, à fide, deponendos pronuntiant. quod prorsus frustrà illi decreuissent nisi possent illi à fide deficere. hoc idem in concilio quinto sub Symmacho, & octauo[3] sub alio, vt ipse ait, pontifice censuisse patres; & [4] *Anacletum*, & [5] *Eusebium*, & [6] *Innocentium* pontifices Rom. decreuisse, fatetur ipse *Bellarminus*. hoc enim ei extorsit vis veritatis. cur autem ei liceat à tot scripturis, & patrum & pontificum sententijs dissentire, nihil dixit. hoc itaque primum vulnus causæ suæ inflixit, quod nunquam sanaturus videtur. nam quod personali pontificem suum errori tantum subiectum dicit, quum extra cathedram obambulat, non autem quum in consistorio sedet, difficile intellectu est, nec nodum soluit. nam nec scripturæ, nec patres hanc distinctionem probarunt. imò *Adrianus* sextus, aliique multi hanc ipsius cathedralem determinationem hæresi obnoxiam faciunt, valdéque insulsum foret, si plus esset in cathedra lignea virtutis, quàm in virorum doctorum peritia, & consilio: quorum tamen ea est in rebus multis ignorantia, vt sæpius etiam & ipsi errarint. errasse etiam istos in fide res ipsa ostendit, nam multas ediderunt decretales & fidei, & veritati, & sibi inuicem contrarias. quas vt tenebras isti in lucem vertere possint, nunquam tamen ita tueri poterunt, vt non multoties in fide errasse summi pontifices videantur. multa etiam decreuerunt aduersus patrum sententiam, quam prisca ecclesia amplexa est. denique non magis præstò fuit Rom. pontifici, quàm alijs pijs episcopis diuina gratia, & auxilium. quorum tamē graues, & varios fuisse in fide errores accepimus. cum igitur nec summa pietas, nec rerum multiplex vsus, nec doctrina homines doctos, prudentes, & pios ab errore in fide vindicare potuerit; quid dici, aut cogitari potuit ineptiùs, quàm vt cathedra,

[1] Psalm. 115.
[2] Dist 40. si papa.
[3] Act. 7.
[4] Epist. 3.
[5] Epist. 2.
[6] Serm. de consecrat. pontific.

thedra,& episcopatus Rom. homines indoctos, impios, insulsos extra omnem hæresis aleam poneret? sed ista clariùs exempla multorum Pontificum subiecta illustrabunt.

Honorius multis Synodorum decretis confixus est. eum enim &[1] *6*, &[2] 7,&[3] 8 synodus vt hæreticum obelo notauit. eundem hæreseôs códemnatum fuisse, duo etiam testantur Romani Pontifices [4] *Agatho* &[5] *Leo.* multi præterea eum hæreticum fuisse scripserunt. vt[6] *Beda*,& author[7] libri Pontificalis,&[8] *Tharasius.* atque ne alios proferamus, idipsum plenissimè docent ipsius *Honorij* epistolæ, quæ inter [9] Acta *6* synodi reperiuntur. hæresim enim Monothelitarum spirant, *Honoriúmque* ostendunt vnâ cum *Sergio* vnam in Christo voluntatem probasse, duarúmque operationum in Christo distinctionem, quæ *Sergij* iugulauit hæresim ferre non potuisse. Respondet quidem *Bellarminus*, vt & ante ipsum *Pighius illas epistolas non ab Honorio conscriptas, sed ab hæreticis* sub eius nomine fuisse editas, quò faciliùs tanti viri nomine ipsi delitescerent: in quinta Synodo idem accidisse. nam & *Vigilij*,& *Menna Cōstantinopolitani* nomine confictas literas hæreticos inter acta 5 Synodi clanculum inseruisse: fraudémque illam in sexta Synodo fuisse animaduersam asserunt. sed ipsi in hac sua responsione multis se difficultatibus implicant. ideò enim credimus hæreticos falsum tentasse in actis 5 Synodi, quòd illę fraudes in *6* & 7 Synodo deprehensæ sunt. cur igitur non illi vicissim aliquam Synodum proferunt, quæ has contra *Honorium* hæreticorum molitiones & fraudes arguat? Imò cur nullum testem seipsis antiquiorem producunt, qui *Honorij* innocentiam probet, quem tot Synodi & scriptores hæreseôs condemnarunt? qui in rebus clarissimis cauillantur & tergiuersantur, cur in rebus dubijs illis fidem habeamus? quare nisi planè insaniant, aut fateantur vera esse, quæ tot Synodi, & testes locupletissimi affirmant, aut rationem cur non sint vera, proferant. nam nisi fecerint, omnes intelligent, eo esse illos animo, vt vel solem meridie lucere negaturi videantur, si Pontifex Rom. cuius se profitentur vsu & fructu mancipia annuerit.

Bellarminus præterea veritus ne negando literas illas ab *Honorio* scriptas, fidem suam suspectam faceret: aliud effugium excogitauit. nunc enim negat in illis literis aliquam contineri hæresim. at hæc defensio & sibi ipsi, & Concilij actis,& Pontificum Romanorum etiam affirmationi contradicit, prorsúsque insulsa est. nam si illis literis nihil inest veneni, quorsum ille confictas diceret? sin verò confictæ sunt, quid ille earum defensionem suscepit? aut cur nos *Bellarmino* potiùs credamus affirmanti, nihil in illis literis hæresim sapere, quam Synodis compluribus, multisque doctis viris contrarium asserentibus? hunc igitur ego Monachum

[1] Act.13.
[2] Act.vlt.
[3] Act.7.
[4] Conc 6. act. 4.
[5] In epist. ad finem Concil.
[6] De sex ætatib. in vit. Const.
[7] In vita Leonis 2.
[8] In quadam epistola inter acta 7. Synod.
[9] Act. 12 & 13.

contra tot Synodorum & patrum communem de *Honorio* sententiam obstrepentem ad medicos potiùs sanandum, quàm ad dialecticos redarguendum remittendum censeo.

[1] In epist.83.
[2] Lib.5.epist.14.
[3] In epist.ad Michael. Imperat.

At [1] *Leo* (inquit ille) *&* [2] *Gregorius etiam*, & [3] *Nicolaus primus grauiter conqueruntur de Græcorum fraudibus.* quod quidem vt factum fuerit, nihil tamen hæc querela ad hoc negotium pertinet. nam *Honorio* ne minimam quidem factam iniuriam queruntur: & licet multùm & sæpe Pontifices Romani de sedis suæ prærogatiua cum *Græcis* litigarint, dolósque suos non semper effectum debitum sortitos esse conquesti sint: in hac tamen *Honorij* condemnatione, & *Græci* & Romani concorditer consentiunt.

Contra *Agathonis* testimonium excipit *Bellarminus*, eum pugnantia loqui. quod vt ipsi ferant Pontifices qui dignitatem commodo suo postponunt, mihi tamen in summum Pontificem contumeliosum videtur. prætereà pugnat hoc cum ipsius causa maximè. nam si pugnantia possit loqui decernendo aliquid, cur non possit etiam errare? sed nec verum est pugnare secum *Agathonem*. *Honorium* enim summis viribus oppugnabat. nec pugnant hæc; Apostolicam ecclesiam non errasse, & *Honorium* hæreticum fuisse. falsum est denique quod dicit *Bellar*. *Agathonem* affirmare, *nullum suorum prædecessorum errasse*. loquitur enim ille de Apostolica tantum ecclesia, non de prædecessoribus suis. atqui vt errent, imo vt funditus eradicentur Rom. Pontifices, quid hoc ad Apostolicam ecclesiam pertinet, à qua illi iamdudum egressi sunt? caueat igitur deinceps Monachus iste, ne dum *Honorij* memoriam tuetur, conuitium faciat *Leoni*, & *Agathoni*, & multis alijs, qui *Honorio* rectiùs de fide senserunt; parcátque *Melchiorem* suum *Canum*, qui *Honorium* vt hæreticum habet canina sua facundia allatrare, ne ipsum vicissim alij canes allatrent, & lacerent.

Historicos denique, & scriptores quosdam profert, qui de Synodo 6, & 7, loquentes de *Honorij* tamen hæresi tacuerunt. quasi verò nihil actum esset in Synodis, cuius non aliqui alij historiarum scriptores meminerint, aut plus credendum esset tacentibus, quam affirmantibus. quare quod affirmat *Honorij* nomen in acta Synodi sextæ irrepsisse, impudens est Monachi insulsi deliramentum. qui enim potuere omnia illius Synodi exemplaria corrumpi? quomodóue potuit tanta falsitas obrepsisse, vt nullus illud animaduerterit? vnde tot locis intertextæ multorum de *Honorio* epistolæ, & sermones? aut cur ipse primus hoc animaduertit? aut denique si eius nomen in acta Synodi irrepsit, cur nihil esse in eius literis quod hæresim sapit, defendit?

Liberium Arriana labe infectum fuisse testantur authores grauissimi

[1] *Athanasius*

[1] *Athanasius*,[2] *Hieronymus*, & [3] *Damasus*. his etiam minuti multi authores subscribunt, vt [4] *Platina*, & *Fasciculus* temporum, alijque complures. ne iniuriâ hæreseôs condemnatus videatur; subscripsisse illum constat *Athanasij* condemnationi, & Synodo *Syrmiensi* quæ fidei nonnullos articulos refixit. hunc tamen *Bellar*. non fuisse hæreticum contendit. sed multò plus apud æquos iudices ponderat authorũ tantorum qui illud affirmant fides, quam mercenarij huius, & mẽdaciloqui Monachi intempestiua garrulitas. nam quòd *Liberium* nonnulli laudent, nihil ad rem facit. nam & *Busiridem* sunt nonnulli qui laudarint. valdéq; improbum esse oportet, qui nihil vnquam laude dignum gessit. at, inquit ille, non docuit hæresim, nec hæreticus fuit, sed peccauit tantum actu externo, cum fidem proderet. quasi verò verisimile sit, docuisse aliquem aliter, quam sensit, aut incredibile, decretales eum epistolas aliorum Pontificum more edidisse; aut non sit multo grauius fidem prodere, & deserere, quàm in vno capite fidei malè sentire. hanc igitur futilem defensionem nequicquam attulit *Bellar*. graues enim authores eum hæresim animo amplexum fuisse asserunt, quorum ego vel minimo credam potiùs affirmanti, quam huic mendaci Monacho conceptis verbis iuranti.

[1] In epist. ad solitar. vit. agen.
[2] In catalog. & chronic.
[3] In vita Liberij.
[4] In vita etiam Liberij.

Eadem noxa tenetur & *Fœlix*. nam & ab [5] *Arrianis* ordinatus est, & cum ijs communicauit & sensit. hunc [6] *Hieronymus* inter *Arrianos* numerat. nec verisimile est falsum scripsisse. negat tamen *Bellar*. negátque Martyrologiũ Rom. ecclesiæ, quæ hunc quantumuis hæreticum pro Martyre colit. videte vtris credendum sit *Hieronymóne*, & *Ruffino* qui res à sua ætate non multùm remotas nullo odio, aut animi perturbatione narrarunt, an *Bellarmino* & *Iesuitis* quibus ventris causa omnia dicenda sunt, quæ Pontifici Rom. conducunt. videte inquam qua ratione ducti *Fœlicem* hunc, quem & historiæ omnes vt schismaticum taxant, & [7] *Onuphrius* tanquam illegitimum ex Pontificum Rom. catalogo delendum censet, & quem intrusum fuisse viuente *Liberio* constat, & quem graues authores hæreticum fuisse docent, pro Martyre colant.

[5] Ruffin. lib. 10. histor. c. 22. & Theodoret. lib. 2. cap. 17.
[6] In catalog. scriptor. in Acacio.
[7] In annot. in Plat. & in catalog.

[8] *Tertullianus* episcopum quendam Rom. (nescio an fuerit *Zepherinus*) *Montani* hæresim secutum fuisse affirmat. *agnouit enim*, vt inquit ille, *prophetias Mõtani, Priscæ, & Maximillæ, & pacem dedit ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ*, quæ illas hæreses imbiberant. nec mentitum esse *Tertullianum*, quod *Bellarminus* vult, verisimile videtur. quid enim proficere potuit mentiendo? aut cur mentiretur pacem datam *Montani* per *Phrygiam* sectæ, cum si quid eius rei falsò dixisset, tam multi eum redarguere possent? cur potius verum dixerit *Bellarminus*, quam *Tertullianus* nullam ego causam video.

[8] In lib. contr. praxeam in princip.

De

De *Marcellino* plerique consentiunt scriptores ecclesiastici, eum sacrificasse idolis. eius rei extant apud [1] *Damasum*, & in epistola [2] *Nicolai* primi, & actis Concilij *Sinuessani* probationes. hunc tamen defendit *Bellarminus* hæreseôs non malus patronus: dicítque eum non errasse in fide, sed tantum fidei professionem abiecisse. quasi vllum sit in religione Christiana peccatum grauius, quàm Chtistum abnegare. nec multùm minuit peccatum *Marcellini*, quòd metu coactus idolis sacrificauit. nam qui vel errore, vel metu *Christum abnegat coram hominibus, hunc Christus se abnegaturum* [3] *minatur in regno patris sui.* vt hæc ad propositum nostrum accommodemus, num quicquam minùs probabile videtur, quàm eum qui ex fundamento excidit, & vniuersam vno verbo abijcit fidei professionem, ne in minimo quidem religionis capite errare posse? hæc tamen est insani huius Monachi malè sana sententia.

[1] In vit. Pontif. Rom.
[2] Ad Michael. in act. 6 Synodi.
[3] Matth. 10.

Apertissimè vero se hæreticum declarauit *Anastasius 2*, qui non tantùm *Photinum* hæreticum communioni restituit; sed *Acacium* hæresis conuictum occultè restituere conatus est. hoc enim testes [4] fide digni asserunt, huius tamen defensionem *Bellarminus* à temporum momentis, & circumstantijs exorditur. dicit enim *Acacium* ante *Anastasij* tempora mortuum fuisse. sed quod dicit ille, complures grauissimi authores negant. nam non tantùm *Acaciana* hæreseôs *Anastasium* reum faciunt, sed etiam propter illam impietatem [5] horrenda morte percussum memorant, nec obstat quod in temporum computatione discrepent authores. Nunquam enim quod factum est, infectum fieri potest, etiamsi maximè de temporibus inter se authores dissentiant. at inquit [6] *Couerrhuuias* inde manauit error quòd *Anastasius* Græcorum Imperator eo mortis genere interierit. quasi vero non possint plures eodem mortis genere perire, aut consequatur quia hic morte hac perijt, alium eadem mortis specie non perijsse. frustra certè & *Couerrhuuias* & *Bellarminus* in hac *Anastasij* causa se iactat, quem tot fidedigni authores iampridem hæreseôs condemnarunt. *Couerrhuuias* fatetur illum *Acacij* condemnationi subscribere noluisse. neuter legitimas proponit exceptiones. nam nec veræ sunt, nec necessariò concludunt. nam vt *Acacius* ante *Anastasium* mortuus fuerit, hæreses tamen vnà cum earum authoribus non semper extinguuntur.

[4] Pontific. in vit. Anastasij. & Gratian. distinct. 19. c. Anastasius. & fascic. temporum. in Anastasio.
[5] Gloss. in cap. Anastas. & fascic. temporum. & Platin. & Volaterran.
[6] Resol. lib. 4. cap. 13.

Vigilium non tantùm scismaticum, sed etiam hæreticum fuisse constat. de scismate fatentur Pontificij. viuente enim *Syluerio* sedem eiusdem inuasit. de hæresi inficias eunt. hæreticum tamen fuisse testis est [7] *Liberatus*, & *Paulus Diaconus*. literis enim ad *Theodoram* Imperatoris coniugem datis, & hæresim eius confirmauit, & anathema illis dixit, qui duas fatentur esse

[7] In Breuiar. cap. 22. & Paulus Diaconus in vita Iustiniani.

esse in Christo naturas. quod quidem adeò perspicuum est, vt nec *Bellarminus* illud negare ausus sit. alia igitur rima elabi conatur. dicit enim *Vigilium* viuente *Silverio* non fuisse Papam sed antipapam, & eo omni tempore *Eutychis* hæresim amplexum esse: posteà verò verum Papam factum omnes hæreses abiecisse. nam vt *Circes* poculis *Vlyssis* socij subitò in porcos, & alia animalium genera mutati dicuntur, sic *Petri* Cathedra ex hæretico factum Catholicum tanquam virgula diuina autumat. sed hæc non tam responsa sunt Theologorum, quàm sophistarum somnia. nam non tam facilè [1] diluitur hæresis, vt nomen Rom. Pontificis, & Mitra pontificia ex insulso doctum, ex stulto sapientem, ex hæretico Orthodoxum efficere possit, fuisse illum hæreticum constat, reuocasse illum hæreses quas amplexus est, non constat; nec quidem verisimile est. nam & literis ad hæreticos datis eorum sibi gratiam conciliare conatus est, & summam illi cum hæreticis familiaritas, & necessitudo intercessit, & summos ab illis acceperat honores.

[1] δέρματι δ' οὐκ ... Basil.

Leonem illum quem *Fælici* successisse memorat [2] *Vincentius*, idem *Arrianæ* hæreseos labe infectum fuisse dicit. cui astipulatur & [3] *Corradus Halberstatensis*, & author *Chronici Chronicorum*, & [4] *Theodoricus Niemensis*. *Bellarminus* negando aliquem huiusmodi fuisse Pontificem se defunctum putat. quasi vero omnes in Pontificum numeris consentiant, aut non soleant nonnulli eos numerare, quos alij expungunt è numeris. cur isti potius quam *Bellarminus* mentiri videantur, ne leuis quidem aliqua suspicio est. illi quæ ab authoribus fide dignis acceperant: hic quæ ab alijs narrantur impudenter facta fuisse negat.

[2] Lib. 15. c. 23. specul. historial.
[3] In suo Chronic.
[4] In Labyrinth. nemor. vnionis.

Nicolaum autem primum in forma baptismi errasse non diffitebuntur, credo, si eius verba diligenter attenderint. [5] *nam ait vnum & idem esse baptizari in nomine sanctæ Trinitatis, & in nomine Christi solius*: cum tamen contra & Christus mandarit, & ecclesia vbique seruarit.

[5] De consecrat. distinct. 4. c. à quodam Iudæo.

Legem quam tot argumentis cessasse docet Apostolus, *Innocentius* tertius decreto suo stabiliuit. [6] *Deuteronomium enim in Testamento nouo seruandum decernit*. at in *Deuteronomio* Legis compendium extat vniuersæ, recitantisque breuiter Leges quæ antea fuissent in prima promulgatione scriptæ erant. nec satis aptè respondent, qui *Deuteronomium* figuratè tantum seruandum illum sensisse putant. nam nec verũ est, figuras Legis seruandas esse, nec hoc sensit *Innocentius*, vt ex verbis Decretalis constat.

[6] C. per venerabilem, qui filij sint legitimi.

[7] *Iohannes* 22 negauit animas ante finale iudicium habere stolam, hoc est, frui beatitudine quam beatæ animæ expectant. ex quo sequitur animas ante finale iudicium non fore beatas, & tollitur animæ immortalitas. stolam enim secundam [8] Scholastici dicunt esse gloriam corporis resurgentis,

[7] Hadrian. 6. de sacrament. confir. art. 3.
[8] Dionys. Carthus. in 4. sentent. distinct. 5. qu. 6.

stolam autem primam gloriam animæ. hanc cum tollat ille, quid aliud facit *Iohannes* ille, quàm vt spem animabus beatis adimat, eásq; quasi somno ad finale iudicium opprimat? hanc autem hæresim & docuit ille, & alijs etiam amplectendam proposuit.

Iohannem verò 23, quem *Baltazarum Cossam* ante Papatum vocarunt ob animæ negatam immortalitatem à Concilij *Constantiensis* patribus de cathedra deturbatum ferunt. illum tamen pleriq; ex pontificijs pro legitimo agnoscunt Pontifice, solus, quem ego vidi, in ea re hæsitat *Bellarminus.*

Vulgò docent Pontificij damnari morientes ante baptismum: contrà tamen credidit, & docuit[1] *Innocentius* tertius. vtrumq; autem simul stare non potest. nec possunt exceptiones illæ quas adhibere solent de baptismo sanguinis huic negotio accommodari. placidè enim mortuus est presbyter ille non baptizatus, quem *Innocentius non incunctanter*, vt eius verbis vtar, *asserit adeptum esse cœlestis Patriæ gaudium.*

Sacramentum cœnæ Christus in vino & pane instituit, illaq; duo signa sumenda præscripsit. vulgò tamen Pontificij laicis calicis communionem negant concedendam, & [2] *Innocentius 8, Gothis* seu *Noruegijs* sacerdotibus permisit, vt sine vino sacrificiū consecrarent: grauissimumq; Christi interdictum homo leuis, & stolidus (nam ita [3] ipsi narrant Pontificij) neglexit.

Eugenio 4, Concilij [4] *Basileensis* patres Pontificatum abrogarunt, quod in hæresim incidisset. nec obstat quod *Basileense* concilium *Bellar.* vt illegitimum conciliabulū repudiat: nullo enim iure, aut merito illud facit. nam & legitimè congregatū fuisse, & multa lege egisse nec ipsi negant, ipseq; *Eugenius* illud legitimū pronuntiauit, & ei primis eius temporibus authoritatem suam accōmodauit. quare quod dicit ille nonnullos à Concilio *Basileensi* redeuntes se *Nicolao* quinto submisisse, & reuocationi actorum concilij prædicti subscripsisse, parum valet. hoc enim metu coacti fecerunt. nec sanè mirandū, cum pleriq; armorum & exercitus terrore diffugissent, reliqui sententiam liberè dicere non auderent, nonnullos in partes *Nicolai* transiisse. hoc nobis satis est, quòd propter hæresim Concilij *Basileensis* patres sententiam in *Eugenium* tulerunt. Sed quid opus est de singulis dicere, cum hæreses illæ veteres, & nouæ de quibus antea diximus, publicè ab his defensæ vniuersos esse hæreticos ostendant? multò fuisse plures hæreticos ex hoc Pontificum ordine quàm nos diximus testantur historici. [5] pugnantes deniq; & cum scripturis, & inter se Pontificum sententiæ hæresis labem vniuersam illam sedem iamdudum infecisse loquuntur.

Nicolaus 2, in *Palinodia* forma quā *Berengario* præscripsit *Christi gloriosum corpus sub panis & vinis speciebus delitescens dentibus atteri dicit*, quod nec glossa negat *hæresim sapere*. in Concilio *Constantiensi communionem sub*

vna

[1] C. Apostolicam de presbytero non baptizato.

[2] Volateran. Geograph. lib. 7. & Onuphrius.

[3] Guicciardin. lib. 1.

[4] In actis Concilij Basil. ab Ænea Syluio descript.

[5] Multę Pontificum decretales epistolæ, & cum scripturis & secum pugnant.

vna specie pontifices Romani statuerunt: Gelasius contrà, *non sine ingenti sacrilegio sumi posse vnam partem* [1] *sacramenti sine altera; & cum Christi carne in sacramento manere verum panem asserit:* & licèt Apostoli sententiam [2] tueatur iste, contraria tamen in ecclesia Rom. inualuit consuetudo.

Gregorij primi [3] acta irrita fecit qui ei successit *Sabinianus*, ægreq; ab illo impetratū est, ne libros eius combureret. *Formosi* acta rescidit *Stephanus 6*, *Stephani* acta *Romanus*, & *Iohannes 9*. *Sergius* verò 3, ille qui in *Marozia* meretricis vixit complexibus, horum condemnata sententia *Stephani* acta approbauit, *Formosumq́*; non esse legitimū pontificem decreuit; quem tamen reliqui omnes vt Pōtificem agnoscunt. pro *Gelasio*, ne aliquis ex Pōtificibus Rom. rectè sensisse videatur, *Bellar. scribendū censet Gēnadium*; sed contra omniū exemplariū veterū & recentiū fidem, adeò vt multò videatur præstantius plagam ferre, quàm isto modo declinare. nam si hunc respondendi morem probarint Pontificij; nulla erit in aliquo homine turpitudo, quæ non possit defendi. facilè est enim non Pōtificem, sed alium nescio quē fecisse hoc, vel illud dicere. sed si vt ipse *Gennadiū* pro *Gelasio* supposuit, sic ipse vel aliquis alius non *Petrum*, sed aliquem alium Christū abnegasse diceret, omnes illum meritò exploderent. ne ipsi quidem ferunt, cum nostrū aliqui non *Petrum*, sed alium aliquem Romæ primum episcopum faciunt. cur igitur *Bellar.* potiùs neganti, quàm alijs hoc quod diximus de *Gelasio* affirmantibus credamus, nulla ratio permittit.

Gelasium præterea de sacerdotum cōmunione loqui affirmat, sed quod scelus est, nec a sacerdotibus, nec a laicis perpetrandum est. cur igitur scelerat è illi ex *Gelasij* sententia sacramētorum vnitatem diuidunt? Prætereà falsum est quod dicit *Bellarminus, sacerdotes vtramq; sacramenti speciem sumere.* nam tantùm conficientes, vt vocant, illud faciunt.

[4] *Stephanus 6*, à *Formoso* ordinatos iterum ordinauit, ordinesq́; reiterauit quod apud istos & hæresim sapit, & non leue habetur flagitium. erat igitur ille hæreticus. neq; enim verisimile videtur, illū aliud fecisse, aliud sensisse.

Gregorius 7, multorum [5] authorum calculo non tantùm vt hæreticus, sed vt Necromanticus condemnatur. frustráque eius decantat laudes *Bellarminus*. nam pessimum quemq; isti maximè laudare solent; quæq; alij summè execrantur superbiæ & tyrannidis Pontificiæ monumenta; ea pontifices tanquam trophæa sua, & egregiè facta in aula sua depinxerunt.

Syluester 2, ab his, vt vir doctissimus celebratur. eum tamen [6] author non leuis homagium diabolo fecisse arguit. & quod *Paulus* mandauit, ne serui fiamus hominum, illud præposterè seruauit. non enim hominum seruus, sed diaboli factus est mancipium. quo ille facto non tantum hæresim, sed apostasiæ etiam crimen incurrisse videtur.

[1] De consecrat. dist. 2. c. comperimus.
[2] In lib. Gelasij contrà Eutychem.
[3] Platina & fascic. temporum.
[4] Sigebertus anno 900.
[5] Benno Cardinalis & Vspergens. & Synod. Brixiana.
[6] Fascic. temporum.

Simoniæ verò hæresis, & turpitudo adeò Cathedram *Petri* fœdauit, vt nihil illa fieri possit turpius. nam si à summo capite, nempe Pontifice, ad imos *Iesuitas*, & sacrificos tanquam digitos descenderis, nihil ab illa labe purum reperies. sed quid ego in his Pontificum Romanorum sordibus euoluendis & scrutandis verser diutiùs, cum constet viros etiam bonos, nedum omni morum turpitudine inquinatissimos, & errasse grauiter, & in Deum peccasse?

[1] 4. Regum 16.

[2] Iosephi histor.

* *Aaron* ad Idololatriam vnà cum populo Israelitico defecit.[1] *Achazi* errori nimis sè obsequentem præstitit summus sacerdos *Vrias*. summi autem *Iudæorum* Pontifices plerique[2] postremi, aut Pharisæi erant, aut Sadducæi, aut alijs erroribus obnoxij. ne ipse quidem *Petrus*, licèt magnus Iesu Christus Apostolus, à lapsu fœdo immunis erat. quare si *Petrus* post celebre illud dictum, *Tu es Petrus*, & *super hanc petram fundabo Ecclesiam meam*; item post clauium concessionem, vnde pendet omnis illa quam prędones Pōtificij nullo iure inuaserunt potestas, non errauit tantùm, sed etiā Christū abnegauit, quem optimè nouit; quid de minutis istis Pontificibus dicemus, quorum plerosq; constat Christum non nouisse, multáq; faciunt vt credamus pauca illos de Christi fide audiuisse, nihil ferè rectè credere? at, inquit *Bellarminus*, certum est *Petrum* habuisse fidem in corde inclusam, licèt confessionem oris amisisset. quod sanè Pontificibus Rom. malè accommodatur, qui licèt ore Christum confiteantur, corde tamen Christum eiusq; Euangeliū abnegarunt. & Præterea *Petri* lapsum non excusat. quantò enim grauius est Christū abnegare, quàm prauè de aliquo fidei articulo sentire, tantò grauior erat *Petri* lapsus, quàm quæuis alia hæreseôs labes, grauiórq; hæresis est Christum negare, quàm in vnius alicuius articuli fidei sententia errare. nec probabile est qui a lapsu tutus non erat, eius successores, iure successionis ab omni hæresi liberos esse.

Diutiùs fortasse, quàm nonnullis videbatur faciendum, in hoc argumento versatus sum. sed ad retundendam hanc istorum quam ex Pontificū hac externa successione sibi sumpserunt cōfidentiam, & arrogantiam, non potuit locus iste absolui paucioribus. est enim hæc Pontificū Rom. successio quasi arx, ad quam confugiunt, quamq; omnibus præsidijs obsepiunt, qua expugnata reliqua omnia eorū propugnacula sua sponte casura videntur. aufer enim summi Pōtificis insulsas scripturarū, & patrū interpretationes, quę hac vna nituntur successionis authoritate; meretricis *Babylonicæ* statim videbis nuditatem, & turpitudinem. quàm autem imbecilla defensione nitatur hęc externa successio ex superiore disputatione satis cōstat. pręcipuè verò ex hac eius postrema parte. nam sine fidei vera doctrina frustra iactatur inanis cathedrę *Petri* successio: nec possunt illi Apostolis succedere, qui

Apostolorum

Apostolorum deseruerunt fidem, & doctrinam: in multis causis quę illum in fidei vnitate conseruarunt, *sapientiæ diuinæ primam habuit*[1] *Augustinus rationem. successionem verò episcoporum penultimam recenset. illis obaudiendum censet*[2] *Irenæus, presbyteris, qui successionem habent ab apostolis, quique cum episcopatus successione charisma habent veritatis.* & quamuis isti suis cathedris valde superbiant: *pietatis tamen successionem propriè existimandam censuit*[3] *Gregorius Nazianzenus.* hanc igitur cum non habeant pontificij, desinant sua illa futili successionis larua ad hominum fraudem abuti. nam vt in suo sacrificio commentitio species habent sine certo subiecto, & fundamento: sic inanem habent successionis vmbram, rem autem ipsam iampridem sub ingressa hæresi amiserunt.

[1] Contr. epist. fundament.

[2] Aduers. hæres. lib. 4. c. 43. & 44.

[3] In laudem Athanasij.

Ne [4] episcopos quidem Romæ multos iam annos habuerunt: tantum abest, vt hanc suam episcoporum succesionem nobis probare possint. episcopus enim non nomen est nudum, nec vmbra sine corpore, aut corpus insulsum sine verbi sale, nec statua, aut muta imago, sed doctor, & pastor, & speculator: cuius omnis laus in docendo, pascendo, & continuis super gregem vigilijs consistit. episcopatus verò munus est, & officium docendi, pascendi, & speculandi, non otiosè dormiendi, nec suauiter vitam agendi. primum episcopi munus est verbum docere, secundum sacramenta administrare, tertium verò, mores populi sibi subditi, & verbo & disciplina secundum ecclesiæ leges corrigere. in episcopo[5] requirit Apostolus, vt sit διδακτικός. Christus etiam quid esset oues suas pascere ostendit, cum è mundo discessurus mandata discipulis de grege suo pascendo relinqueret. *euntes*, inquit ille, *docete omnes nationes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* hic campus est, in quo successoribus Apostolorum excurrere licet. pascere igitur Christi gregem, & in eo apostolis succedere, non est illud quod faciunt Romani pontifices qui otiosè imperant, & suauiter, nisi eos fortasse bellicus aliquis tumultus excitet, in vtrámque aurem dormiunt, sed illis in munere docendi, & sacramenta administrandi succedere. hæc suo exemplo docuit *Petrus*, & primi etiam Romani episcopi. doctissimæ adhuc extant *Gregorij* primi, & *Leonis* primi conciones. etiam vsque ad *Innocentium* tertium supererat in pontificibus Romanis aliquod concionandi, & pascendi clerum domini ex *Petri*[6] mandato studium. supersunt enim adhuc[7] aliquot eius concionum reliquiæ, omnibúsque hoc non ita pridem pontificibus Romanis erat, vt sacramenta ipsi suo more administrarent. Nunc autem postquam monachorum, & fraterculorum armenta ecclesiam depascere potiùs, quàm pascere cœperunt: cessauit antiqua in illis officij cura, munúsque episco-

[4] Rom. pontifices non esse episcopos.

[5] Tit. 1. & 1. Tim. 3.

[6] 1. Petr 5.

[7] Inter opera Innocentij.

pale anteà neglectum, posteà deseruerunt, vacua igitur concionatorum subsellia istæ locustæ subintrantes, non concionari, sed obstrepere veræ doctrinæ cœperunt. pontifices Romani nunc nec verbū tractant, nec sacramenta administrant. pudet nimirum summos pontifices, quæ isti omnium qui viuunt homines nequissimi, & vilissimi agunt, ea in se suscipere. quid igitur interim dum monachi ad quorum munus illud [1] non pertinet, concionantur, agunt isti? nam nihil agere vix hominis esse videtur politici, audite obsecro quid agant. in pontificali sella sublimes sedent. ex illa sede tanquam ex Apollinis tripode oracula fundunt. de rebus suis certos, illi incertos; non autem vt *Apollo*, dubios certos reddunt: summis regibus mandata dant: rebelles ferro coercent: inde quid domi, aut militiæ facto opus est præscribunt: vt ipsi in solio suo celsi dominentur, orbem Christianum bellis, & incendijs turbant. verbi autem docendi adeò illis nulla est cura, vt non tam *Petro* in verbi ministerio, quàm *Iulio Cæsari* in vrbis Romanæ imperio successisse videantur. gladios certè suos, militaresque animos à *Petro* non habuerunt. Nam vt habuerit ille gladium, eum tamen iussu Domini in vaginam [2] recondidit: satellites certè Heluetios, & [3] exercitus dicto obedientes ille non habuit. isti verò quasi Christiani homines mactandi essent potiùs quàm docendi; ita continuò militibus stipati incedunt. Nec dudum est, ex quo *Iulius* secundus bellator potiùs, quàm episcopus, gladium ex vagina eduxit, quem multos iam annos in omnium piorum iugulum eius successores intentum habuerunt. nihil autem eorum faciunt, quæ ad episcopi Christiani pertinent munus. qui igitur possumus episcopos vocare, qui episcopatus munere abiecto, alieni officij fines ingressi sunt?

[1] Hieron. ad Nepot. & Heliodor.

[2] Iohan. 18.

[3] Bernard. de cōsid. ad Eugen.

Ne ordinationem quidem seu manus impositionem legitimam, si *Bellarmino* credimus, habent. nam apostolicam authoritatem nemo, si vera sunt quæ [4] dicit ille, concedere potest, nisi qui ab Apostolis causam, & successionem habet. pontifices autem Rom. non à prædecessoribus suis, sed à Cardinalibus ordinantur. legéque lata cauetur, ne *quis sibi successorem designet*, qui igitur possunt Cardinales tribuere Rom. pontifici ius successionis, cum ipsi nullum ea in re ius habeant? aut qui possunt illi Apostolicos creare successores, cum non successerint illi Apostolis, aut tribuere alijs, quod ipsi non habent?

[4] De notis eccle. cap. 8.

Respondet quidem *Bellarminus* variè. est enim hoc monachorum genus caprigenum, & varium, dicit *verbum quod significat* [5] *pascere, in idiomate Syro significare etiam & imperare*: adeò vt imperando ecclesiæ pascere videantur pontifices summi. quod sanè mirificum est interpretandi genus.

[5] Iohan. 21.

genus. Græcum enim, non ex Syro, sed ex Græco Syrum interpretandum est. nec ideò sequitur, quia nonnunquam reges dicantur [1] pastores, & pascere significat regere, idcirçò hoc loco eam esse verbi *pascere* significationem. nam verbo & sacramentis gregem pascendum Christus præscripsit, quod cum non faciant isti; nihil est quod verbum pascendi ad se pertinere putent, verbi enim famem populo indixerunt, tyrannidémque grauissimam in ceruicibus populi Christiani collocarunt, qua opprimuntur multi, præter monachorum greges & sacrificorum turbam pascitur nemo.

[1] Ποίμενες λαῶν.

At, inquit ille, regunt populi mores. hui! mores isti regunt? quorum, obsecro? populus enim Romanus, cuius isti dicuntur censores, moribus viuit flagitiosissimis. populúmque illi non tam aperta doctrinæ schola ad virtutem erudiunt, quàm apertis ganeis, & luparum lustris pessimis exemplis corrumpunt.

Negat etiam pontifices Rom. teneri, per se aut concionari, aut sacramenta administrare, si iusta aliqua causa impediantur. quæ autem iusta possit esse causa, vt tot hominum ætates taceant, & nec doceant, nec sacramenta celebrent; nec tenet ipse *Bellarminus*, nec licet multum rogatus vnquam nobis dicturus videtur. Imò pontifices suos quos excusare cupit, grauissimè accusat. nam nisi iusta causa impeditis, & docendi & sacramenta illis administrandi munus incumbere non negat. nulla autem iusta causa reddi potest, cur per totam vitam, imò per multa secula pontifices isti in episcopali peragendo munere cessent. neque enim miles dicendus est, qui nunquam arma induit, nec hostem vidit, nec militaria cetera munera obiuit; nec episcopus qui totam ætatem silet, desertáque statione episcopali culinam curat. non sic fecit à quo generis originem ducunt *Petrus*. nec *Paulus* quidem his moribus vllos probauit episcopos. nec solent duces milites legere qui per optiones & vicarios semper pugnant. nec cum tandem ante Christi tribunal rationem neglecti muneris reddituri stabunt, illa accipietur excusatio, quod per alios munus suum curarint; nec per vicarios perferent pœnas.

Quod de *Valerio Hipponensi* episcopo affert ex [a] *Possidonio Bellarminus*, *eum cum Græcus esset, apud Hipponenses qui linguam tantum intelligebant aut Romanam, aut Punicam concionari non potuisse*: & ideò *Augustinum tanquam muneris sui vicarium sibi substituisse, eiúsque exemplo pontifices Romanos Iesuitas, & alios monachos ad concionandum, & sacramenta administranda rectè summittere*; & malè huc accommodatur, & varijs mendaciunculis aspergitur. nam licet expeditè non posset loqui Latinè; loqui tamen eum vtcumque potuisse, vtpote qui populum sæpe

[a] In vita Augustini.

allocutus

allocutus est, constat. prætereà quò minus illum Græcè concionatum esse intelligamus, nihil impedit. nam vt non vulgò Græcè scirent, nonnullos tamen Græcè intellexisse constat. sacramenta illum administrare solitum episcopale omnibus commune munus docet. pontifices autem Rom. cum Italicè periti sint, adeò vt rythmos, & cantiunculas nonnulli cinædicas Italicè ediderint, cur non concionantur apud Italos? cur non sacramenta administrant? cur non populum aloquuntur? quod autem episcopos orientales qui concionari non possent apud populum presbyteris illud munus mandare solitos dicit, apertè videtur mentitus. nullum enim eius rei aut authorem, aut exemplum proferre potuit. Possidonius, quem ille authorem sequitur, nihil huiusmodi dicit. adeò sanè in vniuersa hac narratione fluctuat, & aberrat, vt vel somniasse cum scriberet, vel consultò mentitus esse videatur. sed vt *Valerius* Græcus non sit concionatus apud Hipponenses, quid hoc pro Romanis facit pontificibus? non enim illi Valerio homini Græco, &, vt *Bellarminus* dicit, elingui, sed *Petro* apostolo dono linguarum prædito, hominíque diserto, & industrio se successisse iactant.

Ab his locis reiectus dicit tandem episcopatum esse præfecturam ecclesiasticam. sed cogitare debuit non esse illam otiosam præfecturam, sed opus & munus; idque longè maximum, & maximè operosum; cuius primæ partes in docendo, proximæ in sacramentorum administratione, reliquæ in negotijs ecclesiasticis expediendis positæ sunt: Romanósq; pontifices ouilis in mercenarios reiecta cura, bella, iudicia, & lites curare. in quibus cum illos ætatem conterere maximis muneris sui partibus neglectis non negent, non illi optimo exemplo episcopos, sed in negotijs & litibus pontifices occupatissimos habent. *Gregorius* enim *mortuum esse dicit episcopum, cuius vox non auditur*: & *Augustinus episcopatum dicit esse opus non honorem.* si nos igitur audire noluerint, at audiant tamen pontificem Rom. & nisi pro mortuis haberi uelint, doceant. obsurdescunt isti, & aures auertunt. tantùm ne planè mortui esse videantur, instar leonum aduersus legitimos principes rugiunt: seu vt veriùs ipsorum perspectis ineptiis loquar, instar asinorum rudunt. omnibus certè rectè existimantibus, quod ad episcopale munus attinet, mortui sunt, neque plus loquuntur, quàm vmbræ hominum.

Quare, vt hunc demum de successione locum absoluam, cum nihil habeant Rom. pontifices, episcoporũ præter nomen, quis illos episcopos, aut veterum illorũ Romanæ vrbis episcoporum, & martyrum successores iure appellare potest? imò verè antichristi sunt, & nomine tantum episcopi. illud multis iam anteà docuimus, & ipsi veritati sese mentiè opponendo confirmant, & orbis Christianus credit. successionis autem apostolicæ nec ius

ius certum proferre illos posse, nec successionis externæ rationem expeditam habere, nec in doctrinæ vestigijs Apostolos sequi demonstrauimus, non sunt igitur Pontifices Rom. Apostolorum successores, sed prædones; nec per ostium vt pastores, sed per dirutum murum, vt latrones ingressi sunt. súntque illi *Simonis Magi*, non *Simonis Petri* successores.

[1] Nec doctrinæ quidem habet Ecclesia Romana cum priscis Ecclesiæ Patribus consensum. nam & ab Apostolis, quos vt primos Ecclesiæ veneramur Patres, & ab Apostolorum successoribus, qui doctrinam ab illis acceptam ad nos vsque scriptis suis propagarunt longissimè discessit. de Apostolis, quantúmque ab illis discreparit, iam anteà diximus: nunc autem quantum à priscis post Apostolos Patribus quorum scripta ad nos incorrupta peruenerunt digressa est, quoniam in hoc vestigio fortiter pedem figit *Bellarminus*, dicendum etiam est. discrepat igitur à Patribus hæc recens Romana Synagoga primùm in fundamento fidei, tum in articulis doctrinæ, tertiò in Sacramentorum doctrina & vsu: postremò in Ecclesię gubernatione, & disciplina. de quibus singulis nunc argumenta dicenda sunt.

[1] Romanam Ecclesiam à prisca Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrina & fide discessisse.

Asserit Rom. Ecclesia [2] *traditiones non scriptas esse firmum & indubitatum fidei nostræ fundamentum. traditiones non scriptas pari pietatis affectu, & reuerentia cum sacris Scripturis suscipiendas decernunt* [3] *Patres Tridentini. Scripturas denique Lindanus, vt imperfectas, traditionibus* [4] *dicit esse supplendas*. contrà autem loquútur omnes Patres. *Apostoli* inquit [5] *Irenæus, Euangelium præconiauerunt: posteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.* [6] *Tertullianus nihil præter Euangelium credendum* dicit. [7] *Hilarius ijs quæ scripta sunt se fore contentum dicit. quæ absque auctoritate, & testimonijs Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte confingunt, ea* (inquit [8] *Hieronymus*) *percutit gladius Dei*. finis idem *Ecclesia constituit* [9] *Scripturas sanctas*. nihil vltra ea quę *in Lege, Prophetis, Apostolis, & Euangelistis habentur perquirendum censet* [10] *Damascenus*. Ecclesia verò Rom. non tantùm traditiones, sed etiam decretales epistolas Pontificum suorum, imò & omnes consuetudines, imò interpretationes quascunque illorum, vt fundamentum fidei amplectitur. scholasticam verò doctrinam ante omnes Patrum veneratur sententias. vnum Ecclesię fundamentum, vnum item caput, & vnicum sponsum, & Mediatorem agnoscunt prisci Patres, hácque prærogatiuam Christo Iesu soli deferunt, vt sit fundamentum, caput, sponsus & Mediator vnicus inter deos, & homines: Pontificij autem & qui eorum sequuntur sectam subdititium intulerunt caput, nouúmque calamistris suis & fucis sponsum Ecclesiæ obtruserunt; fundant prætereà Ecclesiam super Pontifices suos,

[2] Lindan. lib. 3. Panopl. c. 4.
[3] Sess. 4.
[4] Lindan. lib. 1. c. 1. & Catechis. Rom.
[5] Aduers. hæres. lib. 3. c. 1.
[6] Tertul. de præscript.
[7] De Trinitate lib. 3.
[8] In Aggeum c. 1
[9] In Micheam lib. 1. c. 1.
[10] De orthodoxa fide.

tanquam ſuper arenam: pluréſque inuocant Mediatores.

De culpa & pœna, mirabiles habet Eccleſia Romana & nouas ſententias. *Dicit* [1] *enim culpa remiſſa non item remitti pœnam*: itémque *culpam Chriſti ſanguine dilui, pœnam autem humanis ſatisfactionibus tolli*. partiuntur enim illi ſalutis media inter Chriſtum, & homines. præterea *ſatisfactionem &* [2] *præteritam, & futuram culpam reſpicere, non modò pœnam: aliúmque pro alio* [3] *ſatisfacere poſſe*. hoc enim apud illos ius æquum videtur, vt delinquat coquus, vapulet tibicen. de huiuſmodi ſatisfactionibus, & diſtinctionibus nihil vnquam audiuerunt Patres. credunt enim Deum eſſe ſummè miſericordem, & quæ ille remiſit peccata, ea deleuiſſe, nec eorum ampliùs meminiſſe. *Chriſtus*, inquit [4] *Auguſtinus, ſuſcipiendo pœnam & non culpam, & culpam deleuit, & pœnam.* [5] *idem vnam iniquorum mundationem dicit eſſe ſanguinem iuſti, & humilitatem Dei.* [6] *Tertullianus exempto reatu eximi dicit & pœnam.* & [7] *Chryſoſtomus, cùm corripimur à Domino, magis illud admonitionis, quàm damnationis; medicinæ, quàm ſupplicij; correctionis, quàm pœnæ eſſe cenſet. idémque* [8] *ſanato vulnere, cicatricem dicit remanere, at ſimulac eximit à pœna, Deum donare iuſtitiam credidit.*

[1] Trident. Concil. ſeſſ. 4. c. 12.
[2] Thom. 4. diſt. 15. q. 1. art. 7.
[3] Thom. 4. diſt. 20. q. 1. art. 2.
[4] De verb. Domini ſerm. 37.
[5] De Trinit. lib. 4. c. 2.
[6] De Baptiſm.
[7] In 1. Cor. homil. 28.
[8] Procem. in Eſai.

Nouam etiam de purgatorio excogitauit doctrinam. credit enim *poſt hanc vitam pœnas eſſe* [9] *purgatorij ignis, fideliúmque animas ibidem detentas ſuffragijs, & ſacrificio altaris, & operibus pietatis adiuuari. pœnas* [10] *etiam illas indulgentijs Papalibus pro arbitrio vnius*, atque non admodum prudentis œconomi, *mitigari, aut tolli*: quorum quidem nullum extat veſtigium apud Patres. verbum quidem purgatorij apud nonnullos dubitanter ponitur; doctrina illa nuſquam apud illos reperitur. ſi aliquid eius rei audiuerit *Bellarminus*, rogatum velim, vt nobis non grauetur indicare. contra Pontificiorum de purgatorio vbique loquuntur ſententiam. *dum hic fuerimus* (inquit [11] *Chryſoſtomus*) *ſpes habemus præclaras; ſimulátque verò illuc diſceſſerimus, non eſt ſitum in nobis pœnitere, neque commiſſa diluere. & qui in præſenti vita*, (inquit [12] ille) *peccata non abluerit, poſteà non eſt aliquam conſolationem inuenturus, hoc enim luctarum, & certaminum tempus eſt, illud verò coronarum, & præmiorum.* [13] *Cyrillus animas à corporibus ſanctorum abeuntes, non ad inferos deferri, ſed in manus Patris euolare credidit.* his conſentanea dicunt *Origines, Cyprianus, Ambroſius, & Hieronymus. haud dubiè*, inquit [14] *Origenes, ignem inextinguibilem ſentiemus, niſi petierimus à Domino nunc ignem nobis è cælo mitti purgatorium, quo deſideria mundi in mentibus noſtris penitus abſumantur. quando hinc exceſſum erit, nullus iam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*, ſi credimus [15] *Cypriano. poſt mortem*, inquit [16] *Epiphanius*,

[9] Trident. Concil. ſeſſ. 9.
[10] Soto confeſſ. Cathol. de purgator.
[11] De Lazar. hom. 2.
[12] In Geneſ. hom. 5. & hom. 3. de pœnitent.
[13] In Iohan. lib. 12. c. 36.
[14] In Leuit. lib. 9. apud Cyrill.
[15] Contr. Demetrian.
[16] Hæreſ. 59. aduer. Cathar.

phanius, qui decertarunt, quiescunt, qui non decertarunt non amplius adsunt, & omnia consummata sunt post factum hinc discessum. lachrymas Petri se legisse[1] dicit *Ambrosius, satisfactionem negat se legisse.* negat *etiam punitum iri*[2] *Hieronymus, quod non imputatur: illud autem quod remittitur peccatum, non imputari dicit. tria tantùm loca agnoscit*[3] *Bernardus, cælum* nempè, *terram*, & *infernum*. de purgatorio nihil vnquam vidit, ne per insomnia quidem.

[1] De Petri negat.
[2] In Psal. 31.
[3] In sentent. c. 9.

Vulgò inter[4] scholasticos receptum est, *pœnam æternam per contritionem dimitti; pœnam autem temporalem per satisfactionem. tria*[5] *magna bona nobis ex satisfactione prouenire dicunt: impetrationem nempè gratiæ, remissionem pœnæ, & expurgationem reliquiarum culpæ.* Christi quidem satisfactionem omninò aut silentio prætereunt, aut verbis eleuant, à quorum sententia longè dissident prisci Ecclesiæ Patres. remissionem enim peccatorum soli Christo acceptam ferunt. *nemo*, inquit [6] *Augustinus, tollit peccata mundi, nisi solus Christus, qui est Agnus tollens peccata mundi. tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, vbi & originale continetur, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi fieri omninò non possunt.* idémque *nullius Martyris sanguinem in remissionem peccatorum fusum dicit, hoc enim solius Christi opus est*, vt inquit ille. *Christum* dicit[7] *Hieronymus quæ nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, pro nobis passum esse*, neque vlla[8] *potest pax cum Deo haberi, nisi per Mediatorem Christum*, teste *Alcuino*.

[4] Thomas 4. dist. 17. q. 3. art. 5.
[5] Compend. Theolog. lib. 6. c. 30.
[6] Contr. Iulian. lib. 3.
[7] In Esai 53.
[8] De Trinit. c. 12

Ex gratia, dicit[9] *Chrysostomus, & peccata sublata, & nos à pœna liberari. Sanctos*[10] *inuocandos esse docet Romana Ecclesia, vt pro nobis apud Deum in cælis intercedant:* sacerdotes autem pro nobis intercessores esse putat in terris. hoc autem in *Parmeniano* reprehendit *Augustinus*: illud omnes passim Patres. *homines vtuntur Atriensibus*, inquit [11] *Chrysostomus, in Deo nihil est tale, sine Mediatore exorabilis est.* & [12] rursus: *nihil*, inquit, *tibi opus est patronis apud Deum. neque enim tam facile Deus exaudit, si alij pro nobis orent, quàm si ipsi oremus, licet pleni simus omnibus malis. isti*, inquit[13] *Ambrosius, se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino, conseruos adorant. nam & ideò ad Reges per tribunos & comites itur, quia homo vtique est Rex, & nescit quibus debeat Rempublicam credere. ad Deum autem quem nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum suffragatore non est opus, sed mente deuota. vbicunque enim talis locutus fuerit, respondebit ei. non conuenit*, inquit [14] *Epiphanius, colere Sanctos vltra decorum*, sed *honorare ipsorum Dominum. cesset itaque error seductorum. neque enim Deus est Maria*,

[9] Rom. c. 5. serm. 10.
[10] Censur. Colon. f. 229.
[11] De pœnitent. hom. 4.
[12] Chrysost. de profect. Euangelij.
[13] In Epist. ad Rom. c. 1.
[14] Epiphan. lib. 3. tom. 3. cont. Antidicomar.

[1] In 1.epist.Ioh. tractat.1.& contra epist.Parmeniani lib.2.c.8. *neque de cælo corpus habet.* negat *Hieronymus seruiendum creaturæ.* [1] *Augustinus, Christum vnicum dicit esse Aduocatum; omnésque in hoc* consentiunt, vnum Deum adeundum esse per Christum. *qui creaturam adorat,* inquit [2] *Gregorius Nyzzenus, etsi in nomine Christi id faciat, tamen simulachrorum cultor est Christi nomen simulachro imponens.*

[2] In orat.funebr. Placillæ.

Imagines tamen *eodem honore, quo prototypum prosequendas dicit Thomas Aquinas.* Imagines *Christi, Mariæ, & aliorum sanctorum in Templis habendas, & auro & argento honorandas* affirmant [3] *Tridentini Patres.* passim verò Angelos, & sanctorum reliquias venerantur. quid autem Patres? *nec simulachra, nec Angelos adorandos,* docet [4] *Remigius. nos,* inquit [5] *Hieronymus, non dico Martyrum reliquias, sed nec Solem quidem, & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, &c. colimus, & adoramus: ne seruiamus creaturæ potiùs quàm creatori.* imagines, sanctorúmque reliquias, earúmque cultum Synodus [6] *Elibertina,* & *Constantinopolitana,* etiam & *Francofurtiana* damnauit. [7] *Epiphanius* imaginem quandam in Templo quodam depictam cernens deripuit, & *contra religionem esse, vt huiusmodi in Templis appenderentur vela,* dixit. imagines quidem in Templis haberi permisit *Gregorius* primus, adorationem tamen earundem nunquam probauit: imò in [8] literis quibusdam damnauit. [9] *Lactantius nullam dicit esse religionem, vbi est simulachrum.* quæ igitur potest esse in Ecclesia Romana religio, vbi omnia referta sunt simulachris? vbi inquam gloriam Dei incorruptibilis, corruptibilibus creaturis communicarunt?

[3] Sess.9.
[4] In Psal.96.
[5] Ad Riparium presbyt.& aduers. Vigilant.
[6] Can.36.
[7] In Epist.ad Iohan.Hierosol.
[8] Lib.9.epist.9. ad Seren.Massyl.
[9] Lib.2.Instit. c.19.

In Missæ etiam sacrificio toto cælo à Patrum sententia aberrarunt, non hunc quem nunc habent Canonem, non doctrinam, non vsum olim etiam habuerunt, non sacrificabant olim pro mortuis; non distinxerunt illi more Pontificio sacrificium à sacramento. nihil denique eorum ferè quæ in toto apparatu Missæ nunc requiruntur, olim in vsu erat. quàm autem Pontificiorum à Patribus in sacrificij argumento dissideat sententia, suo loco productis Patrum testimonijs ostendemus.

Mutilationem Cœnæ Dominicæ, seu Communionem sub vnica tantùm specie, sacerdotísque solius oblationem, quam Missam vocant, prorsus ignorarunt Patres. plerique etiam contrà quàm nunc fit apud Pontificios communicandum sacramentis senserunt. [10] *quicunque ex sacerdotali Catalogo facta oblatione olim non communicauit, eum Canones Ecclesiæ prisci ex Ecclesia eijciendum decreuerunt,* nunc contrà, non modò impunè habent qui non communicant, sed si maximè cupiant, illis tamen non licet. *Dionysius* quoscumque præsentes in oblatione participes docet olim factos esse & panis & calicis. [illegible], [11] inquit ille, [illegible]

[10] Can.9.
[11] Eccles.Hierarch.c.3.

[illegible] huic adstipulatur & *Iustinus*[1] *Martyr*, singulis enim in sacramentorum celebratione præsentibus diaconos & panem & vinum diuidere solitos testatur.[2] *Vnus panis*, inquit *Ignatius*, *pro omnibus fractus est*, *& vnus panis* omnibus diuidebatur. etiam ex Liturgijs quæ vulgò ascribuntur *Basilio*, & *Chrysostomo* constat, omnes præsentes de pane edisse, & de vino bibisse. in canone enim habetur, *vt peractis certis precibus cõmunicent omnes mysterijs*. Diaconos in missa quam *Iacobo* tribuũt discos, & calices ad impertiendũ populo tollere solitos verba ostendunt. [3] ex *Abdia* etiam fabulis constat, omnem ecclesiam antiquitus sacramentum sumere solitam, cur igitur sacerdos aut omnia deglutiat solus, aut summus pontifex, noui testamenti alterum signum populo adimat?

Transubstantiatio contra veteris ecclesiæ morem non ita pridem suscepta est. eam enim *Innocentius* tertius primùm [4] decreto suo stabiliuit. *Petri Lombardi* temporibus licèt tunc magna ecclesiam inuasisset barbaries & fœditas, tamen ignotũ erat transubstantiationis mysterium. veteres statuunt Christum verum habere corpus: quod transubstantiationis eneruat commentum. *Cauendum est*, inquit [5] *Augustinus*, *ne ita diuinitatem astruamus, vt veritatem corporis auferamus.* Loquitur ille de Christi corpore, quod negat vbique esse diffusum. [6] idémque sublatis spatijs locorum dicit ipsam corporis naturam interire. *Hieronymus in natura* [7] *carnis dicit Christum ad dextram Dei patris sedere.* [8] *Damascenus* vtrámque in Christo naturam dicit seruare naturalem proprietatem. quod & [9] *Chalcedonense* etiam statuit concilium. *Diuinitas etiam ipsa*, inquit [10] *Cyrillus*, *si corpus esset, omnino in loco esset, & magnitudine, & quantitate.* &, *si caderet in eam quantitas, non effugeret circumscriptionem.* quomodò igitur Christi corpus posset simul esse in locis trecentis, & accidentia manere extra subiectum, & supplere loca signorum cum nihil habeant accidentia rebus significatis simile, ne per transennam quidem viderunt vnquam prisci patres.

Preces publicæ antiquitus in lingua vernacula recitabantur. vt in lingua ignota quasi conclusæ tenerentur, non modò nouum, sed etiam iniquum erat. quid enim vtilitatis capiunt, aut ex lingua Græca enuntiatis mysterijs Italicè tantum periti, aut Græci ex lingua Italica, aut Hebræa quam non intelligunt? *Vt preces alta voce recitarentur decreuit* [11] *imperator*, quod quidem frustra fieret, nisi populus linguam illam in qua preces conceptæ erant, intelligeret. [12] *Ephrem Syrus* hymnos, & Psalmos composuit in lingua Syra, *Psalmósq; in funere Paulæ in lingua Syra personasse* dicit [13] *Hieronymus*. vnâ fudisse *preces & sacerdotem, & populum testantur* [14] *Basilius*

[1] In apolog. 2.
[2] Ad Philadelph.
[3] In vita Thomæ & Matth.
[4] c. firmiter de summa trinit. & fide catholic.
[5] Ad dardan. epist. 57.
[6] Ibidem.
[7] In Symbol. Damasi.
[8] De orthodox. fid. lib. 3.
[9] Damascen. ibid. & Euagr.
[10] Dialog. de trinit. lib. 2.
[11] Authentic. 123.
[12] Theodoret. lib. 4, c. 29.
[13] In Epitaph. Paulæ.
[14] Hexamer. 4.

1 2.cor.hom.18.
2 In 2.proœm. ad Galat.
3 In locis communib.
4 Lib.4.c.1.
5 In 1.Cor.14.
6 Ibidem.
7 Contr.Celsum lib.8.
8 Lib.7.
9 In 1.Cor.14.
10 De doctrin. Christ.lib.3.c.9.
11 Lib.2. epist.1. ad Stephan.

lius,[1] *Chrysostomus*,&[2] *Hieronymus*. qui autem hoc non insulsè potuere qui linguam in precibus vsitatam non intelligebant? Linguam vulgarem in prima ecclesia in publicis precibus vsitatam fuisse fatentur[3] *Eckius*,[4] *Durandus*,[5] *Lyra*, & *Thomas*[6] *Aquinas*. idem constat ex[7] *Origenis*,[8] *Clementis*,[9] *Ambrosij*,& aliorum etiam patrum scriptis. quis igitur non multùm à veterum moribus pontificios digressos fateatur?

Sacramenta tantum duo amplectuntur patres; baptismum nempe, & cœnam dominicam. *Quædam* inquit[10] *Augustinus,pauca pro multis,eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima ipse dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicut est baptismi sacramentum,& celebratio corporis & sanguinis domini. tunc demum etiam*, inquit[11] *Cyprianus,planè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si vtróque sacramento nascantur. sunt sacramenta Christi in ecclesia catholica baptismus,& corpus,& sanguis Domini*,vt ait[12] *Paschasius*. *duo tantùm sacramenta in euangelijs manifestè tradita esse* testis est contra ecclesiam Rom. ecclesiæ Romanæ cardinalis[13] *Bessarion*. huic etiam sententiæ de duorum sacramentorum numero subscribunt[14] *Iustinus*,[15] *Tertullianus*,[16] *Ambrosius*,[17] *Cyrillus*, & omnes veteres. cur,qui hunc cum priscæ ecclesiæ patribus consensum tantopere iactat *Bellarminus*, non aliquos vicissim de septem suis sacramentis testes citat? aut cum non possit; cur ille tantopere suæ ecclesiæ cum omni antiquitate consensum iactet?

12 De cœna dom.
13 De sacrament. eucharist.
14 Apolog.2.
15 2.& 4.aduers. Marcy.
16 De sacramentis.
17 In mystagog.

Scholasticos doctores à mente,& ratione *Augustini* in multis dissidere, author est[18] *Ludouicus Vives*; reiq; euidentia satis testatur. nihil enim magis pugnat quam *schola*,& *Augustinus*. à patribus verò plurimũ discesserunt conuenticuli *Tridentini* patres. In articulis christianæ religionis de Christi officio, satisfactione, trãsubstantiatione, fide & operibus, lege & euangelio,& vniuersis scripturis quantum ab illo,& reliquis patribus pontificij discesserint, hæreses multiplices & falsæ doctrinæ quas illos amplexos esse probauimus, demonstrant. *Augustini* sententiam de originali peccato,vt falsam & incertam reijcit[19] *Pighius*,reliqui oppugnant.& *Augustinum*, & *Theodoretum* malè accipiunt, quod[20] figuram corporis dominici in sacramento cœnæ traditam dicant.

18 In præfat. in Augustin.de ciuitate Dei.
19 In controuers.1.
20 Aduers.Adimant.c.12.

Primatum pontificis Rom. quo fundamento nititur vniuersa propè pseudoecclesiæ huius fides, nullus probare potest, nisi & conciliorum infinitos canones,& patrum scripta repudiet. Romanum pontificem cum *Alexandrino*,& *Antiocheno* episcopo parem faciunt canones *Niceni*; pariáque ijs iura tribuunt,& communi societatis vinculo coniungunt, quod nec *Æneas Syluius* diffitetur, qui huius concilij temporibus nõ adeò magnum Romanæ ecclesiæ respectum habitum agnoscit. *Victoris* impetum

in Asiaticas ecclesias sedauit *Irenaus*: illæ hominis stolidi contempserunt arrogantiam. pares sibi cum Rom. episcopo in ecclesiæ administratione partes vendicarunt Patriarchæ Constantinopolitani; Synodúsq; & Constantinopolitana & Chalcedonensis, multum licet repugnante Rom. pontificis legatis paria iura ipsi detulit. *Hieronymus* vel *Eugubinum* episcopũ Rom. pontifici æqualem facit. quod miror *Bozium Eugubinum* noctuinis suis oculis non vidisse. nam si quando ipsi contigerit suæ ciuitatis episcopatus, poterat ille pares cum Rom. pontifice partes vendicare, nomen vniuersalis episcopi, non modò non probauit *Gregorius*, sed acerrimè eius qui illud sibi nomen arrogauit superbiam retudit. nascenti huic Rom. ecclesiæ in alias tyrannidi [1] Carthaginensis Synodi patres, se opposuerunt, primatúmq; pontificis, & nomen summi sacerdotis decreto suo sustulerunt. ista breuiter percurrimus, rem enim prius attigimus.

[1] c. primæ sedis dist. 90. & concil. Carthag. 3. c. 26.

Nuptias castitatem esse, nec prohiberi Episcopos, & reliquos verbi ministros honorabili coniugio copulari, docent Patres.[2] *Petrus* post apostolatum, *Philippus* post Euangelistæ munus susceptum, vtrique liberos genuerunt. filiarum *Philippi* meminerunt sacræ literæ. *vt Petrus*, inquit[3] *Augustinus, primatum acciperet inter discipulos, non ei obstitit generatio filiorum.* idémque Apostoli testimonio probat qui vxorem habet, Episcopum fieri posse. *Petrum* & *Paulum* habuisse vxores, testis est [4] *Ignatius. adeò pretiosa res est matrimonium*, inquit[5] *Theophilactus, vt possit quis cum eo ad sanctum thronum, Episcopalémque sedem ascendere.* suo tempore plurimos sacerdotes habuisse vxores, testatur [6] *Hieronymus.* plurimos Episcopos Rom. ex auctoribus fide dignis constat patribus Episcopis, & presbyteris in honorabili coniugio natos. in ijs numerantur *Syluerius, Deusdedit, Adrianus 2, Theodorus*, aliíq; complures. *Polycrates* 7 ex suis maioribus Episcopos fuisse dicit. in Oriente enim antiquitùs non lege coacti, sed sponte nonnulli inducti, quia ita maximè conducere putarunt, à matrimonio abstinuerũt, *Græcorum* sacerdotes etiam nunc matrimonio vtuntur. *Cælibatus* legi in *Nicena* Synodo, vt aiunt, intempestiuè propositæ fortiter restitit *Paphnutius*, Synodus[7] sexta deponendos eos decernit, *qui legitima presbyterorum dirimunt matrimonia.* excommunicant Canones[8] Apostolorum sacerdotes, *qui obtentu religionis vxores deserunt*, contrà verò Rom. Pontifices non tantùm à sacerdotio arcent coniugatos, sed etiam ab ijs qui cælibes sunt iusiurandum, aut saltem votum exigunt, se vxores non ducturos. tandémque, licèt multùm repugnante Ecclesia *Anglicana, Germanica*, & *Gallica*, obtinuerunt, vt vxorati è ministerio Ecclesiæ pellerentur. ijdémq; puerorũ[9] fœdos in Ecclesiam amores, &[10] concubinatũ, & promiscuarũ libidinum turpitudinem induxerunt, prorsus contra sententiam & mores patrũ.

[2] Clement. Alexan. stromat. 7

[3] In question. vtriusque testamenti.

[4] Ad Philadelp.

[5] In Tit. c. 1.

[6] Lib. 1. aduers. Iouinian.

[7] Can. 12. & 3.

[8] Can. 6.

[9] Huldric. Augustan. epist.

[10] Theodoric. Niem. in Labyrinth. lib. 6.

Ne

Ne ipse quidem *Bellarminus*, si quid contra rem suam loquantur, multi facit patres, nullúsque adeò minutus est apud istos Sophista, qui non minimam Pontificis Rom. voluntatem, vel vnanimi patrum consensui anteponat. adeò vt licèt verbo dicantur patres, tamen si quid contra causam superstitionis Romanæ testificentur, eos tanquam minores à testimonio dicendo isti illos repellant, nonnulli vt patricidæ nuper patres istos truncarunt, mutilarunt, & indignis modis lacerarunt.

Cùm itaq; noua habeat Ecclesia Rom. fidei fundamenta, & noua dogmata, & sacramenta etiam noua, & nouam Ecclesiæ administrandæ rationem, non sine impudentiæ aliqua nota *Bellarminus* consentire dixit suos Pontifices cum priscæ Ecclesiæ patribus: nec vel mediocri prudentia vsus videtur, cùm consensum cum veteri Ecclesia notam fecit Ecclesiæ, nam præter superiores nouitates habent isti complures nouas Monachorum familias & sectas, & ex Epicuri hara nouas sodalitates: coniuratorúmque aduersus principes & leges nouas copias. has sectas illi non malè religiones vocant. ex eo enim constat, cùm istæ vt plurimùm nouæ sunt, pleráque in religione Romanæ Ecclesiæ esse etiam noua. harum sodalitatum mores sunt spurci, sententiæ pleræque nouæ, & blasphemæ. *Franciscum* enim suum *Franciscani* non dubitant cum [1] Christo comparare, noménque illud augustum Iesu suo *Francisco* tribuunt. appellant enim Iesum typicum, & stigmatizatum. & ne hæc de *Francisci* stigmatibus commenta, nugas putemus, hæc summi nonnulli Pontifices, inter reliquos *Nicolaus 3*, & *Benedictus 12*, bullis editis confirmarunt. [2] *Dominicum* illos non pudet in miraculorum operatione Christo ipsi anteferre. noua sanè de illo, & reliquis suis sanctis narrant Ecclesiæ Romanæ legendæ. quare si ex veterum scriptis religio æstimanda fuerit, actum est de Ecclesia Romana, noua est enim vniuersa eius, quam nos ex nostris Ecclesijs purgauimus superstitio.

1 Lib. conformit. Francisc.

2 In hist. Antonini.

Nec quicquam attulit *Bellarminus*, vt antiquam fuisse credamus. nam vt fassus fuerit *Caluinus* nomen liberi arbitrij apud *Latinos*, vocabulúmq; αὐτεξούσιον apud *Græcos* patres reperiri: doctrinam tamen Pontificiam de libero arbitrio fuisse patribus cognitam, nec fatetur ille, nec verum est. liberum arbitrium [3] isti definiunt esse *facultatem applicandi se ad gratiam.* [4] *hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere super omnia, dicit Biel.* quod licèt vires hominis lapsu prostrati valdè augeat, nihil tamen est ad reliquorum de liberi arbitrij viribus sententiam, *hominem in peccato mortali existentem* [5] *putat Tapperus posse Deum diligere, metuere, credere in Christum, & confiteri quoad substantiam actuum. Philosophos ex diuina prouidentia consideratione non planè ignorasse Christum*, auctor est [6] *Andradius* ille

3 Lombard. lib. 2. dist. 24.
4 3. sentent. dist. 27.
5 De libero arbitr.
6 Lib. 3.

Concilij

concilij *Tridentini* non malus interpres. *Liberum arbitrium quoad res spirituales* (nam de ijs controuersia est) *non planè extinctum, sed tantum attenuatum, & inclinatum dicunt* [*] *doctores Tridentini. solis naturæ viribus sine gratia, & auxilio spiritus sancti* credit [1] *Andradius, posse homines præstare opera placentia Deo. naturalia in homine post lapsum mansisse integra communiter tenent* [2] *scholastici. mentémque humanam* docet [3] Rom. ecclesia *multa intelligere quæ ad rerum diuinarum cognitionem pertinent. asserunt* [4] *omnes hominem ante regenerationem de congruo posse mereri gratiæ infusionem;* [5] *animam autem gratia informatam per actum à voluntate simul, & gratia elicitum posse mereri æternam vitam dicunt. initium fidei à nobis docet esse* [6] *Biel. Hominem Sotus,* [7] *posse plus præstare putat, quàm quantum lex à nobis flagitet.* operáque supererogationis communi horum sententia defensa, hæc à pontificijs vulgò defendi docent. [8] *perseuerantiam ijdem & libero arbitrio, & gratiæ simul acceptam ferunt.* hanc autem veneno *Pelagianismi* illitam doctrinam omnes patres prisci ignorarunt, nec illi merita congrui, aut condigni, nec opera supererogationis, aut perfectionis, nec has liberi arbitrij vires, nec gloriæ diuinæ obscurationem aut nouerunt, aut tulerunt: imò contrariam nobis sententiam scriptis suis proposuerunt. *naturam nostram* [9] *Arnobius nullarum esse viriũ, eámque à suis affectionibus in omni cõtentione superari, affirmat. quis,* inquit [10] *Hilarius, relictus est nobis gloriandi locus recordantibus omnia ex Deo esse? ex Deo esse, vt homo viam Dei eligat, & surgat à lapsu dicit &* [11] *Ambrosius.* omnem omnino tollit [12] *Augustinus* ad benè operandum homini ex se libertatem. *Ista,* inquit ille, *libertas ad benefaciendum nunquam erit homini addicto, & vendito sub peccato, nisi eum redimat qui dicit, si filius hominis vos liberauerit: quod antequam fieri in homine incipiat, quomodò quisquam de libero arbitrio gloriatur, qui non est liber ad operandum benè?* [13] *Maxentius liberum arbitrium nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, quæ ad æternam vitam pertinent, dicit. Libero arbitrio,* inquit [14] *Augustinus, male vtens homo, & se perdidit & ipsum. omne bonum attribuendum Deo, non libero arbitrio docet* [15] *Bernardus. Liberum arbitrium,* inquit [16] *Hieronymus, Dei nititur auxilio, illiúsque per singula ope indiget. hominem verò non ex benefactis, nec laboribus, nec pensatione, sed ex sola gratia iustificari censuit* [17] *Chrysostomus.* nec *Gregorius* quidem episcopus Rom. cum illis sensit. *omne enim meritum virtutis nostræ vitium esse si districte iudicetur* [18] *existimauit. cunctorum in carne iustorum imperfectam esse perfectionem dicit* [19] *Hieronymus. Uæ,* inquit [20] *Augustinus, vitæ quantumlibet laudabili, si remota misericordia iudicetur.* & vt intelligatis pontificios cum Pelagianis sentire, [21] *Augustinus* pontificiorũ in Pelagianis damnat hæresim: *nullus,* inquit ille, *dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum*

[*] Sess.6.c.1.
[1] Lib.3.
[2] Thom.1.2.q.85.& Biel lib.2.dist.20.dub.2.
[3] Catechis. Rom.in exord.
[4] Biel lib.2.dist.27.dub.4.& Eckius de liber. arb.
[5] Biel lib.2.dist.27.q.1.& Eckius de lib.arbitr.
[6] Iidem ibidem.
[7] In assert.cathol.de lege.
[8] Enchirid.de lib.arbitr.
[9] Lib.2.contr. gent.
[10] In Psal.123.
[11] Lib.1.de vocat.gentium.
[12] In enchirid.
[13] Lib contr. Pelag.
[14] In enchirid. c.29.
[15] De liber. arb.
[16] Aduers.Pelag.
[17] In orat.4. contr.Iudæos.
[18] Super Iob, lib.9.
[19] Con.Pelag. lib.1.
[20] Confess.9.
[21] August.ad Valent.epist.46.

tionum suarum, vel meritis fidei sua traditam Dei gratiam, vt putetur verum quod hæretici illi dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod est falsissimum. at hoc pontificij & putant, & dicunt. sunt ergo hæretici. at inquit *Bellar. Caluinus* à vocabulo liberi arbitrij abstinuit. quod nec verum est: nec si ille abstinuisset, quicquam contra nos facit, qui vocabulo, modò res rectè intelligatur, non offendimur. nec si ille à patribus in hac de libero arbitrio controuersia prouocauit, aut si alij à patribus in aliquo doctrinæ articulo discesserunt, propterea sequitur pontificiæ causæ patronos esse patres. ipsi enim pontificij, & in hoc de libero arbitrio negotio, & in alijs compluribus longiùs quàm nos ab illis discesserunt.

Nec causa est cur patrum authoritate in controuersijs de concupiscentia, satisfactione pro peccatis, aut alijs quibusuis doctrinæ articulis contra nos pugnent. nam multò propiùs nos quàm illi ad patrum in his rebus sententiam accedimus. *concupiscentiam ante baptismum fuisse & pœnam, & culpam; sed post baptismum esse tantum pœnam dicit* [1] *Lombardus.* huius sententiam amplectuntur & Tridentini doctores, [2] *totum enim quod in concupiscentia, peccati habet rationem tolli, non modo abradi asserunt.* [3] *Ruardus Tapperus peccatum originale dicit, non esse propriè peccatum.* quasi æterno supplicio mancipentur aliqui propter illud quod non est propriè peccatum, huic astipulatur *Andradius. Peccatum enim originale & sine culpa suscipi, & non indigere pœnitentia docet.* contrà autem Apostolus [4] concupiscentiam legi aduersari docet, & peccatum originis ab *Adamo* in nos transfusum ita fuisse magnũ, vt non nisi Christi sanguine expiari potuerit. [5] *Augustinus peccatum definit non tantum dictum, vel factum, sed etiã concupitum aduersus legem Dei.* Peccatum etiam [6] *Oecumenius, dicit esse delapsum à bono, & iniquitatem, legis positæ esse violationem:* adeò vt si concupiscentia sit contra legem, peccatum etiam sit & propriè necesse est. nec bonos quidẽ eximit [7] *Augustinus* à concupiscentijs malis. nam contra eas inuictissimè illis dimicandum est. [8] *Hieronymus vel cogitasse malum* dicit esse peccatum, non modò concupiuisse malum. etiam *ex suggestione prima* peccari docet [9] *Isidorus.* cum his etiã coniungendus est [10] *Gregorius*, quoniã in eadẽ cum illis sententia coniungitur. vltimam nostrarum copiarum aciem claudent *Bernardus* & *Augustinus:* quorum ille peccatum concupiscentię maximũ esse [11] fatetur, & *velut radicem multorum malorum: Augustinus* verò contrà quàm *Lombardus* concupiscentiam in renatis & pœnam esse dicit peccati, & culpã. *Concupiscentia carnis,* [12] inquit ille, *aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati.* non igitur nos, qui hæc patrum dogmata amplectimur, sed pontificij, quorum cum illis pugnat sententia, à patribus dissentiunt. [13] *Pighini* disertè *Augustini* de peccato originali

1 Lib. 2. dist. 32.
2 Sess. 5. c. 5.
3 De liber. arbitr.
4 ad Rom. 5. 7.
5 Contr. Faust. Manich. 22. c. 27.
6 In epist. 1. Ioh. c. 3.
7 Contr. Iulian. lib. 4. c. 3.
8 Lib. 1. super Amos.
9 Lib. 2. c. 19. de sum bono.
10 Lib. 11. moral.
11 De concupiscent.
12 Contr. Iulian. lib. 5. c. 3.
13 Controuers. 1

originali sententiam vt dictum est, confutandam in se suscepit.

[a] De Limbo etsi non omnia patrum omnium dogmata probemus, tamen non propterea sequitur, pontificios cum patribus idem sentire, nam nec patres ante Christum putarunt veteres apud inferos detineri, sed in sinu Abrahæ: nec limbum alium patrum, alium infantum, alium purgatorij crediderunt, nec quicquam putarunt habere pontifices Rom. quod ibi agerent, at de his omnibus tanquam de aris & focis, imò etiam, vt de ollis & scutris dimicant.

[a] Augustin. epist. 99.

A pontificiorum in satisfactionis, & inuocationis mortuorum, & cœlibatus, & missæ sacrificij doctrina longissimè, vt iam anteà docuimus, abhorrent patres. nunquam enim illi aut lachrymis, aut votis, aut peregrinationibus, aut corporis afflictionibus hominum peccata purgari, aut deleri coram Dei tribunali, nec vnum pro alio satisfacere posse, nec culpa sublata manere pœnam: nec post hanc vitam in purgatorio igne pro peccatis satisfieri, nec pœnas æternas in tẽporales cõuerti, nec purgatorium esse de foro pontificis Rom, crediderunt. quod tamen isti & credũt, & defendunt.

Nunquam patres ignota lingua in precibus vsi sunt: nec preces ad *Mariam* & sanctos defunctos dixerunt: nec eos missis & sacrificijs coluerunt: nunquam deniq; aut peccatorum ab hominibus defunctis remissionem, aut gratiæ augmentum, aut corporis, aut externa bona petierunt.

Et licet multi eorum cœlibes essent, nunquam tamen aut solos cœlibes ad sacerdotij dignitatem admittendos, aut cœlibatum voto astringẽdum censuerunt, aut nuptias docuerunt esse impuras & pollutas. hæc enim recentia sunt Romanorum pontificum & impia placita.

Præterea nec communionem in priuatam sacrifici vnius actionẽ conuerterunt, nec populo calicẽ abstulerunt, nec missam docuerunt esse sacrificium pro viuis & defunctis? nec missæ canonem, aut apparatum, qui nũc apud põtificios obtinet, nouerunt. de purgatorio legendicas pontificiorum nęnias nunquã audiuerũt, nec illi ex inferno post mortẽ, nec ex purgatorio missæ suffragijs quenquã liberari crediderunt, nedũ docuerũt. nihil est igitur quod patrũ authoritate se põtificias indulgẽtias probaturos confidant.

Probarunt quidem quadragesimæ ieiunia & alias corporis castigationes ex patribus nonnulli: sed nec Deum ieiunijs, aut afflictionibus illis placari, nec certos ieiuniorum præscripserunt dies, nec quadragesimam ad Christi imitationem lege seruandam mandarunt: nec à carnibus abstinentia ieiunia definiuerunt. has ieiuniorum leges à [a] *Montano* potiùs, quàm à sanctis patribus habuisse videntur. Patres nusquam aliquid certi definiuerunt. *quibus diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini*, inquit *Augustinus, non inuenio definitum*.

[a] Euseb. lib. 5. c. 18.

[1] Lib. de ieiuno.
[2] In Math. hom. 47.
[3] Lib. 5. c. 26.
[4] Ad Philippen.
[5] Contr. Faust. lib. 30. 5.
[6] Lib. 5. c. 38.
[7] Lib. 5. c. 22.
[8] Ad Eustochium, & in epitaph. Paul.
[9] Concil. 1. de ieiuno.
[10] Concil. 13.
[11] Paralip. Vrsperg.
[12] Lib. 10. ep. 83
[13] In epist. ad Eustoch.
[14] Augustin. de morib. Manich. lib. 2. c. 15.

Ieiunandum dicit[1] *Tertullianus ex arbitrio, non ex imperio.* Christus, inquit[2] *Chrysostomus, non iubet ieiunium suum imitari. quosdam ieiunasse vnum diem, quosdam duos, vel plures, quosdam 40 horas diurnas,* & nocturnas narrat[3] *Eusebius.*[4] *Ignatius nec diebus dominicis, nec Sabbatis* ieiunandum censuit; qui ijs diebus ieiunant, eos Domini interfectores vocat: quod pontificij tamen faciunt. diei Sabbati ieiunium plerique in honorem virginis Mariæ apud istos celebrant. per quadragesimam[5] *Augustinus* abstinendum quidem putat à carnibus & fructibus: sed *quantò magis vel minus quisque voluerit, seu potuerit.*[6] *Cassiodorus* ostendit, *liberum fuisse quibus cibis quisq; in ieiunijs vti vellet:* quosdámq; per ieiuniorũ dies auibus narrat vesci solitos, cum isto consentit &[7] *Socrates: quosdam enim Christianos & sanctos viros tempore quadragesimali pisces & aues comedisse dicit,* ieiunia nõ abstinentia à carnibus, sed ab omnibus æqualiter cibis antiquitùs definiebantur. *tempore ieiuniorum nec pisces, nec mel, nec vinum Christianos gustasse author est*[8] *Hieronymus, coquos & promos illo tempore cessasse* dicit[9] *Basilius, eos qui esum carnis, & auium prohibent, condemnat concilium*[10] *Toletanum.* quemadmodum *Ignatius*, sic &[11] *Melchiades* vetuit diei dominici, & feriæ quintæ ieiunia,[12] *Ambrosius* etiam interdixit suis *ieiunium diei dominici.* Præterea licèt te quantumuis ieiunijs maceraueris: *fide tamen tantùm, non ieiunijs iustitiam obtineri dicit Augustinus:* verúmque *sabbatum relaxatione potiùs, quam ieiunio significari.* contrarij autẽ apud pontificios obtinuerunt mores. nam nisi statutis diebus ieiunaueris, nihil agis: & si tempore ieiuniorum carnes comederis, fraudem capitalem incurris. Sin verò piscibus te saturaueris, aut vino te ingurgitaueris per vniuersam quadragesimam; præclarè tamen his ieiunasse videberis. quod igitur de monachis dicit[13] *Hieronymus, eos suis festis saturari ad vomitum,* in istos quadrat, qui per sua ieiunia lautissimè viuunt. currunt, inquit *Bromiardus, velòciùs ad coquinam, quàm ad missam, plúsque respiciunt piscem assum, quàm Christum passum.* huiusmodi etiam olim fuerunt *Manichæorum* ieiunia, qui *licèt à carnibus abstinerent; delicatissimis tamen*[14] *vtebantur fructibus, & cibis aromaticis.* videant igitur æqui rerum æstimatores, vtrum nos, an illi a patrum longiùs discesserimus ieiunijs.

In doctrina autem de baptismo longissimè à patrum discesserunt isti vestigijs. nam nec ex opere operato conferre gratiam baptismum, nec prodesse tantum ad anteriorum peccatorum delendas pœnas; nec aliud fuisse baptisma Apostolorum, & *Iohannis*, si materiam, & vsum vtriusq; respexeris, senserunt. omnis præterea baptismi apparatus in cereis, saliua, sale, veste candida, & campanula illis incognitus erat. nec denique vnquam adeò insani erant, vt campanas baptizarent, aut signo baptismi ad

rerum

rerum inanimatarum consecrationem abuterentur. at inquit *Bellarminus*, *Laicorum baptismum in articulo necessitatis probarunt veteres, quod vos vt illicitum abrogastis*. qua in re nec verum dicit, nec quod cupit efficit. nam nec verum est, omnes nos tanquam rem nefariam baptismum Laicorum abominari, nec si quidam faciant, propterea sequitur cum Pontificijs patres consentire, hoc enim minimum est ex multis dogma: Pontificij autem in multis & grauissimis rebus à patrum de baptismo sententia discrepant.

Profert denique *Bellarminus* nostrorum hominum contra nos testimonium, & quia nonnulli ex nostris in articulo iustificationis maiorem in patribus desiderant aut perspicuitatem aut diligentiam, idcirco cum Pontificijs in illo articulo sentire patres concludit. quasi verò quæcunque non satis dilucidè exposita essent, ea omnia pro istis facerent, qua argumentatione nihil cogitari potest insulsius. nam vt non clarè, & perspicuè docuerint patres quę ad iustificationis argumentum enucleandum faciunt: nihil tamen magis pugnat quàm Pontificiorum, & Patrum ea in re sententia, nostri fortasse in aliqua circumstantia: illi toto argumento & ex diametro pugnant cum patribus. nunquam enim patres inter fidem, & opera iustitiam qua coram Deo iusti sumus, partiti sunt. nec istorum more loquuti sunt, qui dicunt,[1] *charitatem in nobis inhærentem esse formam fidei, & iustificari nos charitate formaliter*. nec vt[2] isti, *dixerunt vitam æternam operibus nostris vt debitum præmium donari*. quod isti[3] docent, nempè *remissionem peccatorum haberi per tria, scilicet per tribulationes cum patientia, per humiliationem, & per labores*; nunquam illis in mentem venit. nec vnquam negarunt quod isti[4] faciunt, per *Christum nos formaliter iustos esse*. aut dixerunt, quod isti[5] dicunt; nempè *iustificare, esse iustitiam infundere*. nec per legem sed per fidem iustitiam quæsiuerunt. *Gratia* inquit [6] *Cyrillus, iustificat, mandata vero legis magis condemnant. in eo, quod nihil mihi conscius sum, iustificatum me* (inquit[7] *Gregorius*) *abnego, quia ab eo qui me iudicat examinari me subtilius scio*. adeóque hanc charitatis formalitatem quam vocant, ignorauit[8] *Chrysostomus*, vt *hominem quamprimùm crediderit, simul iustificatum dicat*. ne cogitemus aliquod meritum congrui patribus cognitum fuisse, dicit[9] *Prosper, hominem iustificatum nullo præcedente merito accipere donum*, hominem [10] *Augustinus* iustificari docet *per remissionem tantùm peccatorum, mouet*, inquit[11] *Hilarius, scribas ab homine remissum peccatum quod lex laxare non poterat. fides enim sola iustificat. veram iustitiam in Christo constituit*[12] *Basilius*. gratiam autem definit[13] *Augustinus, esse eam quæ gratis datur non meritis operantis, sed miseratione donantis, in iustificatione ab homine solam fidem exigit*

[1] Trident. concil. sess. 6. c. 7.
[2] Censur. Colon. p. 144.
[3] Thomas Aqui. præf. 14. c. 10. dimittere. & Catechis. Iesuitic.
[4] Concil. Trident. sess. 6. c. 10.
[5] Andrad. lib. 6. p. 452.
[6] In 6. cap. Iohan.
[7] In 3. c. Iob. lib. 5. c. 8.
[8] In 3. cap. ad Rom. ser. 7.
[9] c. 1. ad obiect. Gallor.
[10] In Psal. 31.
[11] Hilar. in 9. cap. Math.
[12] Lib. de diuin. Instit.
[13] De grat. noui Testament. c. 19.

[1] In epist. ad Rom.
[2] Aduers. Pelag.
[3] In c. 1. ad Rom.
[4] In cap. 10. ad Rom.
[5] In epist. ad Rom.

igit [1] *Theodoretus*. *iustitia*, inquit [2] *Hieronymus, non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia*. in eadem sententia nobiscum aduersus Pontificios consentiunt [3] *Theophilactus*, [4] *Oecumenius*, [5] *Ambrosius*, & omnes Patres. Quare si in his rebus, in quibus maximè secundos se putat *Bellarminus*, habere Patres, nihil sit Pontificijs in Patribus præsidij: quid ille speret eos in primatu Pontificis, & indulgentijs Papalibus, eiúsque infinita non in terris tantùm, sed apud inferos etiam potestate, in Missæ sacrificio, in transubstantiatione, in Cœnæ Dominicæ mutilatione, in sacramentorum adoratione, in cultu imaginum, in simulachris Dei Patris, & Trinitatis confingendis, in Missæ infinito apparatu, & partibus, in votis, in linguæ ignotæ publico coram populo vsu, in sacramentorum numero, in ordinibus Ecclesiasticis & infinitis cæremonijs: quid est inquam cur ille aut in his, aut in reliquis speret Patres causæ Pontificiæ futuros secundos, & propitios? falsum itaque sumit *Bellarminus*, vbi dicit nonnullos ex nostris fateri Patres cum Pontificijs sentire. nam vt non in omnibus rectè sentiant: non tamen eandem cum Pontificijs continuò defendunt sententiam. præterea etsi in vno, aut altero cum Pontificijs sentirent, vbi ipsi Patres non rectè sentiunt: multa tamen & magna supersunt, in quibus Pontificij à patribus discrepantes soli errarunt. quantùm à fide Apostolica aberrarint, anteà docuimus; hîc quantùm à Patribus discreparint, diximus. cùm itaque nec cum Apostolis, nec cum patribus consentientem profiteantur fidem; nihil est quod consensum cum antiqua Ecclesia venditent.

[6] Romanam Ecclesiam & à capite defecisse, & membra habere malè inter se consentientia.

[6] Ne cum capite quidem Ecclesiæ, aut inter se consentiunt Pontificij, caput enim vnum est Ecclesiæ Christus, quem illi Antichristo adhærentes, aut saltem nouum sibi caput asciscentes, deseruerunt: nam etsi Christi nomen profiteantur, fidem tamen Christi de æterno eius sacerdotio, & vnica eius oblatione semel facta, & de regno etiam Christi, & prophetia abrogarunt. & quasi Christo in cælis non multùm opus esset, ita vicarium eius subdititium in terris colunt, eúmque pro capite, pro rege, pro oraculo Prophetico habent, & venerantur.

At inquit *Bellarminus*, omnes qui Ecclesiæ membra, & alumni sunt, illi Pontifici Romano adhærent, & Romanam Ecclesiam, vt aliarum Ecclesiarum matrem agnoscunt, & suspiciunt. cupit enim Monachus ille matrem illam magni fieri, vt se etiam illius meretricis filium honore afficiant. sed & falsum est, quod dicit omnes Ecclesiæ filios Pontifici adhærere, & illam Ecclesiam vt matrem agnoscere. & vt mater esset: nihil tamen hoc ad vnionem Ecclesiæ cum capite probandam facit, quod ipse in se susceperat. non potest enim & Pontifex Romanus & Ecclesia Ro-

mana simul esse caput Ecclesiæ, nec solent alia capita Ecclesiæ præter Pontifices Romanos agnoscere, nec si esset Ecclesia Romana caput; posset ipsa aliud habere caput. corpúsque esset hoc portentosum, quod tot haberet capita. nos autẽ docebimus, nec Pontificẽ Rom. caput esse ecclesiæ, nec Ecclesiam Christi huic capiti aut adhęsisse, aut adhærere debuisse.

Caput vniuersæ Ecclesiæ militantis nec sine blasphemia dici potest Pontifex Rom. vnum enim est ecclesię caput Christus Iesus, cui Deus omnia Ecclesiæ membra subiecit. ab isto, vt motus & sensus in corpore physico à capite ad omnia membra permanat, sic omnis efficax ad bonum motus, & gratiæ diuinæ sensus ad verè fideles deriuatur. verè igitur est fidelium caput. à Rom. autem Pontifice bellorum quidem motus maximi in vniuersum orbem permanant, boni autem nihil ab ipso habent fideles. non potest igitur dici caput. ne *Petrus* quidem, à quo ipse successionis iure opes ecclesiæ ad se deriuat, caput erat ecclesiæ, nec erant Apostoli membra *Petri*, sed æquo iure cum *Petro* in euangelij legatione coniuncti. Vndecunque igitur hoc habuit pontifex Rom. vt caput diceretur; à *Petro* certè non habuit, ne à lege quidem aliqua, aut Christi mandato. nam vt omnes perscruteris verbi diuini apices, nihil reperies quod episcoporum Rom. prærogatiuam stabiliat. superest igitur, vt vel à consuetudine primæ ecclesiæ hoc ius habuerint, aut illud nullo iure inuaserint. at in prima christianorum ecclesia, nihil huiusmodi quale posteriores isti faciunt, potuerunt. nam si à *Lino* ad *Bonifacium* 3 repetieris; nullum reperies ex vniuerso illo episcoporũ catalogo qui leges alijs ecclesijs dedit, aut potestatem cogendi habuerit, aut ius dixerit, aut extra limites Synodo Nicena constitutos iuris dicendi potestatem sibi vendicarit. qui primus episcopum Rom. supra alios extulit *Phocas* fuit, ille domini interfector, & imperij prædo. hunc sequuti *Carolus magnus*, & *Ludouicus* cognomento *Pius*, opes pontificum Rom. multùm auxerunt. neque enim satis grati visi fuissent, nisi à quo ipsi imperij titulum à legitimo possessore direptum nullo iure habuissent gratas rependissent vices. repetunt quidem à Constantino pontifices ius suum. sed donationem illam quæ fertur *Constantini*, vtpote omnibus historiarum scriptoribus aduersantem, & absurdam, & barbaram, & viri docti refutarunt, & iuris canonici interpretes vt paleam eiecerunt. à *Phoca* autem & *Carolo magno*, & *Ludouico*, quomodò potuēre hoc ius, vt capita essent ecclesiæ deriuare, cum nec possent illi hoc ius donare, nec ipsi capere? cum omnia istorum iura perse quor, nullum tamen inuenio pinguius, quam ius armorum. Post multas enim contentiones, gladiorũ iure hoc capitis ecclesiæ ius Romano pontifici confirmatũ est. non miror itaq; si armis & ferro defendant, quod armis obtinuerunt.

sed

sed contra ius illud ex quo pontifices Rom. primatum in omnes ecclesias vendicarunt satis multa diximus: nunc omissa disputatione de iure, nec de facto quidem, vt aiunt, omnes ecclesias illis paruisse docebimus, falsamq; illam *Bellarmini* assertionem, qui omnes vbique fideles subiectos fuisse dicit, refellam.

De prisca Iudæorum ecclesia, nec pontificij quidem ipsi inficiabuntur, non potuit enim ecclesia adhærere capiti, quod in rerum natura non esset, de Christi etiam tempore licet inficias irent, exploratum tamē est, Romano pontifici nullos paruisse, nam nec vllus tunc temporis erat pontifex, nec potuit ille siquis esset, vbi aderat Christus summum ecclesiæ caput, & magistratus, vicariam exercere potestatem, nec dubitamus nos de apostolicis temporibus, nam apostolus *Paulus* dicit in nulla re, se vel summis Apostolis fuisse inferiorem; & non à *Petro* se, sed à Christo munus legationis Apostolicæ suscepisse, omnes etiam Apostolos [1] vna legatione coniunctos scimus. Vnde ex iuris sententia isti discere potuerunt, qui in vno magistratu collegæ essent, eos ius, & potestatem parem habere. sequuta sunt Apostolorum tempora tempestates turbidæ vsque ad *Constantinum* magnum, quo omni tempore mirum est de hac summa pontificis Romani potestate silentium, imò multa faciunt vt credamus nullam ipsos supra alios vel mediocrem habuisse potestatem. nam & historiæ, & patrum scripta testantur, eos obscurè vixisse, & duram seruitutem multos annos sub tyrannis sæuissimis seruiuisse, nec de infinita hac pontificum Romanorum posteriorum prærogatiua & pompa vel cogitasse quidem.

[1] Matth.28.& Ephes.4.

Proferat *Bellarminus* si possit quam in vlla ecclesia præter suam potestatem habuerint, cui leges scripserint, cui ius dixerint, aut episcopos dederint, si non possit, taceat & magnidica illa de suorum pontificum immensa authoritate mendacia missa faciat. magni quidem fecerunt episcopos Romanos, *Polycrates, Ireneus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus*, & reliqui patres, non quod illos omnibus superiores agnoscerent, sed quòd orthodoxi erant, eorúmque authoritate hæretici conuincebantur. paruisse illos si dixerit Romano episcopo tanquam capiti; mentietur ille sine pudore. nam & *Victorem* castigauit *Ireneus* liberius, & *Cyprianus* vbique se parem facit *Cornelio*: idemque cum *Stephano* aciem subijt dimicationem, vbi *Cyprianus*, aut *Ireneus*, aut ex supra nominatis alius legem à pontifice Romano acceperit, nusquam reperitur. circa *Constantini* tempora lege scripta partiti sunt inter se ecclesiæ fines & iurisdictionis terminos Patriarchæ: nec tamen Romani episcopi amplior exijt sors, quàm reliquorum

Patri-

Patriarcharum. ex lege *Nicena* synodi suburbicarum ecclesiarum cura pontificis Rom. potestas circumscripta est. temporibus illius synodi angustam fuisse Romanæ ecclesiæ authoritatem ipsi norunt pontificij. cùm propter vrbis authoritatem è finibus suis egrederentur Rom. pontifices, restitere & *Carthaginensis*, & *Chalcedonensis* concicilij patres. diúque cum illis de primatu contendebant *Constantinopolitani* archiepiscopi; & licet primas ferre non possent, æquas tamen semper habuerunt cum illis partes. id enim & ex *Constantinopolitani*, & *Chalcedonensis* concilij actis apparet.

Nec firma à *Iustiniani* verbis ad capitis authoritatem Rom. episcopo conciliandam ducitur ratio. nam vt *Iohannem* episcopum Rom. salutat [1] *ecclesiarum caput:* sic etiam *Constantinopolitanam* ecclesiam [2] *omnium aliarum dicit esse caput*. idemq; archiepiscopum *Constantinopolitanum* vocat [3] *œcumenicum patriarcham;* quod Romani episcopi nullo modo ferunt. præterea per caput ille intellexit præcipuæ authoritatis virum, non summum moderatorem. nunquam certè eam detulit Romanis pontificibus potestatē, quam illi arrogant, nam & [4] leges ipse complures condidit ecclesiasticas, & episcopis Rom. superiorem se gessit, & *Syluerium*, & *Vigilium* malè multauit. sed quæcunq; fuerit *Iustiniani* sententia, nihil est quod eius authoritate pugnent, cuius ipsi sententiam sequi refugiunt.

[1] Cod de sum. Trin. L. reddentes honorem.
[2] Cod. de sacrosanct. eccles. L. Constantinopolitana.
[3] Cod. de sum. Trin. & fide cath. L. cognoscere volentes.
[4] De sum. trinit. & sacrosanct. eccles. & episcop. audient in Cod.

Quod patres honorificè olim de ecclesia Rom. locutos esse multis frustrà prolatis sententijs ex scriptis patrum probat [5] *Bellarminus*, nullus negat. fuit enim olim vera Christi ecclesia. sed quod olim fuit, nunc non amplius est. est enim synagoga nunc Satanæ. nihil igitur superiorum temporum laudes, ad hanc posteriorem Rom. pseudoecclesiam pertinent: multò autem minùs ad Rom. pontifices. sed vt honorificè de veteri Rom. ecclesia, & eiusdem episcopis pijs senserint patres: nunquam tamen quod ipsi probandum erat, docet ille, *patres Rom. pontifici vt membra capiti obedientiæ lege coniunctos fuisse*. nec sanè vnquam poterit, victori enim *Asiaticæ* ecclesiæ repugnarunt. eundem *Irenæus* grauiter obiurgauit. pontificum Rom. superbiam *Africanæ* ecclesiæ contrarijs decretis contuderunt. aut *Hierosolymitanam* aut *Alexandrinam* ecclesiam Romanæ paruisse nusquam auditum fuit. imò nec propiores quidem *Italiæ* ciuitates eius iugū pati potuerunt. non cessit *Rauennatum* ecclesia nisi armorum potentia coacta. *Mediolanensis* ecclesia ferè vsq; ad *Innocentij* tertij tempora libertatem suam strenuè aduersus Rom. pontifices propugnauit. nec ita pridem *Aquileiensem* ecclesiam subegerunt pontifices Rom. primatum autem pontificis adeò odit Orientalis ecclesia, vt eum scriptis, non modò factis oppugnarit. nec iugum pontificis accepit ecclesia *Germanica*, & *Anglica*,

[5] De notis eccles. cap. 10.

nisi imperatoribus & regibus nostris pontificum armis subiugatis, sed quid ego externa, & remota quæram, cum nec vrbs Roma pontifici Romano ante multos annos parere solita sit? cum autem nec Roma ipsa huic capiti adhæserit, non est verisimile alias ecclesias ei adhæsisse. at hoc scriptores multi narrant. *Leonem*[1] tertium Romani malè multatum tandem vrbe exegerunt. ob populi Romani crebras seditiones ius eligendi Romani pontificis ad imperatorem transtulit *Adrianus* primus. hoc etiam teste *Platina* confirmauit imperatori *Leo* octauus. *Iohannem*[2] decimum populus Rom. vrbe pepulit, posteà verò facta pace reuersum cepit & occidit. hæc enim illa erat illius temporis de qua multa fabulatur *Bellarminus* Romanæ vrbis cum pontifice vnio. *Stephanum* octauum ita vexarunt Romani, vt nulla re gesta memoria digna, præ mærore mortuus sit. *Leone* octauo vrbe pulso *Benedictum* quintum ipsi pontificem crearunt. *Benedictus* sextus ab illis captus, & in *Adriani* arcem detrusus ibidem aut sponte mortuus est, aut à Romanis interfectus. *Bonifacius* septimus metuens Romanorum molitiones, expilatis ecclesiæ thesauris *Constantinopolin* fugit. adeò vt *Constantinopolis* magis quàm Roma illo tempore pontifici vnita fuerit. *Crescentius* Romanæ vrbis ciuis, populi gratia fretus *Iohannem 17*, *Gregorium* quintum, & *Iohannem 18*, varijs molestijs affecit. variáque fortuna lites istæ vsque ad nostra ferè tempora productæ sunt, nunc pontificibus Romanis, nunc ciuibus vincentibus. *Gregorium*[3] nonum, licet legum præsidio maioribus suis munitiorem, armis tamen & seditione in summam desperationem adduxerunt. *Innocentius* autem quartus, cum ad vrbem iter instituisset, ingredi tamen non est ausus populi Romani veritus impetum. ita probè hoc omni tempore ecclesia Romana pontifici coniuncta erat.

[1] Plat. in Leon. 3.

[2] Plat. in eius vita.

[3] Edidit ille 5. libros decretalium epistol.

Per multa prætereà schismata magnam partem ecclesiæ Romanæ ab obedientia pontificum abstractam videmus. in synodo *Constantiensi* tres simul papæ erant omnes ita æquo iure, vt *Bellarminus* ipse cui adhærendum esset valde dubitet. plurimi tamen in *Iohannem 23*, qui quod animæ immortalitatem negaret, multáque scelera perpetrasset à synodo de sede deturbatus est, propendent. cum hoc tempore orbis Christianus distractus esset, qui potuit vnio membrorum ecclesiæ Rom. cum pontifice nota esse illius ecclesiæ? ne in schismate quidem inter *Innocentium 3* & *Petrum Leonis*; inter *Iohannem 22* & *Petrum* de *Corbario*; & denique inter *Vrbanum* sextum, & *Clementem*, cùm pontifices Rom. & pontificum partes odijs, & armis inter se contenderent, aliquod apparuit vnionis huius à *Bellarmino* decantatæ in illa ecclesia vestigium. adeò vt si ex vnione æstimanda esset vera Christi ecclesia, hæc Romana, vera esse non posset.

Bella denique illa cruenta, quæ & pontifices contra *Gallos*, *Germanos*, *Hispanos*, & *Italos*, & hi vicissim contra pontifices gesserunt, non tam ex vnione, quam distractione Christianorum illam ecclesiam æstimandam arguunt. neque enim qui armis inter se concurrunt, animis consentire solent. nec consensit *Caroli* quinti exercitus cum *Clemente*, quem primùm obsederunt milites, deinde in potestate sua habuerunt, nec antea dimiserunt, quàm maxima pecunia caput suum liberasset.

Romanam quidem ecclesiam, vt sororem reliquæ ecclesiæ amarunt, nonnullæ coluerunt, vt matrem. non tamen hoc Romanæ tantùm ecclesiæ peculiare erat. eâdem enim reuerentia, & aliæ cultæ sunt, & honoratæ. *Hierosolymitana* ecclesia mater erat omnium aliarum, etiam & Romanæ ecclesiæ, inde enim sonus Euangelij primùm egressus est in orbem vniuersum. huius etiam memoriam nisi prorsus ingrata esset, coluisset & ecclesia Romana. *Cæsaream*, *Basilius* (vt antea diximus) multarum ecclesiarum matrem vocat. Romanâ ecclesiâ, *Asiaticæ* aliquot ecclesiæ antiquores erant. *Euangelium in Africam peruenit* non Româ, sed *Hierosolymis*, si[1] *Augustino* credimus. *Tertullianus* cum Romana alias etiam per *Græciam* ecclesias in pari dignitatis gradu coniunxit. *Eucherius* in *Germania* primus Euangelium plantasse dicitur. ad *Gallos* peruenit Euangelium, vt pontificij dicunt ministerio *Dionysij*, vt verisimilius videtur, *Crescentis*. in hac nostra *Anglia* Euangelij semen primùm ab Apostolo[2] *Paulo*, vel vt alij putant, à[3] *Iosepho Arimatheensi*, aut[4] *Simone Zelote* iactum est, deinde ab eorum discipulis variè propagatum. ab vrbe Roma non peruenisse ad nos primùm Euangelium inde colligitur, quod antequam Romani episcopi aliquos ad alias ecclesias emitterent, magnos hęc insula in Euangelio progressus fecerat. nam temporibus[5] *Tertulliani*,[6] *Origenis*,[7] *Athanasij*, &[8] *Chrysostomi* florebat hic Christi ecclesia. quare quod *Versteganus* à Romana ecclesia egressum Euangelium in omnes ecclesias mentitur, non tantum patrum, sed & scripturæ testimonio de *Pauli* peregrinatione conuincitur.

[1] Epist. 162.
[2] Theodoret. de curand. Græcor. affect.
[3] Gildas. Polyd.
[4] Niceph. lib. 2. c. 4.
[5] Contr. Iudæor.
[6] In Ezech. homil. 4.
[7] Apolog. 2.
[8] Homil. quod Christus sit Deus.

Non parebant antiquitùs tot ecclesiæ Romano pontifici, quot nunc faciunt, patrúmque nostrorum memoria fecerunt. nec vllas ab illa leges accipere solitæ sunt. aliæ enim *Mediolani*, aliæ Romæ ieiuniorum leges seruatas testatur *Ambrosius*. variásque leges habuit *Africana* ecclesia sibi peculiares, vt ex *Augustini* scriptis videre licet. in Paschatis obseruatione non tantùm ecclesia Orientalis, sed etiam & Occidentalis magna pars à Rom. discessit. Ius ecclesię *Africanæ* aduersus pōtifices Rom. & *Cyprianus*, & *Augustinus* acriter defenderunt. *Hieronymus*, vt diaconorum superbiam contunderet, qui consuetudine ecclesię Rom. ad suæ dignitatis

prærogatiuam defendendam abutebantur, dixit orbem vrbe maiorem esse. ne appellare liceret ad Rom. pontificem *Africanæ* ecclesiæ patres sæpius interdixerunt. non habuisse ecclesias *Asiaticas*, aut *Africanas* episcopos à pontifice Rom, ordinatos, ecclesiæ vniuersa testis est historia. sed quid opus est testibus in re tam clara? nam hanc quæ patrum nostrorum ætate inuasit ecclesiam, tyrannidem non nisi longo pòst interuallo episcopi Romani non lege, nec iure, sed armis, & fraudibus inuexerunt, & stabiliuerunt. neque tantùm alias ecclesias, sed etiam ipsam Romanam ecclesiam oppresserunt. nam licet ecclesiæ Romanæ nomine ad suas tegendas fraudes vtantur: soli tamen pontifices arbitratu suo omnia agunt. Romanis nec vlla libertas in ciuitate, nec in ecclesia superest. bona vectigalibus nouis exhauriuntur; conscientiæ nouis quotidie laqueis irretiuntur; viri fortes extincti sunt, dominantur quæ nuper ex inferni abysso emerserunt locustæ Iesuiticæ, & fraterculorum sodalitates. cum igitur hæc sit ecclesiæ Romanæ forma & facies, vt pontifex ibi omnia agat solus, eique teterrima hæc hominum colluuies adhæreat: cur huic ecclesiæ pareamus, nulla causa est. nam si cum fides esset integra huius ecclesiæ, eam tamen aliæ ecclesiæ non sequerentur vt dominam, nunc cum à Christo defecerit, & veram fidem deseruerit, deserenda est. priscæ certè ecclesiæ nec pontificem, nec ecclesiam Romanam pro capite habuerunt. frustrà itaque iactat *Bellarminus* vnionem cum pontifice Rom, reliquos Christianos coluisse.

Ne inter se quidem ecclesiæ Romanæ membra vnitatem aut nunc colunt, aut semper coluerunt. nam siue fidem Romanæ ecclesiæ, siue eiusdem politeiam, & procurationem spectaueris, maximas in illa pugnas, & contentiones videbis. nam & pontifices Rom. sæpe se inuicem & contrarijs sententijs, & armis oppugnarunt, & pontificiæ religioni principes addictissimi aduersus pontifices pugnarunt. nec quicquam vsitatius, quam monachorum, & fraterculorum digladiationes, & pugnæ. nescio sane, an illa membra huius ecclesiæ habendi sint. sunt enim tanquam in malè sano corpore pedes, pulicésque, & vt in palustribus locis muscæ, culicésque nulli rei bono; sed omnibus odio, molestiæq; maximæ. sed illos tamen pontifex Rom. maximè strenuos habet propugnatores: soléntque inter illos maximæ, & quotidianæ oriri lites, & pugnæ. adeò vt, sicut ab inferis poetæ Megæram, & Aten, sic Ariostus ex monachorum [1] claustris contentionem & discordiam excitandam, & accersendam putarit. dissentiunt pontifices primùm a viris bonis: pugnant etiam inter se mali, cum malis. [2] *obediendum regebus* dicit *Petrus*, à quo degeneres isti pontifices genus deriuant suum: isti obedientiæ vincula abrumpunt, subditósque sacramentis

[1] Orland. furioso canto. 4.

[2] 2. Pet. 2.

sacramentis soluunt, & in principes armant. regem honorandum monet *Petrus; nec impios ille quidem excipit. isti verò in reges pios omne contumeliarum genus effundunt, conductitiósque quosdam scurras in illos emiserunt, qui instar *Balaami* & regibus pijs, & populo Dei malè dicerent. nec quicquam magis pugnat, quàm flagitiosa *Pauli 3* in *Henricum 8 Angliæ* regem, quàm *Pij 5*, in Serenissimam Reginam, quàm *Sixti Quinti*, (vt malè sit istis *Quintis*) & *Gregorij* decimi quarti in *Henricum* quartum *Gallorum* regem furiosa sententia cum *Petri* Euangelica doctrina, aut quàm *Petri* moderatio, & Pontificum Rom. & emissariorum suorum fœda in principes debacchatio. ille paruit *Neroni* tyranno sæuissimo: sub istorum auspicijs homines perditissimi excusso Dei & legum metu aduersus reges bella gerunt. * Ibidem.

Euangelium docuit *Petrus*, nec postquam semel gladium in vaginam recondidisset, illum eduxisse legitur. [1] *Sixtus* etiam *Quintus* verbo profitetur, arma militiæ suæ non esse materialia: Euangelium tamen posteriores Pontifices non docent, sacramenta non administrant, nec gregem pascunt: sed contrà districtis gladijs Christi ouiculas trucidant, & mactant. incendijs orbem terrarum inflammant, armorum terrore vexant, noménque Episcoporum frustra vsurpantes reuera bellatores sunt, bellorúmque liticines, piorúmque & multorum miserorum sanguine latissimos *Germaniæ, Galliæ, Belgij, Italiæq; campos cruentarunt.* [1] In Bulla eius aduersus Nauar. & Condens.

Dominatum in Ecclesiam nec exercuit *Petrus*, nec [2] probauit: isti quasi ille acerbum illis mandasset dominatum, ita eius nomine superbè populum Dei regunt; armis, legibus, & sæuitia fideles opprimunt. neque alio nomine nunc *Hispani* res *Europæ* turbarunt, quàm vt qui se in libertatem Euangelij vindicarunt, iterum iugum *Ægyptiacæ* seruitutis accipiant. adeo vt si *Petrus* nunc reuiuisceret, eum Pontifices Rom. tanquam hæreticum manifestarium condemnaturi videantur. eorum enim ille tyrannidi sententia sua maximè aduersatur. [2] 1. Pet. 5.

Clemens in legibus illis, quas vulgò Apostolorum vocant canones, *ne* [3] *Episcopus, aut presbyter religionis obtentu, vxorem repudiet*, decernit, *qui repudiauerit, eum excommunicatione coercendum* statuit. idémque mandat, *ne quis* [4] *Episcopus, aut alius ex clero nuptijs, aut carnibus propter impuritatem abstineat:* [5] *Episcopúmque in populo erudiendo negligentem deponendum censet.* isti tanti viri neglectis mandatis, episcopos & presbyteros votis astringunt, ne vxores ducant; ducentésque grauiter multant. *Syricius* nuptias pollutiones vocat. vulgóque nihil aliud istis est ieiunium, quàm abstinentia à carnibus, neque lege aliqua se impediri putant, quò minus in medio ieiunio vino, & piscibus, & fructibus delicatissimis se saginent. Pontificiisque [3] Can. 6. [4] Can. 50. [5] Can. 55.

ficesque Rom. nec ipsi docent, nec non docentes de Cathedra deturbant, imò homines literarum imperitos, & nonnunquam infantulos qui vix fari norunt, nedum docere, creant episcopos, & Cardinales. ex *Austriaca* familia vidi ego puerum factum Cardinalem: *Parmensis* etiam ducis filius vix egressus pubertatis annos creatus est Cardinalis. amores suos *Iulius 3* donauit *Galero*: hunc honorem Cardinali *Sfondrata* puero propter necessitudinem habuit *Gregorius* decimus quartus. *Leonem* decimum cum in cunis adhuc vagiret infans, episcopatu donatum author est [1] *Onuphrius*. liceat igitur mihi [2] *Rebuffi* istos verbis appellare, *O capita inutilia, & insensata* capita sanè quibus nec cerebrum est, nec mentis aliquæ reliquiæ. Quod respondet *Bellarminus, Siricium non veras nuptias, sed illegitimas coniunctiones pollutiones existimasse*, mendacium est. nam de presbyteris qui legitimas habuere vxores loquitur, horúmque legitimas coniunctiones separandas decernit. quia mandati illius nullam habuerunt rationem, idcirco pœnitentiam illis indixit, & *matrimonium eorum pollutionem hominibus impuris vocauit*.

1 In Leon. 10. & Clem. 7.
2 Prax. benefi-ciar. c. quibus modis collatio, &c.

Quod Deus coniunxit, illud ex Pontificijs saniores non esse separandum defendunt. *Alexander* tamen [3] tertius, *Presbyteros & diaconos vxores ducentes ab illis diuellandos decernit, matrimoniúmque illud non tenere pronuntiat*.

3 Si qui Clericorum. de Cleric. coniugat.

Vulgò etiam, vouentes *à matrimonij* [4] *vinculo absoluunt, & vxore viuente virum Episcopum creant. imò eius qui cum ancilla contraxit*, [5] *matrimonium, nullum pronuntiant. contractúsque omnes non consummato matrimonio dirimunt etiam altera parte inuita, si alterutra pars votum emiserit*. quod nihil aliud est quàm propter hominum placita irritas facere Leges diuinas: quod nec Pontifices ipsi Romani rectè sentientes & sani probarunt. *Alexander* enim tertius secum, & cum alijs pugnans decretali sua statuit, [6] *nemini licere excepta fornicationis causa vxorem dimittere*.

4 C. verum post. de conuers. coniug. & per tot.
5 C. proposuit de coniugio seruor.

Gelasius panis substantiam manere [7] *dicit post consecrationem:* negat [8] *Innocentius* tertius, & vniuersa Schola. *vt omnes clerici facta oblatione communicent*, dicitur esse Canon Apostolorum; isti tamen nisi conficientem, vt vocant, nullum faciunt participem mysteriorum.

6 C. quoniam de coniugio leprosorum.
7 C. comperimus. distinct. 2. de consecrat.
8 C. firmiter de sum. Trinit.

Asserit [9] *Nicolaus 4, Christum & verbo & exemplo perfectam docuisse paupertatem, nec quicquam habuisse proprium:* hanc sententiam [10] *Iohannes 22*, & hæreticam, & erroneam esse pronuntiauit. adeóque pugnant inter se isti duo Pontifices, vt *Bellarminus* magnus alioqui dissidentium Pontificum conciliator, hos duos reconciliari sibi inuicem non posse [11] fateatur.

9 C. exijt. de verb. signific. in 6.
10 C. cum inter. extr. de verb. signific.
11 Lib. 4. de Rom. Pontific. cap. 14.

Vulgò vino & aqua calicem in Missa sua miscent. permisit tamen [12] *Innocentius*

12 Volaterran. lib. Geograph. 7.

nocentius Norwegis, & Gothis vt missam sine vino celebrarent. Christi institutio & Apostolorum mores mixturam aquæ improbarunt.

Docuit *Celestinus propter hæresim*[1] *matrimonium dissolui*. fuitque Canon ille olim inter reliquos Pontificum Canones, vt testis est *Hostiensis*: eum tamen nunc Pontifices deleuerunt. [2] *Innocentius* eum contrario decreto sustulit. *Celestinique* sententiam vbique improbatam docuit [3] *Adrianus Sextus*.

Sponsalia de præsenti non soluenda esse per sequens matrimonium, etiam carnali copula consummatum decreuit *Alexander* tertius: aliter tamen, vt ipse [4] fatetur, complures eius prædecessores iudicarant. non ita tamen obtinuit sententia *Alexandri*, quin *Clemens* septimus in dispensationis suæ rescripto *Henrico* octauo concesso, *contractum*[5] *matrimonij, etiam consummatum Pontificia sua potestate dissolueritt.* Omnes cõsuetudines cum catholica fide pugnantes improbat[6] *Pius* primus. reliqui tamen Pontifices illas probant, & pro illis tanquam pro aris pugnant. vnde hęc manauit in Ecclesiam Dei cæremoniarum multitudo, qua vera religio nunc oppressa iacet. Scripsit[7] *Leo* primus, *mulieres eas, quarũ viri captiui detinebantur, aut defuncti putabantur nubentes non peccare, licet reuersis post limınio viris ad eos non reuertantur*: contrà autem decernit[8] *Lucius* Papa, *& ne nubant interdicit, nisi certo accepto de mariti morte nuntio. si nupserint retrahendas esse ad priores maritos statuit.*

[9] *Secundis nuptijs nullas impendendas benedictiones censet Vrbanus 3.* at hoc matrimonij derogat honestati, & consuetudini multorum locorum, vt dicit *Gratianus*. nihil opus est omnes Pontificum cõtrarias sententias recensere. multas esse vel inde liquet, quod integri de eorum antinomijs scripti sunt tractatus: quod satis est, nos iam & in hoc loco, & aliâs diximus. ex istis etiam perspicuum est, malè Pontificibus inter se conuenire: maximè verò ex eo, quod vnus alterius acta non rarò refixit. *Gregorij* constitutiones antiquauit *Sabinianus*: reliqui contempto leuissimi hominis decreto illas in integrum restituerunt.

Formosi acta abrogauit *Stephanus 6*, & *Sergius* item tertius. *Romanus* & *Theodorus* secundus *Stephani* actis antiquatis pristinum robur *Formosi* decretis reddiderunt. qui autem hos sequutus est *Sergius* tertius, *Romani*, *Theodori*, & *Formosi* decreta irrita fecit. *Constantini* etiam Pontificis omnia acta, qui illi successit antiquauit.

[10] *Vrbanus 6*, contra *Clementem*, & qui illum sequuti sunt contra *Auinione* sedentes Pontifices, tela sua Ecclesiastica contorserunt, contrarijsque sententijs se inuicem oppugnarunt. neo hoc quidem in hoc casu nouum erat: ea enim in omnibus Pontificum contentionibus obtinuit disciplina.

[1] C. laudabilem. de conuers. infidelium. & Hostien. in ca. quanto. de diuortijs, & Alph. à Castro lib. 1. cap. 4. aduers. hæres.
[2] C. quanto de diuortijs.
[3] De confirm. art. 3.
[4] C. licet. de sponsa duorum.
[5] Verba in Bulla Clement. 7. Campegio dat.
[6] In Concilior. tom. in Pio 1.
[7] Epist. 79.
[8] C. Dominus. de secundis nuptijs.
[9] C. vir autem. de secundis nuptijs. & glossa ibidem.
[10] Theodoric. Niem. de schis. lib. 1.

disciplina. à verbis etiam ad graues armorum contentiones Pontifices deuenerunt. partes enim se inuicem armis persequutæ sunt.

Contenderunt etiam inter se cótrariæ Pontificiorum Synodi. acta enim *Basiliensis* Synodi refixit Synodus *Florentina*, aduersúsque *Pisanum* Concilium, aliud indixit *Iulius* secundus in basilica *Lateranensi*. [1] temporibus *Sergij 3*, & Romani, pugnabant Synodi contrarijs decretis, vulgò damnatur Synodi *Constantiensis* Canon, quo *Benedictum* decimum tertium hæreseôs condemnat, quod negasset ille Concilium habere potestatem supra Papam.

[1] Fascic. tempor.

Antiquas autem Synodos complures posteriores Synodi contrarijs constitutionibus oppugnarunt. noua illa fides quæ in Synodo *Florentina*, *Constantiensi*, & nuperrima demum *Tridentina* Synodo edita est priscis Canonibus antiquarum Synodorum ex diametro aduersatur.

Inter Pontificiæ etiam causæ actores de doctrina fidei maximæ olim fuerunt & nunc etiam sunt controuersiæ. de Scholasticis doctoribus vniuersis verè dicere licet, nullum esse fidei articulum, quem non illi contrarijs sententijs aut obscurant, aut in dubium vocant. ne de Theologia quidem, *quid sit, & vtrum sit scientia nec ne*, propriè dicta, inter se consentiunt. [2] *Durandus* & qui eius sectam sequuntur negant: fortiter contra tenent *Thomas*, *Richardus*, & alij nonnulli. valdè etiam inter se [3] digladiantur qui scientiam esse dicunt, *vtrum sit speculatiua, an practica*, & quod sit Theologiæ subiectum. *Scotus* & *Ægidius* valdè contendunt inter se, vtrum Theologia sit scientia subalternatiua, nec ne, & deteriorem plerique sequuntur partem, nam ex principijs, vt plurimùm philosophicis argumentandum censent.

[2] In quæstion. in magist. Senten. in exordio.

[3] Ibidem in quæstionib. extraordinar.

Anxiè etiam [4] inquirunt quid inter se differant verba *vti, & frui*: sed nec secum, nec cum magistro, nec cum ratione latinè loquendi consentiunt, nam contra quàm illi sentiunt, non tantùm vltimo bono, sed & alijs rebus frui dicimur; & vocabula vti & frui promiscuè apud iurisconsultos accipiuntur. vsusfructus est enim ius vtendi fruendi.

[4] In dist. 1. lib. 1. sentent.

De distinctione attributorum diuinorum maxima est inter eos concertatio, vtrum sit realis, an formalis, an rationis tantùm. de hac quæstione audite verba [5] *Dionysij*: *ista* (inquit ille) *est vna de præcipuis difficultatibus Theologicæ facultatis, de qua inter doctores famosos inuenitur dissentio, inquisitio, & concertatio grandis; Thomámque valde lancinat Ægidius, aliique in vtrosque feruntur.*

[5] In lib. 1. sentent. Dionys. Carthus. dist. 2. qu. 2.

Negat *Ægidius* [6] personas Trinitatis distingui per vtrum aliquod in vno, quod non est in alio, contra quem reliqui magno impetu feruntur.

[6] In lib. 1. sentent. distinct. 2. qu. 7. Dionys. Carthus.

Nonnulli probationes ex scripturis quas attulit magister Sententiarum

ad

ad probandam personarum Trinitatis distinctionem [1] improbant. eas verò quas ex rebus creatis attulit plerique taxarunt. variæq; sunt Scholasticorum de Dei cognitione, & repugnantes inter se sententiæ. *Bonauentura* dicit Trinitatis sanctissimę notitiam per naturalem rationem haberi posse, quod alijs absurdum videtur; nec sanè iniuriâ.

Similiter [2] altercantur de modo quo dicitur filius nasci à patre. quasi eius generationem æternam homines mortales scire possent, aut explicare. *Henricus Gandauus* vult filium genitum esse de substantia Patris, & essentiam esse quasi materiam, relationem ad Patrem esse formam, & personam esse ex materia & forma productum quid. quod quidem *Scoto*, & *Scotistis* valdè displicet.

Filium dicit *Ægidius* potentiam habere generandi alium Filium: in quo eum malè accipiunt *Thomas* & *Bonauentura*. quod *Thomas* dicit Spiritum sanctum magis principaliter, vt anteà dictum est, à Patre procedere, illud *Scotus*, & alij reprehendunt; videtúrque illud cum *Gregorij* decimi sententia pugnare, qui in Concilio *Lugdunensi* statuit, Spiritum sanctum à Patre & Filio [3] vnica spiratione procedere.

Ab ipso etiam magistro in articulo de essentia Diuina, & Spiritu sancto, discipuli dissentiunt. non est igitur mirandum, si in alijs rebus eum deseruerint, acritérque inter se contenderint. Dicit [4] *Scotus animam, & Angelum non differre, sicut duas species:* quam eius sententiam reliqui reprehendunt. multùm [5] *præterea disputant, vtrum Angeli ex materia constent*, an ex forma tantum: quodnam etiam fuerit illud peccatum, propter quod diabolus cecidit, [6] quærunt: contrariæque ea in re sunt Scholasticorum sententiæ.

Gratiam quidam [7] affirmant idem esse cum virtute. in qua sententia Magister Sententiarum esse videtur; oppositum tamen tenent alij.

In doctrina de originali peccato non tantùm à Patribus, sed etiam à suis discessit [8] *Pighius*. Magister sententiarum pronitatem ad *peccandum putauit esse peccatum originale:* cum tamen eo *nomine reprehendit* [9] *Innocentius*. de sede peccati originalis à multis disputatur, ita tamen vt Magistri sententiam, vt iam diximus, deseruerint.

De sacramentis & sacramentorum doctrina in immensum creuerunt Scholasticorum lites. nam nec de numero, nec de signis, nec de forma, nec effectu sacramentorum consentiunt. vna transsubstantiationis controuersia tanquam Serpentinorum dentium semen innummerabiles peperit lites. *Nam nec vtrum in instanti fiat*, nec *quandiu ibi maneat corpus Christi, nec an panis conuertatur in corpus Christi, an in nihilum redigatur, nec quando corpus Christi à Sacramento recedit, nec quando panis cedit*,

[1] In distinct. 3. lib. 1. Petr. Lomb.

[2] In lib. 1. sentent. distinct. 5. qu. 2. Dionys.

[3] c. vnic. de sum. Trinit. in sext.

[4] In 2. sent. lib. dist. 2.

[5] In 2. sentent. lib. dist. 3.

[6] In 2. sentent. lib. d. 5.

[7] In 2. sentent. dist. 25. Dionys.

[8] In controuers. prima.

[9] In C. maiores, de baptismo & eius effectu.

nec quomodo à bestiolis & corruptione redimi possit, aliquid adhuc certi statuerunt. De hoc vno articulo quinque diuersas Scolasticorum opiniones recenset *Paduanus* à *Crassis*, de reliquis infinitæ sunt contentiones. Tanta est doctorum de his rebus contradictio, & contentio, vt ea etiam Scholasticis ipsis displiceat. [1] *Ego*, inquit *Dionysius Carthusianus*, *vellem in isto puncto, & cunctis similibus vbi tangitur de necessarijs ad veritatem sacramentorum, doctores nunquam sibi inuicem contradicerent; & vbicunque fieret, Romana Ecclesia sua determinatione remedium adhiberet.*

1 In 4. sentent. lib. dist. 11. qu. 3.

De virgine *Maria* litigant etiam adhuc fratres, & Monachi, *vtrum in originali peccato concepta fuerit*. Et licet *Sixtus* quartus se interposuerit, decretúmque ea de re ediderit Concilium *Tridentinum*, non potuit tamen adhuc lis componi. [2] *Leo* Pontifex presbyteris, & diaconis in crimen lapsis pœnitentiam publicam negat. plerique tamen alij contrà sentiunt. ordinationem Episcopalem non esse sacramentum docent Scholastici magni nominis [3] doctores. contrà tamen disputat [4] *Bellarminus*, *Petrus* à *Soto*, & canonici iuris consulti.

2 In decret. ad Rustic. Narbonens. Gropper. 862.

3 In 4. sentent. lib. distinct. 24.

4 De sacram. ordin. c. 5.

Celestinus non minus censet [5] votum simplex apud Deum ligare, quàm votum solenne: quem sequitur & *Caietanus*. sed opponunt se communiter Scholastici, & Canonistæ.

5 c. Rursus, qui clerici & Vouentes.

De descensu Christi ad inferos, & eius ibidem passione duæ sunt Pontificiorum contrariæ sententiæ, vt refert [6] *Gropperus*.

6 Gropper. p. 12.

Contra *Caietani* errores librum satis crassum edidit *Catharinus*. *Gratianúmque* multi, tanquam asinum verborum fodiunt stimulis. Multáque plura afferri possunt contentionum, & rixarum quæ in Pontificio regno vigent argumenta. sed satis súperque diximus. nec qui vulnus obligare voluit *Bellarminus*, quicquam exspectatione hominum dignum attulit.

Nam quod dicit Pontificios de rebus tantùm, quæ non pertinent ad fidem rixari, & Ecclesiæ Romanæ se iudicio submisisse, falsum est. Primùm illud quidem multis allatis exemplis refutaui, & ipsorum etiam libri, vel me tacente, illud falsi conuincunt: secundum mendacium Pontificum summa arguit potestas. ij enim licèt de fide discrepantes habeant sententias, tamen se Ecclesiæ non submittunt. nec ea est aliorum modestia, vt se omnes Ecclesiæ iudicio submiserint. Sed vt fuerit malo huic aliqua apud illos parata medicina: nemo tamen hoc in Ecclesia Romana, malum esse negare potest. nec adeò poterit vnquam vulnus hoc sanari, quin vnius alicuius Pontificuli pertinacia illud de nouo refricare possit. nam ad Pontificem Romanum in religione Ecclesiæ Romanæ summa summarum redit.

De Pa-

De Papatu etiam, & Imperij finibus maxima Pontifices Romani, & qui Papatum ambierunt bella gesserunt. cum *Damaso* contendit *Vrsicinus*; cum *Symmacho Laurentius*; cũ *Innocentio 3*, *Petrus Leonis*; cum *Iohanne 22*, *Petrus* de *Corbario*. factionibúsque multis sedes illa variè lacerata fuit. *Vrbanus 6*, non tantùm odio, sed etiam armis *Clementem* persecutus est. quo omni tempore hæc membrorum ecclesię Rom. cum capite & inter se coniunctio locum habere non potuit; bella etiam illa quæ de regno *Neapolitano* & ecclesiæ Rom. finibus gessêre, mala sunt concordiæ argumenta. nec dici potuit ecclesia Romana regnum pacificum, cum *Iulius* secundus cum *Venetis* & *Gallis* armis contenderet. omnia quæ per multos annos *Italiam* lacerarunt bella, à Pontificibus Rom. excitata sunt. nec illa quidem aduersus fidei hostes, sed aduersus Pontificibus sanctiores Imperatores, & reges. Quare si nihil magis vnitati aduersetur quàm simultates, & bella, & cędes mutuæ: nihil est quod de vnitate, aut vnione glorietur *Bellarminus*. Pontifices se mutuò etiam factione, dolis, & armis pepulerunt. factiones etiam Pontificiorum variæ sunt. nam nec amant *Franciscani*, *Dominici* familiam, nec se inuicem ferunt fratres. omnes odio habent nuper exortos *Iesuitas*. in singulis Monasterijs intestina vigent odia, & simultates. cum ad discordiam quærendam, vt finxit *Ariostus*, *Michael* à Deo legatus esset: *non alibi eam inuenit, quam in* [1] *Monachorum claustris, & capitulis. putabat quidem se ibidem silentium inuenturum; quia in portis dormitorij, sacelli, & in singulis cubiculis silentij leges descriptæ erant: vt discordiam inueniret, existimabat sibi ad inferos vsque descendendum. sed longè errauit.* Nam quod ibi quærebat silentium, nullum erat. *imò nec pietas, nec quies, nec humilitas, nec amor, nec pax. ista enim omnia, vt inquit ille, gula, auaritia, & ira, item superbia, inuidia, inertia, & crudelitas inde fugarant: ibi etiam erat & discordia. Hanc, licèt incredibile dictu esset, ille in* [2] *Monasterij inferno inter missas, & officia inuenit.* Continenter enim inter se litigare solent fratres. citiúsque coibunt aquæ, & flammæ, quam vt *Thomæ* & *Scoti* sectatores pacem colant. vt omnia igitur habeat ecclesia Romana, non tamen habet hanc Pontificis Rom. cum Christianis, aut Pontificis sectatorum vnionem. nam vt nunc aduersus Christum conspirarint: manent tamen superiorum simultatum cicatrices.

CANTO 14.

[1] *Non è silentio quiui, egli fu detto*
Che non v'habita piu, fuor ch'in iscritto:
Nè pietà, ne quiete, ne humiltade,
Ne quiui amor, ne quiui pace mira.
Ben vi fur' gia, ma ne l'antica etade,
Che le cacciar gola, auaritia & ira.
Superbia inertia, inuidia e crudeltade.
E vide ch'anco la discordia v'era.

[2] *E ritrouolla in questo nuouo Inferno,*
(Ch'il crederia?) tra santi vffici, e messe.

Vbique etiam sanctitas reperiri poterit, potiùs quàm in ecclesia Romana.

[1] Ecclesiam Romanam non esse sanctam,

mana. [1] nam nec mores eius sancti sunt, nec sancta est quam tuentur Pontificij fidei disciplina. quare si in eo posita sit Ecclesiæ sanctitas, *vt nihil habeat in doctrina falsum, nihil in legibus iniquum, nihil in moribus fœdum*, vt etiam *Bellarminus* fatetur: nulla erit in Ecclesia Pontificia sanctitas. nam in doctrina multa falsa habet, in legibus grauia & iniqua, in moribus turpia, & fœda. multa denique habet superstitiosa & ridicula. ac doctrinæ quidem turpitudinem & falsitatem multis iam redarguimus: legum verò iniquitatem, multiplices, & graues Christianorum querelæ satis redarguunt. *Germania* [2] grauibus Romanæ Ecclesiæ sibi impositis oneribus fatigata, tandem grauissimas contra Pontificem effudit querelas. Hoc nomine restitit quantùm potuit, aut ausa est *Gallia*, infinitis Pontificum cupiditatibus: easque varijs legum sanctionibus prohibuerunt *Gallorum* Reges. Pontificis ad Ecclesiæ *Gallicæ* exhauriendas opes missos legatos è regni finibus expulit *Philippus* pulcher: *Apameensem* Episcopum insolentius obloquentem carcere coercuit. Extrauagantes Pontificum constitutiones nunquam admiserunt, reliquas eorum leges pactis quæ illi *concordata* vocant temperarunt.

[2] Centum sibi conquesta est illata esse grauamina. Orthuin. Gratius.

Ludouicus sanctus expilationes Romanæ aulæ per regnum suum disertè prohibuit. contra legum Romanarum iniquitatem, etiam nonnullæ à nostris [3] regibus editæ sunt leges; vt clauos illos ferreos, quasi alijs clauis pelleremus. nihil sanè illis legibus magis è Reipublicæ ratione cogitari potuit.

[3] Statutum de prouisor.

Temporibus enim *Henrici* secundi, & tertij, & *Iohannis* Regis *Angliæ* multiplici fraude & auaritia Ecclesiam [4] *Anglicanam* Pontifices Romani expilarant. grauiter igitur in rescriptorum Pontificiorum iniquitatem inuehitur *Budæus*. miserósque *illos putat esse principes* [5] *Petrus de Ferrarijs qui se per speciem iuris à Pontificijs legatis compilari sinebant*. Multa etiam iampridem de Canonum Pontificiorum iniustitia & [6] *Iason*, & illius etiam Ecclesiæ Cardinalis [7] Zabarella conquestus est. *Captiones circa publicæ honestatis iustitiam, & exactionem debiti coniugalis: item leges circa matrimonia, & ieiunia, & ingressum religionis, & varietatem religionum*, *Ioanni* [8] *Seisello* viro docto admodum displicuerunt. easque liberiùs varijs in locis notarunt *Rebuffus*, & *Duarenus*.

[4] Matthias Paris.

[5] In practica.

[6] In concilijs compluribus.
[7] In C. nobis de iure patronat.

[8] Rebuff. in practic. Cancellar. Apostolic.

In disciplina etiam morum, ecclesia Romana multas habet turpitudines. nihil autem turpius, quàm quod passim per *Italiam*, & *Hispaniam*, & in ipsa Roma, quam vulgò sanctam vocant, publicè tamen habeantur lupanaria. nisi fortè illud sit turpius quod ex lupanaribus, & lupis *Italiæ* principes, imò & summi Pontifices vectigal habeant: neque tantùm oblationes earundem accipiant, sed etiam cum magno miserarum

rarum gemitu, & lachrymis duriter exigant, ex *Maranis* etiam, & *Iudeis* tributum colligunt, exiguáque pro pecunia Christi hostes ferunt, vsuras publicè apud istos mercatorum exercent societates. nam si *Iudeis* hoc permittunt, cur non & suis etiam permittant? vsuras [1] *Leo* decimus in concilio *Lateranensi* publico decreto vt diximus approbat. nec tamen ea in re errasse fatebitur *Bellarminus*. Simoniam tanquam mercaturam publicè excercent pontificis datarij, imò & ipsi pontifices: quo nihil cogitari potest sordidius. *Bonifacius* nonus ne in missarum quidem solennitate à contractibus huiusmodi simoniacis faciendis abstinuit, lucrum enim vel ex ipso altari suaue ipsi erat: [2] etiam moriens, valiturum se, si pecunias haberet, dixit. adulteria & scortationes inter minora habent crimina. pœnam ferè nullam adulterijs imponunt, scortationes liberè permittunt. in [3] *Hybernia, Norwegia, Portogallia* olim presbyteri alebant concubinas. Concubinas presbyterorum olim apud nos quidem grauissima pœna afficiebant. arcebant enim à pacis osculatione: quod genus supplicij illæ scilicet multum metuebant. incestas nuptias pro exigua pecuniæ summa ferunt, & cum ijs facilè dispensant pontifices Romani. virum propter crimen *Sodomiticum* non posse à se vxorem dimittere decidit valde magistraliter [4] *Innocentius*. hæc nempè illa est sancta doctrina quam docet ecclesia Romana, de cuius sanctitate gloriatur *Bellarminus*. his enim non adeò magnum crimen videtur illud propter quod *Sodomorum* ciuitas conflagrauit, paucíque sancti cælebes sine ista turpitudine reperiuntur. sed ijs qui honorabile coniugium legibus interdicunt hæc consentanea sunt. *Tolle enim* (inquit [5] *Bernardus*) *honorabile coniugium & thorum immaculatum, nonne reples* (ecclesiam) *concubinarijs, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni genere immundorum?* tot tantáque ex nuptiarum prohibitione secuta dicit scelera *Huldrichus Augustanus*, vt animus ea meminisse, nedum narrare refugiat. isti tamen omnia potiùs suscipient flagitia, quàm vt pudica ferant coniugia. omnis pontificiorum vita sceleribus est turpissima. audite quid nuper nobis nuntiarit [6] *Mercurius Gallobelgicus. inualuit* (inquit ille) *malitia, omnia vitiorum & fraudum genera increbuerunt: iustitia interijt: fides, pax, misericordia, pudor, veritas nusquam reperitur. boni prædæ & ludibrio habentur; soli mali opulenti sunt.* hæc est Romanæ ecclesiæ sanctitas. interim verò sanctissimus papa *Endymionis* somnum dormit, & aut nihil agit, aut malè agit. qualis enim ipse est tales ab ipso præficiuntur ecclesijs rectores, ô quanti (inquit [7] *Rebuffus*) adulatores, hæretici, ignari, stabularij, & coqui abundant beneficijs, & docti, & boni steriles, & omnibus bonis nudati sunt! hos igitur appellat capita inutilia, & infœlix

[1] Concil. Latter. sess. 10.

[2] De schismat. lib. 1.

[3] Theod. Niem. nemor. vnion. tract. 6. c. 35.

[4] In c. si sodomiz. de adulter. & stupr.

[5] Super cantic. ser. 66.

[6] In epistola ad Dettenum vicarium eccles. Cathedral. monasteriens.

[7] In praxi benefic. in c. requisit. ad bonam collation.

infœlix lolium ecclesiæ, filios *Belial, & perditissimos aulicos, & sanguinarios in summas ecclesiæ Cathedras intrudi queritur* [1] *Lindanus*. huiusmodi igitur cum habeant capita, & ijs viuant moribus in ecclesia pontificia; nunquam *Bellarminus*, si aliquid saperet, sanctitatem notam ecclesiæ faceret, aut sanctitatis meminisset. nam ex istis, & ijs quæ antè dicta sunt, constat, & doctrinam, & mores ecclesiæ Romanæ esse impurissimos.

1. Panopl. lib. 4. c. 77.

Religio verò ecclesiæ Romanæ licet externam habeat quæ mulierculas, & pueros capiat speciem, & pompam: nullam tamen habet solidam grauitatem. multæ in missa visuntur ceremoniæ, vestésque purpura & auro intertextæ, altaria & laquearia templorum auro fulgida, multæ bellæ & formosæ quæ sacerdotes oblectent mulierum imagines. fingitur quibusdam in [2] locis vir vastæ magnitudinis *Christophorus*, multíque alij minores sancti. interim tamen populus nihil intelligit. nam vt oculos & aures pascat; mentem pascere non potest. tempore Paschatis tanquam in scena omnes partes aguntur passionis. res enim comica istis videtur Christi passio. atque vt nonnullis agatur tragicè, mihi tamen materia hæc scenæ conuenire non videtur. isti quidem aliter censent. itaque & vnus [3] est qui Iudæ, alius est qui *Pilati*, tertius qui Christi partes agit. die resurrectionis vigiles ad sepulchrum dormiunt: tollitur ex sepulchro ligneum simulachrum. in festo purificationis circumferuntur candelæ: in die cinerum, cineres asperguntur. nam propter scelera admissa in lupercalibus (sic enim dicenda sunt quæ isti dicunt [4] *carnisprivia)* in cineres multi redigi merentur. recurrente festo *Nicolai*, pueri per forum discurrentes episcopi, & clericorum partes agunt. quod si vel vt pueri bimuli saperent, nunquam permitterent. sed habent illi nonnulla leuiora. vniuersæ enim huic ecclesiæ præest pontifex indoctus, & rerum sacrarum imperitus, quem tamen definiendo non posse falli credunt. ecclesijs præficiunt mutos vt plurimùm episcopos, & rectores, nonnunquam viros sceleribus contaminatissimos.

2. In sanctæ virginis templo Lutetiæ.

3. Hæc quotannis in pontificis visuntur capella.

4. Carneuale.

Ista à religionis grauitate aliena sunt: habent etiam nonnulla superstitiosa. missa enim superstitionis est epitome. & vitam produci, & lemures & morbos fugari, & quæstum obtineri ea tradunt. de exorcismis etiam, & vnctionibus suis superstitiosas habent illi sententias, cultus verò angelorum, mortuorum & imaginum plenissimus est superstitionis. coram illis enim totos dies procumbunt, vitam sibi, & omnia bona ab illis expetentes. nec delectus quidem ciborum apud istos superstitione vacat. [5] *Hieronymus* enim huiusmodi abstinentiam, *ineptias & superstitionem* vocat. hæresim hæc sapiunt, si *Hilario* credimus.

5. Ad Nepotian.

credimus. hæreticos enim ille reprehendit quòd [1] *sicco panis cibo viuerent.* [1] In psal. 84.

Legendæ pontificiorum refertæ sunt ineptijs, & mendacijs. nunc etiam historias suas, si historiarum nomen huiusmodi fabulis tribuendum est, ornant istiusmodi mendacijs. fabulosissimi apud istos in pretio habentur *Baronij Annales.* multásque narrat libenter *Bellarminus* fabulas. est [2] *Bozius* locuples author mendaciorum, & fabularum. narrátque nobis *Mercurius Gallobelgicus* multas fabulas. nec sine mendacijs & fabulis consistere potest Romana religio. hinc fluxere contumeliosissimæ pontificiorum de optimis principibus, virísque doctissimis fabulæ, & mendacia. mendax enim Diabolus, Romanáque religio plenissima est mendacissimis fabulis. maximéque apud istos habentur in honore, qui impudentissimè mentiuntur. hæc ego istorum vobis suo loco exponam, & refellam mendacia.

[2] In libro de signis ecclesiæ, vbi agit de miraculis suis, & hominibus nostris.

Habent denique complures admixtas nugis blasphemias. *Franciscum* suum ita venerantur:

> [3] *Francisce Iesu Typice, duxq́, normaq́, minorum*
> *sedes nobis perpetuè da regni cælorum.*

[3] In lib. conformit. Francisc.

Sanctissimum nomen Iesu huic stolido fraterculo tribuunt: ab eóque æternam vitam flagitant. *Blesiæ* apud *Gallos* hoc pro templi foribus scriptum exstat de *Francisco* iuxta ipsius in muro depictam imaginem elogium; *quæretur peccatum illius, & non reperietur.* itáne verò? quæ Christo propria sunt, nec in homines cadere possunt, ea homuncioni multis infirmitatibus obsepto tribuentur? nec tantùm de *Francisco*, sed etiam de eius familia blasphema loquuntur. [4] *Franciscum enim cum grege suo in vulnere lateris Christi in cælis delitescere fingunt.* eidémque stigmata Christi impressa impudenter mentiuntur. hoc enim [5] *Gregorius* nonus, *Nicolaus* tertius, & *Benedictus* duodecimus bullis suis aureolis literis descriptis confirmarunt. *Alexander* quartus, & *Gregorius* nonus hæc stigmata credebant ipsi, & contraria credentes, vt hæreticos multandos decreuerunt. narrant etiam illum suum *Franciscum* Christum quadam nocte in vlnis suis virgine *Maria* astante tenuisse. mutata enim specie apud istos Christus repuerascere solet. fictitium enim corpus Christo tribuunt, & eum non tantùm in vlnis *Francisci*, sed etiam in sacramento nonnunquam altaris comparere asserunt.

[4] Lib. conformitat. Francisc. fol. 230.

[5] Ibidem.

[6] Similes etiam de suo Dominico, & alijs suis sanctis effutiunt blasphemias. hunc enim lepidum fratrem vnà cum suis fraterculis sub chlamyde beatæ virginis in cœlis habitare narrant. Christum ijdem quodam tempore

[6] Antonin. hist. 3. tit. 24. § 10.

tempore iracundia elatum mundum constituisse perdere fingunt, nisi beata virgo intercessisset, & hunc Dominicum, & Franciscum, se ad concionandum emissuram promisisset. faciliùs dicunt ad cælum iri per Dominicum, quàm per Apostolum *Paulum*. ita enim ascribitur *Venetijs* in muro templi diui *Marci*. sed quid miremur eos Dominicum *Paulo* prætulisse, cum non dubitent eum etiam Iesu Christo anteponere? Christum enim dicunt comedisse agnum Paschalem tempore quadragesimæ, quod illi non rectè factum subinsinuant: Dominicum verò aiunt per totam quadragesimam, in pane & aqua ieiunasse. quare cum huiusmodi sit religionis Romanæ facies, missam faciat *Bellarminus* sanctitatis ostentationem. nam in huiusmodi doctrinæ corruptelis, in lupanarium & concubinatus & vsuræ defensione, in superstitione, mendacijs, & blasphemijs nulla potest esse sanctitas.

[1] Romanæ ecclesiæ doctrinam nō esse efficacem.

[1]Nec causa quidem est, cur isti in doctrinæ pontificiæ efficacia multùm confidant. neque enim hæc quam pontifices Romani nunc profitentur religio & fides, nec qua illa nititur doctrina, aut valde probata fuit, aut cupidè recepta. contentio enim de primatu, in quo [2] fundatur horum omnis fides, Orientalem ab Occidentali ecclesia distraxit, imperatorésque Romanos & florentissimas resp. à Romana ecclesia alienauit; nec nisi post cruentas rixas, & contentiones primatus recipi potuit. *Augustino* [3] monacho eiúsque superstitiosæ doctrinæ restitit quantùm potuit hæc nostra *Britannia*, nec nisi cæsis, & armorum potentia subactis viris pijs admitti potuit. huic etiam inexhaustæ Romanæ sedis auaritiæ, & tyrannidi se opposuerunt *Angli, Galli, Germani, Hispani*, & aliæ nationes. nec ad nostra vsque tempora vel Roma ipsa iugum pontificum Romanorum accipere voluit. leges etiam Romanæ ecclesiæ multa regna Christiana auersata sunt. adeò vt nisi armis plus quam efficacia doctrinæ pontifices valuissent: nihil certè ipsi, nec qui eorum partes sequuntur fraterculi, efficere potuissent. Pontifices Romani, inquit [4] *Machiauellus, primùm censuris, deinde armis, postremò indulgentijs, & terrorem sui, & venerationem hominibus incusserunt*. quis enim non veneretur pontificem multis legionibus stipatum? quísque non miretur religionem tam efficacem? ex *ruinis etiam* [5] *Romani imperij creuerunt*. nam quod imperatores in *Italia* amiserunt, eius isti partem magnam, cum hostibus imperij conspirantes, interceperunt, rebellionísque mercedem *Galliam Picenam* quam *Marcham* vocant nunc *Anchonitanam* poposcerunt. armis *Gallorum* primò, deinde & *Germanorum* latè pontifices isti superstitionem suam propagarunt. nec alia ratione, quàm armis illa religio multos annos stetit. armis enim & *Valdenses*, & *Bohemos* oppresserunt pontifices Rom. armis nunc

[2] C. vnam sanct. extr. de maior. & obedient.

[3] Bedæ. hist.

[4] *I papi prima con censure, dipoi con quelle, e con le arme insieme mescolate con le indulgentie erano terribili, e venerandi.* Machiau. histor. florent. lib. 1.

[5] *Lo imperio Romano rouinò piu tosto, e la chiesa Romana piu tosto crebbe.* Ibidem.

nunc etiam *Hispanorum*, & rerumpublicarum perturbatione, & subditorum aduersus principes rebellione, & principum cæde sedis suæ prærogatiuam & doctrinæ Pontificiæ sordes defendunt. eáque in re valdè efficacem doctrinam habent. nam dum *Rossæus*, *Rossæique* similes homines nefarij principes legitimos, qui contra Romanam Ecclesiam sentiunt, trucidandos, & bello persequendos, omnésque tyrannidem Pontificis auersantes ferro, & flammis tollendos esse docent; multos mortales miserum in modum iugularunt, regnáque multa potiùs euerterunt, quàm conuerterunt. quam illi efficaciam, si probauerint: erit *Mahometis* doctrina, Romana superstitione multò præstantior. nam si spatia locorum spectaueris, multò latiùs propagata est: si hominum multitudinem, multò plures *Mahometem* sequuntur quàm Pontificem: armísque Pontificijs plùs possunt. hæc impietas vniuersam ferè *Asiam*, & *Africam*, & *Europæ* partem nobilem amplexa est, Romanæ verò Ecclesiæ superstitio, in *Europa* angulum retrusa est,

At inquit *Bellarminus*, vera Ecclesia habet doctrinam conuertentem animas. esto. nihil tamen hoc ad Ecclesiam Romanam pertinet, quæ nec vera est, nec habet illam doctrinam animas conuertentem; sed corpora potiùs & animas perdentem. armis enim & cruciatu corpora piorum lacerant, animas suorum teterrima hæreseôn labe inficiunt,

Dicit præterea, *Christum olim per Apostolos, & eorum discipulos, homines si externam speciem formam contemptos, & abiectos, potentia sermonis orbem conuertisse.* quod nos libenter fatemur. erat enim illa doctrina vera, & ab istorum superstitione & hæresi immaculata, & animas verè conuertens, sed multùm interest inter Apostolos, & Romanos Pontifices; inter Apostolicam doctrinam, & Pontificios errores. illi homines erant, vt *Bellarminus* fatetur, externa specie contemptibiles, & sine armorum terrore, sano sermone, & prædicatione, homines ab insania *Paganorum* ad Christianam religionem conuerterunt: Pontifices autem Romani illius diuitis lurconis, cuius in Euangelio fit mentio, & cuius morientis ad inferos anima delata est, similiores sunt, quàm Apostolorum. nam & vestiuntur splendidè, gemmísque illis tyara splendet; cocco etiam & purpura, & byssinis vestibus, & triplici corona ex auro & gemmis insignes sunt. nec docent illi, sed in Ecclesia prorsus muti sunt: contrà verò ad docendum vicarios & legatos sibi constituerunt, qui ad omnem herbam viridem deuorandam euolarunt ex locustarum genere *Iesuitas*, & alios fraterculos, qui Apostolica fide oppressa errores Pontificios, & idololatricos disseminent, homínesque credulos à Christi

fide ad perfidiam abducant. interim ne ipsi nihil agant, bella miscent, milites legunt, sicarios conducunt, coniuratos animant, hominésque mactant; quidem multos, conuertunt nullos, regna euertunt, non ad religionem adducunt.

Commemorat etiam *Bellarminus Anglos, Francones, Germanos*, & post annum Domini 900. *Vandalos, Bulgaros, Sclauos, Polonos, Danos, Morauos, Hungaros*, & *Noruegiæ* populos, postremò & *Indos* in extremo terrarum orbe per Pontificis emissarios ad Christum conuersos fuisse. quod quidem *Verstegano*, quisquis ille fuit, ita placuit, vt hanc multorum populorum conuersionem in illo suo speculo spectandam exhibuerit. sed toto errant cælo, si vel nationes istas omnes à Pontificibus Romanis conuersas, aut quas eorum emissarij conuerterunt, eas ad Christi veram fidem conuersas putent. orbis enim ad Christianam religionem conuersio Apostolorum prædicationi, non Pontificum Rom. procurationi accepta ferenda est, credo enim ego potiùs sacris literis, quàm Pontificum scriptis. testificantur enim illæ [1] sonum Apostolicæ prædicationis in extimos terræ fines exiuisse. nec dubitandum est Apostolos secundùm mandata sua à Christo sibi data omnes gentes docuisse. quod & Apostolorum acta, & historiæ etiam Ecclesiasticæ docent. comparantes enim inter se Apostoli, & ipsi per orbem peregrinati Euangelium docuerunt, & ab ijs missi discipuli pro se singuli strenuè officio prædicationis functi sunt. atque hæc populorum conuersio tum facta est, cùm Pontificia superstitio adhuc nata non esset, nihilque aliud Episcoporum Romanorum quàm nomen auditum esset. quod si posteà quàm radices egisset in illa Ecclesia superstitio, & idololatria aliquos populos suæ religionis prauæ fermento infecerit Pontifex Romanus, quid ea re ampliùs fecit, quàm *Mahometis* discipuli, cuius impios errores maxima iam orbis pars amplexa est, & magna pertinacia sequitur? populi religionis expertes facilè ad quamuis religionem amplectendam impelluntur. *Tartari Mahometis* dogmati pestifero citò se submiserunt. *Gothi Arrianos* sequuti sunt Episcopos. hac tamen in re Pontificia religio, & *Mahometica* impietati, & *Arriana* hæresi cedit. nam licèt multos iam annos *Iesuitæ*, & alij fraterculi *Indis* dogmata Pontificia proposuerint; paucissimi tamen ex illis [2] fidem illis habent. tantúmque à Christiana religione absunt, vt præter campanas, & cruces, & externas cæremonias nihil habeant quod religionem vllam sapiat. pluresque *Indos* [3] *Hispani* vno anno trucidarunt, quàm per vniuersam *Indiam* nunc reperiantur, qui quoad externam speciem dicuntur Christiani. clàm enim sacrificant diabolis, nec in corde vllum Christianæ religionis sensum habent. nisi *Iesuitarum* portentosis

[1] Rom. 10.

[2] Hieronymus Benzo.

[3] Bartholomæus à Casis.

portentosis credamus mendaciis; nihil per multos annos in *Indijs* factum est, quod vllum Pontificiæ religioni honorem conciliare possit.

Quòd multi Romanæ superstitioni per hos octingentos annos subscripserint, nihil mirandum est, ea est enim veræ religionis efficacia, vt eam multi etiam cum erroribus imbibant: Romanamque Ecclesiam probent, licèt nihil nunc sit illa, nisi veteris Ecclesiæ nudum nomen, & imago. multa tamen habet illa quæ multos mortales à Christianæ religionis amore auertunt, vt apertam idololatriam, & tyrannidem Pontificis, & cæremoniarum vanitatem. huc etiam addendæ sunt ineptiæ, & præcipuorum capitum Ecclesiæ Pontificiæ insignia scelera. nunquam *Iudæi* illam fidem amplectentur, vbi contra Legem Dei coli vident simulachra. eodem nomine etiam *Turcæ* à Christianæ religionis amore abhorrent, multi etiam Romanam Ecclesiam oppugnarunt propter Pontificum tyrannidem. *Indis* magno erant scandalo *Hispanorum* flagitia, adeò vt dixerint ex illis nonnulli, quò illi post hanc vitam proficiscebantur, se nunquam profecturos: nec vel *Hispanorum* sæuitia, vel Monachorum fraudulentia ad religionem Rom. amplectendam adduci potuerint.

Desinant igitur doctrinæ suæ efficaciam Monachi isti iactare, nam adeò parum efficax est, vt nisi armorum proposito terrore, & Monachorum perfidia, & Pontificis Romani summa immanitate defensa esset; iampridem in multis locis extincta fuisset. tanta certè quotidiè hominum mentibus oboritur veritatis lux, vt vehementer confidamus futurum, vt depulsis Pontificiæ superstitionis tenebris propediem lamententur, qui nunc soli in acie versantur Monachi, & arma sua aciem, & doctrinam illam suam omnem vim, & efficaciam perdidisse.

[1]Gloriatur etiam multùm *Bellarminus* auctores religionis Romanæ viros fuisse sanctos. commemoratque non tantùm Apostolos & Patres, sed etiam Patriarchas *Iudæorum* & Prophetas. istos enim omnes inter Romanæ superstitionis auctores recenset. sed nihil aliud facit, quàm vt in tantorum virorum auctoritate Pontifices Romani qui huius superstitionis veri auctores videntur, delitescant. ab Apostolis delapsus statim ad *Franciscum*, & *Dominicum*, quasi incisis successionis istius gradibus, descendit. miror quòd non etiam *Ignatij Loyolæ* illius claudicantis militis. & primi sectæ *Iesuiticæ* auctoris meminerit. quódque Romanos istos postremos Pontifices, & aliarum nouarum religionum architectos viros etiam in fundanda Romana religione primarios silentio

1 Auctores dogmatis & religionis Pontificiæ non fuisse viros sanctos.

tio præterierit, num illum iam Pontificum suorum, & auctorum suæ religionis subitò pudere cœpit? nihil certè hac vniuersâ huius Monachi disputatione magis ineptum, & insanum. nunquam enim ille, nisi planè deliraret, aut à Patriarchis aut Prophetis repeteret suæ religionis originem. quæ enim eorum esset sententia, ex Scripturis didicimus, isti autem Scripturis neglectis in somnijs, & traditionibus, suam fidem fundarunt. propterea non ab *Abrahamo*, sed à *Petro* reliqui Pontificij genus suum ducunt, sed nec in *Petri* quidem nomine, aut doctrina aliquod illis inest præsidium. nam nec *Petrus*, nec ex Apostolis aliquis aut imaginum cultum, aut Missæ cæremonias, aut Pontificis vniuersalem potestatem, aut constitutiones tradidit decretales, in quibus nerui religionis Pontificiæ consistunt. nec doctrina Pontificia ab Apostolis fluxit. Nam, vt [1] *Tertullianus* de hæreticis verba faciens loquitur, *doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diuersitate, & contrarietate pronuntiat, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque viri Apostolici.* dominatum in hæreditatem Domini prohibuit *Petrus*; isti quasi illum mandasset, ita diligenter ad hunc dominatum summum affectant viam. obedientiam suasit *Petrus*, isti rebellionem & bella inflammant. æternam vitam esse donum Dei, docet Apostolus *Paulus*; isti operum meritis vitam æternam acceptam ferunt. coniugium esse honorabile dogma est Apostolicum; isti pollutionem esse docent. omninóque doctrinas dæmoniorum de cibis & nuptijs contra Apostoli præcepta amplexi sunt. de Christi sacerdotio, regno & prophetia Apostolicam sententiam isti repudiarunt. nequicquam igitur *Bellarminus* hos dogmatum Pontificiorum iactat authores. ne autem deinceps erret, ostendam ego illi qui sint religionis Pontificiæ auctores; quamuis non putem illum hoc ignorare, sed hanc ego ab illo inibo gratiam, vt quod ipse probè nouit, illud ei in memoriam reuocem.

[1] De præscript. a duers. hæret.

Qui prima fundamenta huius religionis quæ nunc obtinet, posuerunt, ij sunt Pontifices Romani. ab ijs enim leges latæ sunt, quibus illa vniuersa religio continetur. ab eisdem etiam in Ecclesiam & cæremoniæ, & ritus superstitiosi contra Christi, & Apostolorum regulam inuecti sunt. isti primùm fraudibus, posteà armis tyrannidem in Christianorum ceruicibus collocarunt. nihil habet Ecclesia Romana, quod nobis displicet, quod non ab illis profectum fuerit. meritò igitur isti dicendi sunt auctores religionis Romanæ, eam enim ipsi & nouam efformarunt, & subinde interpolarunt. nec dubitandum est quidem, hæc ita esse. nam & decreta & epistolæ Pontificum decretales, ad quos auctores singula Ecclesiæ illius dogmata referenda sunt, docent. postea

vero subingressi sunt in ecclesiam fraterculorum greges ducibus Dominico, & Francisco, Clara, *Paulo 4*, & demum *Ignatio Laiola* & fratre, & milite. qui etsi religionem Romanam, non parum solidè ædificatam reperissent, doctrinæ tamen fontibus adhuc ferè puris corrumpendis strenuam operam nauarunt, ab his mendacia, & legendæ, & multiplices superstitiones profectæ sunt. tertium vero locum merentur scholastici doctores, qui quod lege pontifices confirmarant, & fraterculi hypocrisi sua populo commendarant, illud philosophiæ & dialecticæ argutijs defenderunt. cum istos in manibus & oculis haberet *Bellarminus*; cur illi alios religionis suæ authores desideraret? isti enim belli sunt huius nouæ religionis authores. præsunt pontifices quasi architecti; his proximi numerantur monachi tanquam fabri. nam quæ mandant pontifices, ea isti fabricantur: interpolant omnia scholastici; Iesuitæ, & monachorum, & scholasticorum munus obeunt.

Sed vt fuerint isti Romanæ superstitionis authores, & architecti; negamus tamen, quod *Bellarminus* tantopere sibi concedi postulat, sanctos fuisse. nam nec fidei illis doctrina sancta est, nec morum disciplina. qui enim potest illa doctrina sancta dici, quæ ab hominibus sacerrimis vt plurimùm inuenta, & ex malè cohærentibus partibus consarcinata est? hoc enim vitij in Romana religione primùm animaduertimus; quòd eam ex traditionibus fundant, & pontificum Romanorum interpretationibus. traditiones autem istæ partim in moribus ecclesiæ Romanæ, partim in *Gregorij* noni, *Bonifacij* octaui, *Clementis* quinti, *Iohannis* vicesimi secundi, & aliorum pontificum Romanorum constitutionibus fundamentum habent. his colorem addiderunt scholasticorum insulsæ disputationes. Magnam autem gratiam addiderunt monachorum mendacia, & legendæ. ex huiusmodi autem fabulis & mendacijs & hominum malè sanorum somnijs qui religionem fabricati sunt, non multùm illi de sanctitate laborasse videntur. sancta est enim illa religio quæ in sanctissimo Dei verbo in Scripturis tradito nititur. quam isti non multùm curasse videntur. Scripturæ *Leoni* decimo fabulæ videbantur. reliqui omnes pontifices minimam decretalem vniuersis Scripturis anteponunt. ad decretales, imò & philosophorum sententias scholastici Scripturas inflexerunt: multis peruersis sententijs fontes religionis aut obturarunt, aut corruperunt.

Mores etiam habent ab ista quam tantopere iactant sanctitate alienos. miror non puduisse *Bellarminum* cum tot Romæ videret pueros pathicos, meretricumque greges, tantámque vrbis licentiam, & turpitudinem de sanctitate authorum Romanæ religionis loqui. num ipse in

lupanaribus sanctitatem, aut pudorem, aut pudicitiam esse putat? aut qui infandas illas libidines, & fœneratorum societates, & tantam omnium scelerum licentiam permittunt, sanctos appellabit? frustra ille contra tot historias, & oculatos testes contendit. nam nisi & literarum monumenta delere, & oculos illis qui viderunt effodere possit; nunquam efficiet, vt pontifices Rom. sancti esse credantur.

Viri sancti nunquam sibi aut nomen Dei, aut diuinos arrogarunt honores: nec religionis quidem tam exiguam curam habuerunt, aut publica permiserunt lupanaria, aut se omnibus libidinum generibus polluerunt: præterea oblatos honores potius recusarunt, quàm ambitu, & simoniacis pactis quæsiuerunt: nec pecunias illi ex fœnore & stupro, & rapinis, & sacrilegijs, & pauperum lachrymis corraserunt. nec denique solent viri sancti quicquam aut in religione impium, aut in moribus fœdum probare. Romani vero pontifices in contrarium palmam obtinent. impudenter enim sponsi, & capitis & fundamenti ecclesiæ, imò Dei nomen sibi arrogant, plúsque honoris defertur pontifici, quàm hostiæ consecratæ,[1] quam secum deferre solet. ipsum enim complures comitantur, & satellites, & nobiles: hostia asino claudo imponitur, quem tardus inter[2] calones, & lixas agit agaso. ex cæremoniarum legibus omnes coram pontifice in genua procidere tenentur.

[1] Cærem. pontific. 1. sect. c. 3.

[2] Monluc. de religione.

Religionem, sanctissimáque templa certè isti parùm curasse videntur. [3] *Gregorius* septimus templum Imperatoris cædi destinauit. *Iulianus Medicæus* in coniuratione *Pactiana* ex pontificis mandato in medio templo confossus est: signum autem quod coniurati expectabant erat eleuatio hostiæ.[4] in calice datum est *Henrico Lucemburgico* venenum, hostiam consecratam in ignem coniecit *Gregorius 7.*

[3] Benno Cardinal.

[4] Volateran. Geograph. lib. 5.

Scripturas pro arbitrio, ad suam tyrannidem stabiliendam detorquent omnes. eisdémque traditiones æquant, legúntque in ecclesijs legendicas nugas. Vsuras publicè lata lege probarunt, & easdem sæpe exercuerunt. ne lupanaria quidem claudunt, nec lupercalia vetant; nec quicquam dictu aut factu fœdum putant, quod libido suadet.

Ingrediuntur nonnunquam in sedem vi, plerúmque autem fœdissimo ambitu: ingressi aut voluptatibus fœditate, aut tumultibus orbem replent, nonnulli sicarios ad principes trucidandos emittunt, nulla illis fides, aut religio. [5] *Clemens* septimus periuros subornauit & falsos testes qui se legitimis nuptijs natum iurarent, licet omnes contrarium nossent. idem pactam cum [6] *Cæsarianis* fidem statim violauit. de *Alexandro* sexto iam diximus, vt omnia complectar breui, si quis impietatis, hæreseôs, igno-

[5] *Fu bastardo, auchor che prouato fosse il contrario. Guicciard. lib. 2.*

[6] *Viola la fede. Guicciard. lib. 13.*

ignorantiæ, periurij, & perfidiæ, incestarum libidinum, rapacitatis,& crudelitatis barbaræ exempla cupiat, non alibi, quam inter pontifices Romanos quærendum videtur.

At fatetur (inquit *Bellarminus*) [1] *Lutherus, &* [2] *Philippus, & alij, Dominicum, & Franciscum viros fuisse sanctos*. fac confessos esse: non tamen inde sequitur, authores religionis Rom. viros fuisse sanctos. nam non isti religionis Romani præcipui erant authores. nouas quidem illi multas excogitarunt, & inuexerunt superstitiones, & nugas, fontésque religionis iam antea corrumpi cœptos multo cæno turbarunt, sed in huius ædificij fabrica & ædificatione fabrorum illi potiùs, quàm architectorum, & authorũ munere functi sunt. summis enim pontificibus ad eorum stabiliendam dignitatem, hypocrisim & linguarum suarum confidentiam locarunt. Præterea vt fassi sint ex nostris nonnulli, illos sanctitate illustres fuisse, nihil tamen aliud inde consequitur, quàm ita illos de illis existimasse. sed nec verum est illos ista sic confessos esse, nec si confessi essent, verum est. De *Luthero* falsum retulit more suo *Bellarminus*. perlegi enim locum diligenter, nec aliquid eius quod ille dicit reperio, nec potui ego vspiam in *Philippi* tabulis hoc *Bellarmini* testimonium videre.

[1] De captiu.Babylon.c.2.
[2] Apol.art.5. & 17.

Nec sanè verisimile videtur, nostros horum sanctitatem probasse. fuêre enim vtrique superstitiosissimi. mirum autem quantum inter superstitionem,& veram interest religionem. fuit etiam Dominicus crudelis & ferus. [3] bello enim illi quod pontifices Romani contra *Albigenses* gesserunt, non interfuit solùm, sed etiam præfuit. classicum enim cecinit, & multis miserorum millibus interficiendis author erat. nihil autem huiusmodi veri Christi Apostoli gesserunt, nec manus suas infantum, fœminarum, senum, & innocentum cæde polluerunt. nec quæsitorum sæuitia homines excruciandos & mactandos, quod Dominicus fecit, sed verbo salutari conuertẽdos putarunt. *Franciscum* autem sanctam *Claram* secum circunduxisse ne minores quidẽ, qui hunc authorem habent, negant. ijdem etiam sublimem eum sine pennis, nonnunquam ad summos fagos, nonnunquã in medias nubes volasse narrãt. quod non nisi ope diabolica præstari potuit. ineptiarum eius & superstitionum multi libri pleni sunt. neque tamen vt non fuerint boni, ad posteriorum monachorum malitiam & sordes dicam peruenisse. si igitur hos laudare voluerit *Bellarminus*; sic eos laudet, vt *Leonem* 10. *Guicciard*. *Dicit enim illũ bonum fuisse principem, sed non quod ad* [4] *bonitatẽ apostolicã peruenisset, sed quod aliorum malitiã, & improbitatẽ non superasset*. sic etiã istos bonos fuisse fraterculos dicat, nõ

[3] In eius vita & Paul. Æmilius.

[4] *Buon' principe: non di bontà apostolica, ma non trapassando la malignità d'altri. Guicciard. lib. 16.*

quòd virorum bonorũ officia perfectè coluissent, sed quod à reliquorum, qui nunc viuunt monachorum, & summorum pontificum sceleratis moribus alieni essent. *Franciscus* enim asinos fratres, & aues sorores salutabat; isti diris deuouent fideles christianos: illi religio erat pulices & muscas interficere: isti multa virorum bonorum millia crudelissimè trucidanda procurarunt, sicariósque ad optimos viros trucidandos conduxerunt, illi in ineptijs instar idiotarum vitam detriuerunt; isti sceleribus Romanam sedem nobilitarunt.

Supersunt etiam scholastici doctores, qui in ecclesiæ Rom. religione exædificanda non exiguam operam nauarunt, quos tamen propter sanctitatem nullus magnopere laudandos censet. habet etiã *Bellar*, quod nobis gratias agat, quod non eos vituperemus, valdè enim merentur. Philosophiam enim in Theologorum spatia introducentes, & ex decretalium principijs concludentes magnas in religione hominũ mentibus tenebras offuderunt. *Erasmus* suo tempore illos disputare cœpisse dicit, [1] *an Papa possit abrogare id quod scriptis Apostolicis decretum est; an possit aliquid statuere quod pugnet cum doctrina euangelica: an possit nouum articulum condere in fidei symbolo: vtrum maiorem habeat potestatem quam Petrus, an parem; vtrum possit præcipere angelis: vtrum possit vniuersum purgatorium tollere: vtrum simplex homo sit, an quasi Deus vtramq; participet naturam cum Christo: an clementior sit quam Christus, quod is non legatur quenquam à purgatorij pœnis reuocasse: an deniq; solus omnium non possit errare?* Proximè post pontifices Rom. fraterculorum sectæ & scholasticorum familiæ religionem christianam multiplici labe infecerunt. à Carmelitis prodijt nouum euangelium quod illi æternum dixerunt, quoque diabolus æternũ Christi euangelium abrogare conatus est. hunc tamen plenissimum blasphemiarum librum & [2] *Gregorius* nonus, & alij pontifices approbarunt, grauitérque *Gulielmo de sancto amore*, qui illud scriptis suis oppugnauit, succensuerunt. à *Bonauentura* Psalterium *Dauidis* turpissimè in laudes virginis transformatum est. missalibus suis & legendis mendacibus, si quid superfuit in religione integrum illud demum corruptum est. cum igitur hos habeant illi religionis suæ authores, & ecclesiæ suæ columnas, & fundamenta, habet *Bellarminus* quod de sanctitate authorum religionis suæ glorietur. *Gregorius* enim nonus decretalium ille compilator vix prima religionis elementa tenuit. hic loco Christi euangelij aliud nouum à Carmelita quodam inuentum euangelium supponere voluit, *Francisci* commenta idem approbauit. cum *Mathias Parisiensis* sanguisugam appellat. bello & anathemate *Fridericum* vexauit, cum Turca consilia contra illum communicauit, [3] Iudæis multa priuilegia tribuit: *Cyrilli* reuelationem calculo

[1] Annotat. Eras. in nouum Test. in 1. Tim. 1.

[2] Mathias Parisiensis.

[3] Mathias Parisiensis.

calculo suo comprobauit. *Bonifacius* verò octauus sexti decretalium libri author dolo prædecessorem suum pepulit, eúmque in carcere necauit, mores coluit leoninos, vngues tamen habuit aquilinos, bello magis quàm religioni deditus erat, & vt homo omnis diuinæ misericordiæ sensus expers in rabiem versus mortuus est. Proximum sanctitatis gradum merentur *Clemens* quintus, & *Iohannes* vicesimus secundus, qui etiam magnæ parti religionis Romanæ authoritatem suã accommodarunt. de eo scribit *Vrspergensis* publicum fuisse illũ fornicatorem. hunc de animarum statu malè sensisse diximus, fuere vtrique bellatores, [1] moribúsq; impurissimis. non sunt igitur authores religionis Romanæ, vt prædicat *Bellarminus*, propter sanctitatis opinionem clari.

[1] In vita Petrarchæ, & canto 106. & sequent.

Deest etiam ecclesiæ Romanæ ea quam tot locis nobis obijciunt, & iactant pontificij [2] miraculorum effectrix facultas. nam quæ nobis ex legendis, & Iesuitarum commentarijs Indicis, & ex *Cæsaris Baronij*, & *Bozij* fabularum plenissimis libris narrantur; miranda sunt potiùs mendacia, quam miracula. nonnulla etiam ridicula sunt & inepta, quibus nemo credit, nisi cui nares mucco plenæ sunt, & caput cerebro vacuum est. De *Georgio*, *Christophoro*, & *Catharina* ea narrant, quæ omnes tacent eorum temporum scriptores; adeóque in circumstantijs errant, vt omnibus mendacium subolere possit. [3] *Dicunt enim draconem quendam mirum in modum voracem*, nescio qua in mundi plaga, *extitisse, eúmque omnibus cuiusdam regionis voratis bobus, & ouibus etiam, & tandem ferè hominibus, nonnisi regia virgine placari potuisse. Draconem autem illum tandem à Georgio superatum, & puellam illum postea tanquam canem mansuetum in vrbem secutum esse fingunt.* superato enim dracone *Georgius* puellæ mandauit, vt zona in collum draconis iniecta illum in vrbem duceret, vt haberet tanquam catellum quicum se oblectaret: nostri tamen omnes credunt draconem hunc lancea *Georgij* confixum occidisse. *Petrus de Natalibus*, non ignobilis legendarum author, *Georgium peditem cum dracone congressum vno ictu caput eius, quod vix quatuor boum paria trahere potuerunt abscidisse tradit:* ictu sanè horrifico & mirabili. *Dicunt præterea hunc Georgium post signum crucis factum ab epoto veneno illæsum euasisse, eundémque cùm in sartagine* instar ostreæ *frigeretur, occidi tamen non potuisse.* sed sanè magnam oportuit esse sartaginem, quæ tantum virum continuit.

[2] Non habere ecclesiam Rom. potentiam, & donum operandi miracula.

[3] In legenda aurea.

[4] *Christophorum hominem fuisse procerum, & valdè magnum aiunt. regem enim Dagnum,* nescio quem, *eius aspectu præ metu ad terram concidisse.* adeò metuisse dicitur viso homine duodecim pedes longo? sed quis iste fuerit *Dagnus*, & vbi regnarit, & quomodo verisimile est,

[4] Legenda Christophori.

quem intueri præ formidine non est ausus, eum supplicio affecisse, ne apud legendarum quidem authores legi. Dicunt tamen *hunc quandoque diabolo seruitutem seruisse, posteà verò factum esse christianum, & loquutum linguis quas nunquam didicerat, & octodecim hominum millia vno tempore conuertisse. tantas autem eius prædicant fuisse vires, vt à quadringentis hominibus ligari non potuerit. hunc tamen rex imbecillus Dagnus comprehendit*, vt aiunt, *& morte affecit. cum autem morte afficiendus esset, & sagittis configendus, videte quid contigerit. sagittæ quas in illum dirigebant, à bono aliquo angelo auertebantur. vna autem fortiter in illum recidens magno impetu resiliyt, & regi oculum excussit.* quæ omnia à Romana ecclesia creduntur. scripta sunt enim in legenda.

[1] In Dominici legenda.

[1] De *Dominico* adeò multa narrantur miracula, vt non pudeat istos *Plura illum fecisse, quàm Christum*, dicere. *Osculo manus Dominici adolescenti cuidam omnis concupiscentiæ, qui illum affligebat, ardor extinctus fuisse dicitur. Rainerium verò sodalem non tantùm à morbo, sed etiam à concupiscentia carnis sanauit.* quòd sanè magnum est miraculum. Pauci enim ex illis reperiuntur claustralibus, qui non isto morbo vtuntur. eius libros in flumen cadentes post duos dies à piscatoribus exceptos (admordebant fortasse illi hamum) & illæsos fuisse narrant. multos ille à morte etiam ad vitam reuocasse dicitur. sed quid mirandum est, si *Dominicus* miracula fecerit, cum eius stolam dæmones fugasse affirment?

[2] In legend. & libr. conformitatum Francisci cum Christo.

Fuit etiam (vt ipsi aiunt) [2] *Franciscus* magnus miraculorum artifex. nam & aquam in vinum signo crucis conuertisse, & supra fagos summos; imò supra nubes sine pennis volasse, & hirundinum garritum compescuisse voce dicitur. vtinam sanè nunc idem viueret, & hunc suorum sodalium, & Iesuitarum contra principes garritum, seu potiùs latratum compesceret.

Margaretam etiam tradunt *diabolum quendam capillis arreptum* (non enim fuit ex genere rasorum diabolorum) *ad terram instar congri affixisse, & exossasse.* Hæc enim vna est ex Romanæ ecclesiæ traditionibus, quam pontificij firmiter credunt. ex eisdem etiam discere potestis eandem sanctam, *à quodam dracone integram, & viuam absorptam, per latus eius quasi per rimam egressam esse. Draconi enim signo crucis ventrem fregerat.*

[3] In legenda Margaretæ.

Alia quædam [3] *Margareta* sexu *ementito oberrans, cum eam virum crederent, facta est monachus, seu saltem monacha*, vt illi aiunt, nihil enim præter auditum in legenda habeo. hanc dicunt *à quibusdam filijs Belial accu-*

accusatam fuisse, quòd mulierem quandam compressisset. sed nisi reuera compresserit, & grauidam fecerit, nullum ea in re video miraculum. nam & *Gilberta* quædam nomine *Iohannis* non abbas, sed summus pontifex facta est. neque tamen aliquam compressit, sed ab alio quodam compressa, & à nemine accusata, publicè pariens seipsam prodidit.

Narrant etiam [1] legendarum authores quiddam horrendum dictu de *Crispino* & *Crispiniano. nam cum eos carnifices fustibus cæderent, subitò, nescio quomodò, fustes ex carnificum manibus euolantes, spontéque sua in carnificum oculos incidentes, illos excæcarunt,* vt multi monachi sacramento affirmare parati sunt. eosdem etiam narrant *Ad saxa magni ponderis alligatos, & in flumen proiectos cum saxis aqua summa innatasse.* quis scit vtrum lapides illi in suber, aut aliud ligni genus conuersi sint? qui enim non possunt æquè lapides in lignum, vt panem in carnes conuertere?

[1] Petrus de Natalibus.

Quendam verò sanctum [2] aiunt, (nescio vtrum sit ex Calendarij sanctis, sed nisi sanctus esset, quid illi in legenda ventio erat) illum inquam sanctum aiunt, *filios suos iugulasse, vt amicum quendam suum eorum sanguine à lepra curaret.* sed hoc scelus est potiùs, quàm miraculum, nouúmque medicinæ genus ad curandam lepram. quod autem sequitur, *cum amici sui precibus filios suos quos ille iugulasset saluos recepisse,* non tam miraculum est, quàm miraculosum mendacium.

[2] In vita Amelij.

Narrant etiam [3] *Amanum* quendam obscuræ notæ sanctulum *in oppugnatione cuiusdam vrbis, cùm alia arma non haberet quibus hostes propulsaret, in eos sub murum succedentes conspuisse. ex cuius sputo* (dictu mirabile) *tantus decidit imber,* vt aiunt, *vt oppugnationem vrbis iam propè captæ hostes omittere cogerentur.*

[3] In vita Amani.

In monasterio sancti [4] *Bernardi, cum sub æstatis finem muscæ monachis valdè molestæ esse cœpissent* (solent enim illa anni tempestate muscæ asinis infestæ esse) *Bernardum* aiunt, *in omnes illas muscas sententiam excommunicationis protulisse, eóque facto postridie mane omnes muscas repertas esse diruptas, & mortuas.* quid si monachos & fraterculos, qui nunc aduersus viros bonos obganniunt, excommunicasset? magna sanè ille molestia mundum liberasset. *turba est enim grauis paci, placidæque inimica quieti.*

[4] In vita Bernardi.

Equum *Iohanni primo commodatum* [5] *aiunt, iterum Domino redditum, alium præter illum sessorem pati noluisse.* hoc illi miraculum esse credunt, ego aut mendacium, aut imposturam esse credo. hoc enim miraculo equum *Iohannes* lucratus est, dominus damno affectus est, miraculorum

[5] In Iohannis legenda.

autem finis nec lucrum, nec damnum esse solet.

[1] In vita Aegidij.

Sanctum verò [1] *Ægidium narrare solent, cùm duas cypressinas ianuas Romæ emisset, nec sciret quomodò in Galliam eas ad monasterium suum deportari curaret, tandem vtrásque in Tyberim proiecisse, rogasséque nescio quem sanctum vt salua in Galliam deferrentur.* Videte quæso quid acciderit. *ianuæ istæ in quibus Apostolorum imagines sculptæ erant, sic temerè in fluuium proiectæ, ei in patriam reuerso per immensa marium spatia sponte actæ in portu commodè se obtulerunt.* cui miraculo nisi vos fidem habueritis periclitabitur Romanæ ecclesiæ fides super his miraculis ædificata, duæque prætereà peribunt, aut saltem in mari iactabuntur monasterij cuiusdam ianuæ.

[2] Ex legenda Nicolai.

Nautis *in periculo* [2] *Nicolaum inuocantibus præstò adfuit ille, vt est in legenda, cœpítque rudentes complicare, armamentáque nauis componere, & reliqua per foros strenuè agere.* sed quia sancti defuncti à laboribus quiescunt, nec redire solent in terras, hoc difficilè creditu est, *Nicolaum resumpto corpore nautica obysse ministeria.* Plurimi autem multò faciliùs credunt, hæc omnia nugas esse, & mendacia.

Luciam virginem Syracusanam fingunt, cum ad lupanar eam ducendam præfectus vrbis mandaret, tantum eam ponderasse, vt nec mille viri, nec aliquot boum paria illam loco mouere possent. sunt tamen istæ nugæ, vel pluma leuiores.

[3] In legenda Rolandi.

Inter Martyres etiam numerantur *Rolandus*, & *Oliuerius*, ijdémque multa etiam fecisse dicuntur miracula. [3] *Rolandus spatham suam durindandam* (dabitis spero veniam, si nonnunquam verbis authorum vtar: nam aliter peribit multorum miraculorum gratia) *spatham*, inquam, *suam lapidi maximis viribus illidens frangere non potuit:* sed quod multò plus est, *rupem mediam ense dissecuit.* tuba *autem moriturus tam fortiter cecinit, vt sonus montes perforaret, & ad multa milliaria auditus sit. Ferracutum qui vires habuit quadraginta fortium virorum idem singulari certamine superauit, vt est in legenda. Rolandi & Oliuerij virtute tot Sarracenos christiani strauerunt, vt in sanguine vsque* ad [4] bases *(sic isti loricæ laciniam vocant,)* milites mergerentur.

[4] *Iusques au basses.*

Christinam lingua exsecta disertè locutam, & in mare proiectam nullis ponderibus mergi potuisse prædicant, mira etiam narrant de *Catharina* quadam *Costi* regis Ægypti filia. sed nihil ego magis miror, quàm quis iste fuerit *Costus*, & vbi terrarum loci regnarit, & quæ fuerit illa *Catharina*. nam de huiusmodi Ægypti rege mirum est tacere omnes annalium scriptores, & *Catharinam* hanc omnes tacuisse ecclesiasticas historias.

In *Gallia* etiam sanctus *Lupus* miracula edidisse fertur. *iniecto enim puluinari in vas aquæ vbi se diabolus ab eius sanctitate abdiderat, eum ita arctè tenuit, vt miser ille diabolus tota nocte ibidem, vt lupus vlularet. idémque quandam clericorum suorum cum meretricibus quibusdam quæ iuxta habitabant rixam, eò quòd gratis, vt videtur,* dare nollent illæ, *nec haberent isti quod soluerent, oratione sua pro illis fusa sedauit; omnémque, vt est in legenda, stimulum tentationis extinxit.* sed hoc facilè etiam sine miraculo fieri potuisset. nam si vna tantùm hora flagris bellè transcissi fuisset, multò citiùs omnis illa carnis concupiscentia absque miraculi ope ab illis discessisset.

Huiusmodi mendacia in legendis infinita feruntur: complura etiam à Pontificijs nuper conficta sunt. edidit anno superiore satis prolixum de mendacibus *Indiæ*, & *Iaponiæ* miraculis [1] *Bozius* quidam tractatum, ea in re valdè prudens, quod illis locis hæc facta miracula narrat, quò nullus nostrum ad veritatem indagandam peruenire solet. mendacium enim latebras quærit. sed nihil opus est, vt multis illa refellam. pleraque enim adeò sunt inepta, & omnia ferè incredibilia, vt potiùs ab otiosis, & fame oscitantibus nautis in longa illa ex *India* nauigatione somniata, quàm gesta esse videantur. quis enim credat tot cæcos visum: tot claudos, membrorum sanitatem recepisse? isti autem non tantùm cæcos, & claudos sanitati; sed etiam mortuos plurimos vitæ restitutos commemorant. editus est etiam non ita pridem liber satis magnus de [2] miraculis & signis crucis ab *Alphonso Ciacone*, vel potiùs *Cicalone*. nam sic *Itali* fabulatorem appellant. nihil enim cogitari potest fabulis *Cicalonis* huius magis insulsum, aut fabulosum. *Narrat ille inter alia multa, in Anglia tres soles, & duas cruces* [3] *nuper Nordouici in meridie visas.* quod planè stupendum est, & portentosum miraculum. qui enim potuit qui Romæ est, quæ in *Anglia* gesta narrantur videre, cùm nullus nostrum ea, aut viderit, aut ante eius narrationem audierit, nec vsquam gesta sunt, sine miraculo? Linceo nempè hic magis oculatus fuit, qui quod nusquam factum est, videre potuit. dicit igitur se, etsi non illa viderit, tamen audiuisse ab alijs. narrauit enim illi hoc *Iosephus Cresquillus* mendax *Iesuita Anglus*, sed stultus ille fuit qui ineptissimo huic fabulatori fidem adhibuit. nam nec ipse *Cresquillus*, quisquis ille est, illa fieri vidit. qui igitur scire potuit, aut tot soles, aut cruces in aëre visas, aut vllam omninò crucem visam fuisse? apud nos certè nullus vnquam aliquid huiusmodi vidit, aut videre potuit. neque enim aliquid eius factum est. si mihi non credit, audiet si volet prætorem, & populum *Nordouicensem* hæc eadem testantem: audiet infinitos homines qui iu-

[1] De signis Eccles. lib. 5.

[2] Alphonsus Ciacone de signis crucis.

[3] Anno 1591. 9. Calend. Maij.

rati dicent, nec vidisse se vnquam huiusmodi mira, nec ab alijs vnquam, ante *Cicalonis* huius hanc fabulosam narrationem audiuisse, nec facta esse. sed video quid sit, aut saltem esse potuerit. prodijt fortassè ex popina aliqua *Iesuita* aliquis, aut ex Seminario sodalis, aut aliquis alius pseudocatholicus probè potus, is oculos sibi distorquens, putauit se plures vidisse soles, crux autem semper ipsi ante oculos versabatur, quòd se crucem meruisse sciret. is continuò *Romam* has nugas scripsit: crediderunt *Iesuitæ*. hinc hoc bellum est ortum de solibus, & crucibus mendacium.

Eiusdem generis fabulam de cruce quadam in Occidentali *Angliæ* parte visa narrauit olim [1] *Copus*, sed nihil illius narratione mendacius. nam nec eius rei dicit auctores, nec testes; nec locum tenet vbi crux ea comparuerit, nec tempus designat. huiusmodi commentitias de miraculis & signis fabulas multi alij narrarunt.

[1] In Copi dialogis.

Nunc etiam qui olim præfuit nuntijs & lucro *Mercurius*, præesse cœpit mendacijs & fabulis. narrat enim fictitius iste *Mercurius* multa mendacissima miracula. *puella*, [2] inquit ille, *quædam Rhemis suspensa in patibulo per integrum triduum, non est tamen mortua*. hoc ille contigisse putat, quòd innocentiam suam Deo, & Virgini *Mariæ* commendasset. sed si vel biduum, vel binas horas ille in patibulo penderet, & se vel *Mariæ*, vel omnibus commendaret sanctis, non puto tamen illum tamdiu viuere posse. hoc igitur quòd ille dicit, aut mendacium fuit, aut insignis impostura. nec sanè credibile est, etiamsi falsò accusata esset, aliquos qui hanc eius innocentiam non nouerunt, propterea viuos combustos iri. hoc tamen ille confidenter asserit.

[2] Mercurius Gallobelgic. p. 137.

Ducis etiam *Guisij* filium non sine miraculo ex custodia elapsum putat. sed corruptis aut deceptis custodibus facilè huiusmodi miracula contingere solent.

De sancto *Didaco* multa etiam narrat [3] *Petrus Galesinius*, miracula dicam an mendacia? non esse nugas, *Sixti Quinti* declarat studium, maximáque in hominis canonizatione cæremoniarum multitudo. *centum triginta huius, quicunque fuit, Didaci narrantur miracula*. quæ omnia bonus ille fraterculus post Missam solennem, & maximas nænias edito in Cardinalium & populi conuentu decreto vera esse pronuntiauit. sed vobis si ea legeritis, nec vera, nec verisimilia videbuntur. *dicitur quædam mulier ignem in furno vbi filius abditus latebat, accendisse; inde Didaci huius opera ille viuus* [4] *eductus miraculi* occasionem dedit. sed cur non posset ignis in furno accensus statim extingui, aut puer educi sine miraculo

[3] In canonizatione sancti Didaci complutens. liber Romæ editus est anno 1588.

[4] Pag. 40.

raculo nihil dicitur. hoc de furno miraculum Pontifex, quia puer olim in furno dormire solitus dicitur, probauit. *non credidit* [1] *Gonsaluus quidam, quæ de Didaci miraculis fama circumferebantur*, sed obloquebatur. hoc ægrè ferens *Didacus* iam mortuus effecit, vt tunicæ quædam suæ pars, quam ille in manibus habuit, multo sudore manaret, & statim iterum areret, vnde aiunt, illum credidisse miraculis *Didaci*. ego autem hæc vera esse non credo, alius *quidam quod de miraculis Didaci hæsitaret magnum in crure subitò sensit dolorem*; & *nonnisi Didaci opera sanari potuit*. vtrum verò senserit, nec ne tantum dolorem in crure, nisi ex illius relatione nullus nouit.

1 Pag.41.

Dicitur idem multos vitæ restituisse, visum autem tam facilè reddidit, quàm Vulpes pyrum comest. idem etiam *Carolum Philippi* filium, cuius sanitatem medici desperabant, sanauit facillimè. sed maius est miraculum, quòd pater hunc sibi diuino restitutum, vt ipse credidit, beneficio [2] carnificum manibus traderet, patrísque ea in re pietatem violasset, quid opus est reliqua recensere mendacia, cum ex istis illorum omnium ineptias videre possitis? mendacia esse hominum auaritia excogitata nemo sanus dubitat. quæ miror *Philippo* quem sapientissimum esse prædicant, non suboluisse. plurima ante centum annos facta esse narrant nullius memoria iam illos refutante, quæ tantò anteà gesta sunt, quis non audacter dicat? illud verò [3] quod narrat *Galesinius*, non tàm miraculum est, quàm ridiculum commentum, *Philippum* Serenissimæ nostræ Reginæ bellum illaturum huius potissimùm ope adiutum fuisse. nam si non plus cæteri sancti adiuuent, quàm *Didacus Philippi* classem adiuuit, nihil est quod quisquam illorum opem imploret. huius enim præclari *Didaci* ope obtinuit ille, vt classis sua dissiparetur, ingens eius apparatus nulla re gesta euanesceret, ipse à fœmina turpiter victus, nihil præter pudorem ex illa expeditione referret. maximo tamen sumptu & labore bonus ille Rex huius sancti canonizationem à *Sixto Quinto*, contrà expenso Indico auro impetrauit. cum tanto auro horum miraculorum fidem confirmandam curarint, cur non ea iactent?

2 *Vita di Tio Quinto.*

3 Pag.69.

Huiusmodi etiam fretus mendacijs *Bellarminus*, magnam sibi sumpsit confidentiam. & sanè cum cogito nisi plus confideret mendacijs, & calumnijs, quàm argumentis, non ille nobis omnibus bello indicto in acie tamdiu versatus esset. ad hanc igitur Pontificiorum à miraculis ductam argumentationem respondeo, multa miracula illos mentiri facta, quæ nunquam facta sunt: deinde quædam videri miracula, quæ non sunt: postremò, & hominum fraudulentia, & Diaboli astutia

multa re ipsa fieri mira, ad filios perditionis illaqueandos. vera autem miracula fieri nunc in Ecclesia Romana nego: nisi fortè stupendam *Iesuitarum*, & huiusmodi hominum impudentiam, qui oculis clausis aduersus veritatem inuicta audacia prœliantur, pro miraculo putemus.

At inquit *Bellarminus*, & *temporibus Christi, & Apostolorum, & primis Christiana Ecclesia aliquot seculis, viguisse miraculorum operationem certum est.* fac viguisse. hoc enim ex sacris literis, & fide dignis historijs scimus. sed nihil hoc pro *Bellarmini* causa facit. neque enim quia credimus sacris literis, & historijs priscis, idcircò mendacissimis legendis, & falsiloquis *Iesuitis*, & Monachis, qui vt Pontifici Romano gratum faciant, omnem lapidem mouent, credendum est: nec quia olim viguit in vera Ecclesia, proptereà nunc necesse est, vt in falsa vigeat hæc miraculorum effectrix facultas. nec quidem hoc ratio vlla exigit. fundandæ enim primæ Ecclesiæ necessaria erant. nunc qui miracula expectat, *est ipse*, vt inquit *Augustinus*, *Miraculum, qui mundo credente non credit.* nec sanè sine iniuriâ *Bellarminus* cum Christi, & primæ Ecclesiæ miraculis comparauit ineptissimas legendarum de *Romualdo*, *Cutberto*, *Dunstano*, & illo impostore & Necromantico *Gregorio septimo*, & *Francisco* & *Dominico*, *Francisco* item de *Paula*, & *Xauerio* fabulas; quas vel otiosi olim Monachi somniarunt, vel curiosi *Iesuita* nuper confinxerunt. illa enim ad Euangelij fidem confirmandam, & stabiliendam Christus Iesus spiritus sancti efficacia fieri voluit: hæc autem ad superstitionis Pontificiæ sordes commendandas auctore mendaciorum Satana partim ab astutis quibusdam sophistis, partim à deliris Monachis conficta sunt.

Quæ autem *Gregorij* Magni nomine circumferuntur in quibusdam dialogis fabulæ, à *Gregorio* nunquam scriptæ sunt. nonnulla enim incredibilia sunt, nonnulla ridicula, & inepta, & à *Gregorij* prudentia, & illorum temporum ratione aliena. stilus denique *Gallum* potiùs quàm *Romanum* illa scripsisse arguit. ridiculum est, quod de [1] *Benedicto* narratur, *qui oratione sua capisterium reparasse dicitur.* quasi Deus ideò miraculorum potentiam cuiquam concessisset, vt capistra resarciret. valdè etiam insulsum est, quod illepidus ille narrat auctor, *diabolum coniecto lapide tintinnabulum quoddam fregisse.* non enim ille lapides conijcere solet, nec fractis tintinnabulis, sed confractis desperatione cordibus nocere cupit. nec ego intelligere possum, quomodo [2] *Fortunatus aqua benedicta coxam cuidam fractam restituere posset*, [3] *Nonnosus dicitur lampadem fractam restituisse, & rupem loco mouisse, vt eius loci fraterculi caules ibidem plantarent.* adeò vt si ista vera essent miracula; non magna opera, sed minutæ ineptiæ dicenda

[1] Gregor. dialog. 2.
[2] Dial. lib. 1. c. 10.
[3] Dial. lib. 1. c. 7.

dicenda essent. vocabula autem hæc, [1] *capisterium, & tintinnabulum ad restim*, olent recentem monachismum. huiusmodi enim orationis figuris illi vti solent. quod autem in [2] *Libertini* dicitur historia, *cum* [3] *caballo amisso flagellum* etiam illis qui eum abstulissent dedisse, *vt haberent* [4] *qualiter illud iumentum minarent*, non ab homine Romano, sed à Gallo potiùs profectum est. nunquam *Gregorius* ita loqueretur. alienæ denique sunt illæ nugæ à *Gregorij* doctrina, grauitate, & prudentia.

[1] Dialog 1.
[2] Dialog. lib. 1.
[3] Cheual.
[4] *Pour mener la iument.*

[5] Quare nisi veriora possint suorum miraculorum testimonia proferre pontificij, quàm aut legendæ fabulas, aut hos fictitios *Gregorij* nomine dialogos, aut fabulosas illas de rebus Indicis epistolas: nugas agunt. quæ enim ibi referuntur, non tam miracula sunt, quam magnidica mendacia. sed vt multa possent vera proferre miracula, tamen nisi eam potestatem in ecclesia ordinariam esse probauerint, nunquam ex miraculis æstimabitur ecclesiæ fides.

[5] Non esse apud pontificios lumen propheticum.

Atque vt miraculorum operatio, sic prophetiæ in ecclesia Rom. omne lumen cessauit; quod nec ipsi negare videntur pontificij, qui vel media luce nisi accensis lucernis nihil agunt, & fumis lampadum omne prophetiæ, & veritatis apud se lumen aut extinctum, aut obscuratum esse subindicant. quod illis quæ agunt consentaneum videtur. occultata enim Euangelij prædicatione, operum suorum splendore tanquam fumis, & obscuro lampadum, & lucernarum lumine potiùs quàm Iesu Christi veri solis luce suorum discipulorum mentes illustrant. ex illarum autem prophetiarum numero quas gloriosè iactant, multæ confictæ sunt, nonnullæ ineptiarum sunt plenissimæ, & ridiculæ. si quæ autem apud illos veræ sunt prophetiæ; illas summo studio occultant, & falsis interpretationibus peruertunt, & corrumpunt. *Medardum* [6] narrant cùm adhuc puer esset, & ad scholas itaret, vt breuiarium fortasse disceret, & Donatum; *prædixisse post triginta annos se futurum episcopum, quod etiam sicut prædixit factum est*, nam aut gratia aut pecunijs fortasse factus est episcopus. sed hoc non tam quia illud futurum prædixit, quàm quia episcopatum expetiuit, etiam vt non illud præuiderit, fieri casu potuit.

[6] In legenda Medardi.

Dominicum [7] ferunt, *postquam hæreticum quemdam* (sic enim, qui aliter quàm ipsi sentiunt appellant) *ab ignis periculo cui adiudicatus erat liberasset futurum prædixisse illum ordinis sui fratrem*. fortasse enim hoc ille Dominico susceperat se futurum. sed vt nihil illi prædixerit, non admodum difficilè erat coniectu, qui eius beneficio vitam habuit, facturum quod ille imperaret.

[7] In legenda Dominic. & Antonin.

Franciscus [8] quemdam militem furore poetico vaticinatus est citò moriturum. at hoc ex multis signis nullo illi affulgente spiritus sancti lumine

[8] In conformit. Francisc.

 conjicere

conjicere potuit. qui enim in acie quotidie versantur, & se periculis sæpe objiciunt morituri potiùs, quam victuri videntur. at idem, inquit *Bellarminus*, dicitur *monuisse Christianos, ne quodam die prælium cum Sarracenis committerent : cæsos enim iri, si eo die præliarentur.* at nisi euenerit quod prædixit, quod non dicit ille, res erat consilij potiùs quam prophetiæ : sin verò euenerit, non tamen propterea propheta dicendus erat. hoc enim vel dux, vel gregarius miles, vel vir quiuis militiæ peritus, ex aduersariorum, & suis copijs, & ex locorum opportunitate, & militum alacritate, & numeris, aliísque commodis, aut incommodis exercitus cogitatione sua præcipere, & prædicere potuit.

Multi etiam in legendis feruntur prophetiæ de vberi prouentu caulium, aut de donarijs quæ monasterijs suis à nonnullis donata iri monachi distenti somniarant, & huiusmodi suorum monasteriorum commodis, aut incommodis. vatesq; apud istos ille habetur optimus, qui de re conuentus sui, & commodis fratrũ optimè vaticinari potuit. sed multùm interest inter Dei prophetas, & istos pseudoprophetas. illi enim de Christo, eiusq; regno, de regnis etiam, & populis, & ecclesia, rebusq; maximis spiritu sancto prædicti multa præuiderunt, & prædixerunt. isti de sua culina, & ollis, & scutris, multisq; huiusmodi nugis licet nihil præuideant, prædicunt tamen: & fortasse vera dicunt. nam vt qui tota die iaculatur, aliquando scopum attingit, sic fieri potest, vt qui multa quotidie deblaterant, nonnunquã acutè quod futurum est coniectura assequantur. nam & prophetis *Baalis*, & magis *Persicis*, & *Ægyptiacis*, & etiam *Turcicis* vatibus hoc contingit : sed quia non aguntur spiritu Dei, nec reuera quæ futura sunt præuident, idcircò non sunt inter veros prophetas censendi.

Prętereà multa etiam pontificij mentiuntur prædicta, de quibus ante euentum nemo loquutus est. huiusmodi mendacijs plenæ sunt Iesuitarũ de rebus Indicis commentarij. corrasit & *Bozius* in vnum librum multas huiusmodi fabulas. est & *Cæsar Baronius* magnus prophetiarum fabulator. quare nisi possit *Bellar*. probare quæ narrat reuera ex motu spiritus sancti præuisa & prædicta fuisse : missam faciat hanc de prophetijs suæ ecclesiæ gloriationem. nihil enim minùs verisimile est, quàm istos habere verum prophetiæ lumen : cum non tantùm supprimant, sed etiam interpretationibus corrũpant veras scripturarum à spiritu sancto profectas prophetias. nam apocalysin Iesu Christi de antichristo, & Rom. ecclesiæ corruptione & defectione & locustis Iesuiticis, æquo animo ferre non possunt. prætereà prophetias *Brigittæ de insensatis monachis, & mendicantibus fratribus*; item & *Hildegardis*, & *Ioachimi Abbatis prædictiones de Antichristo, & corrupto ecclesiæ statu summo studio occultant*. apocalypsin autem pseudoprophetæ

doprophetæ quidam Iesuitici peruersis interpretationibus, & fabulosis narrationibus corruperunt. si quis verus propheta ex verbo Dei illis veritatem proponit, illum ferro, & flammis persequuntur. episcopo cuidam *Florentino* de Antichristo vera vaticinanti silentium imposuit Romanus pontifex. quia autem *Sauonarola* etiam monitus facere noluit, idcircò grauissimo illum affecerunt supplicio, reliquosq; veros Dei prophetas acerbitate pœnæ effecerunt ad vera prædicenda tardiores. desinant igitur pontificij quibus destituuntur, prophetias iactare.

[1] Multò autem minor causa est, cur aduersariorum confessione confidat *Bellarminus.* nam si nos intelligat, qui cum ipso Christo, Antichristo & eius regno aduersamur, nullus est nostrum qui non ecclesiam Rom. vt *Babylonem*, pontificem Rom. vt matrem magnam fornicationum, & meretricem *Babylonicam* auersetur. at, inquit ille, *religionis hostes pagani, & qui Christianos olim persequuti sunt, clara ediderunt pro Christiana religione aduersus suam superstitionem testimonia.* sed nihil hoc ad monachos, aut eorum ex varijs hæresibus, & superstitionibus consarcinatas religiones, ne ad Romanam quidem ecclesiam attinet. neq; enim est illa vera ecclesia, nec sunt illi verè Christiani, nec est illa quam illi profitentur vera religio; vt ex superioribus demonstrationibus, vel solis luce magis perspicuum est. profert igitur ille *Lutheri* pro ecclesia Romana testimonium. illum enim dicit fateri, *multa bona esse apud Papistas,* quod sanè nescio an dixerit. neq; enim reperire possum, vbi dixerit. ac vt dixerit, nihil tamen illud pontificios iuuat. nam & nos fatemur esse apud illos multa bona. sed vt apud falsarios bona instrumenta, quæ illi multiplici falsitate corrumpunt, & vt apud *Babylonios* fuit olim ecclesia Dei captiua, & testimonia & lex Dei à Iudæis culta; & nunc apud Iudæos oracula diuina, & sacræ veteris testamenti scripturæ. nam vt *Babylonij* licet ad ipsos domus Dei thesauri non pertinerent, eos tamen direptos veris dominis possidebant, & vt Iudæi asseruant prophetias, quas non intelligunt, nec vti possunt: sic habent quidem pontificij, & alij hæretici scripturas, sed eas aut non intelligunt, aut peruertunt, aut contemptas iacere patiuntur, nec se eisdem inædificant: & si qui inter eos non malè sentire videntur, eos vt *Babylonij* Iudæos; dura opprimunt seruitute. deniq; mali bona nonnunquam quæ ad alios pertinent asseruant, aut fortasse ijs abutuntur, & cum bonis plurima habent coniuncta mala.

[1] Ex aduersariorum confessione, non constare ecclesiam Rom. veram esse Christi ecclesiam.

Dicit prætereà *Caluinum* de *Bernardo* loqui, vt de pio scriptore. sed nihil hoc ad Iesuitas pertinet, qui sunt impij scriptores; nec ad ecclesiam quidem Rom. quæ longè à *Bernardi* sententia discrepat. multos enim ecclesiæ Rom. errores redarguit. pontificisq; fastũ, & tyrannidem apertè reprehendit.

prehendit. & in iustificationis negotio, & sacramentorum doctrina, plurimísque religionis Christianæ articulis nobiscum sentit. nec adeò *Bellarminus* hunc suum esse dicet, vt ex eius scriptis sententiam in religionis negotio ferri velit. neque tamen cum dicimus virum fuisse pium, & bonum, idcircò omnia eius dicta probamus. nam & boni, & pij viri suos habent errores: Deiq; hoc solius est, vt nunquam peccet, nec prauè sentiat.

Dominicum verò, & Franciscum etsi posterioribus monachis non diffiteamur fuisse tolerabiliores, & minùs malitiosos, nullus tamen nostrũ aut mores eorum hypocriticos, aut doctrinę quod habuerunt fermentum probat. quare si ex confessione nostrorum hominum sui dogmatis veritatem confirmare instituerit, proferat nobis testes locupletes, illumq; qui scabie conchiliatum habuit corium Cochleum, & mendacem illum apostatam Staphilum, Staphiliq; similes mendaciorum fabros missos faciat. nam ego istos tantidem facio, quanti *Bellarminum*, & *Bellarminum* quanti istos: & omnes non vnius pili facio; nisi rationibus & authoritate firmiore contenderint. illos nos falsò pro sanctis coli, & si sancti fuerint, nolle coli; & hanc quæ illos pro sanctis colit ecclesiam, pseudoecclesiam esse dicimus.

[1] Infœlices habuisse exitus qui Romanæ superstitionis & tyrannidis, aut fundandæ, aut conseruandæ authores fuerunt: contráque Deum illis benedixisse qui illam eclesiam labentem oppugnarunt.

[1]Infœlicem sanè exitum habuerunt, quicunq; hanc tyrannidis, & hæreseôs & superstitionis labem, aut primi inuexerunt, aut posteà conseruarunt. imò omnes quæ hanc quæ nunc est ecclesiam Rom. fundarunt, auxerunt, locupletarunt, & propugnarunt. contrà verò, qui eam ad has in religione prauas opiniones, deficientem oppugnarunt; verámue religionem, vt ea instaurari cœpit, aduersus pontificum Rom. opes defenderunt, maximis aucti sunt in hac vita præmijs, fœliciterq; illis multa successerunt. qui primus posuit fundamenta tyrannidis pontificię, quam *Gregorius* primus tot epistolis execratus est, *Bonifacius* tertius; vitam egit sollicitam & anxiam, & mortem oppetijt infœlicem, & metuendam, nec voti compos factus, frui quam statuerat voluptate potuit. nam [2] postquam à Phoca impio illo tyranno magno sumptu & labore, & famæ etiam, quòd cum tyranno tam impio rem habuisset, iactura obtinuisset, vt ecclesia Romana supra alias omnes principatum haberet, domum reuersus statim mortuus est. nam antequam 9 menses compleuisset, morte ablatus subita est: eius autem acta vna cum vita, & memoria hominis interciderunt.

[2] Platina.

Sabinianus qui cultum diuinum in Romana ecclesia per horas primus distinxisse dicitur, superstitionúmque multas inuentiones in eadem accumulasse videtur, & vsum lampadum ad collustrandas ilius ecclesiæ quæ tunc oboriri cœperant tenebras instituit, formidabili morte extinctus est. eum [3] enim author non leuis à *Gregorio* primo illi in visione apparente,

[3] Fasciculus temporum in Sabiniano.

rente, & quod libros suos præ liuore comburere decreuisset malum minitante percussum dicit. sed siue ab illo percussus fuerit, siue non: post pauxillum temporis interuallum illius visi terrore mortuus est.

Ille autem qui regnum *Galba* à *Childerico* legitimo principe ad *Pipinum* transtulit *Zacharias* duos tantum menses à tempore occupatæ sedis vixit. maximam autem is rem gessit. nam *Pipino* donans aliena, quæ ipse etiam inuaserat *Pipini* & filiorum opibus conseruauit. atque ita fundamentum præclarum eius quàm ipse molitus est tyrannidis posuit.

Adrianus primus qui auxilio *Caroli* magni debellauit *Longobardos* Pontificij regni hostes perpetuos, vix vnum mensem post tantam rem gestam vixit, decem tantum [1] menses in pontifica sede regnauit, nec potuit ei quòd inchoauerat ædificio fastigium imponere.

[1] In Fascic. tempor. & Platina.

Diadema ademptum *Constantinopolitanis* Imperatoribus *Leo* tertius *Carolo Magno* suffragio suo dedit. sed non diu passa est diuina vindicta illum hoc rebellionis gaudio frui. nam non multo post à populo Romano captus, & multis plagis oneratus, & in carcerem compactus est. inde elapsus in *Galliam* occultis itineribus peruenit. sed & itineris molestia defatigatus, & animi angore & ira confectus, ante vigesimum sui Pontificatus mensem in terra aliena exul moritur. dies eius pauci erant & mali. malúsque malam oppetijt pestem.

Benedictus 6, magna nescio quæ facinora animo suo conceperat, sed ea ad exitum perducere non potuit. nam post ingressum Pontificatus statim à ciuibus captus ab eisdem in arce quam sancti Angeli vocant, strangulatus pœnas dedit. *Bonifacius* etiam 7, morte violenta post breuissimum Papatus tempus extinctus est. Vtérque vt strenuus Pontificiæ dignitatis aduersus populum Romanum defensor celebratur. de quibus & multis alijs Pontificibus mala morte pereuntibus, audite quid dixerit author [2] *Fasciculi temporum: nota* inquit ille, *quod Pontifices Rom.* (nam de ijs loquitur) *hic interficiuntur, sicut in primitiua Ecclesia: sed non fiunt Martyres sicut illi: par pœna, sed dispar causa.* illi enim ob Christi confessionem vt mites agni, & agni mitissimi sectatores interfecti sunt. isti armis & seditione nouum regnum molientes, vt sæuissimi lupi à proprijs ciuibus, quibus libertatem extorquere conati sunt oppressi pœnas iustas dederunt.

[2] Tempore Othonis 1, & 2.

Omnes etiam illi Pontifices qui aduersos Imperatores *Germanos* sedis Romanæ prærogatiuam propugnarunt, eandémque varijs seditionibus, & rebellionibus auxerunt vitam exegerunt miseram, maléque perierunt. ex ijs qui initium dederunt huic grauissimæ contentioni 6, aut 7 veneno ab [3] *Hildebrando* Pontificatum ambiente petiti, & extincti inauspicatò eam susceptam fuisse declararũt. *Gregorius* verò 7 qui bello, & [4] rebellione subditorum

[3] Benno Cardinalis.

[4] Ex Platina & Fascic. tempor. & Vrspergens. & alijs multis.

subditorum variè Imperatorem vexauit primò à *Cinthio* ciue Rom. captus, & in carcerem detrusus est: postea ex his angustijs liberatus ab Imperatore obsessus, & grauia in obsidione illa perpessus est. tandem verò fuga salutem quærens, postquàm Pontificali dignitate exutus fuisset, in siticulosæ *Apuliæ* viculo ignobili omnibus exosus, & ignobilis perijt. hunc *Bellarminus*, & *Onuphrius* summè laudant. *Busiridem* enim illi, si in illa sede esset, sophistæ isti laudaturi esse videntur. sed vt eum maximis laudibus efferant, non tamen illi, si sapiunt, similem sibi fortunam, & exitum exoptabunt.

Paschalis secundus postquam filium impiè in patrem armasset, impiisque armis aduersus Imperatorem suscipiendis author fuisset, ipse ab eodem captus, & in vincula coniectus, meritas dedit pœnas, tandémque varijs molestijs, & curis confectus aut sponte mortuus, aut veneno interfectus est.

[1] Hæc fere in omnibus Pontificum historijs habentur.

Qui autem [1] *Fridericum* primum strenuè oppugnauerat paulò ante, *Adrianus* quartus paulò post à paruo culice strangulatus, & miserè diruptus est. quíque regiam authoritatem & regis multa iura tyrannide sua deuorauerat, & pro nihilo putauerat, tandem nec muscam deglutire poterat. adeo huius infinitam ambitionem exili bestiola Deus vltus est.

[2] In vita Gregorij 9, ante decretales descript.

Nec sanè fœlicem dicere possunt [2] *Gregorium* nonum magnum illum regni Pontificij authorem. armis enim & multis legibus Pontificiam sedem stabiliuit. nam postquàm diuturnum bellum malis auspicijs cum Imperatore gessisset, à suis tandem ciuibus contemni cœpit, & nisi productis reliquijs sanctorum (nam ita dicuntur) populo supplicasset, ex vrbe & Pontificatu turpiter eiectus pœnas dedisset: quas tamen non ita multò post dedit. nam inuidia ex prosperis inimicorum rebus diruptus, & dolore ex rebus suis aduersis confectus in ægritudinem incidit: cuius cum nullam leuationem reperiret, ex desperatione animi sine vlla Christianæ consolationis cogitatione mortuus est.

[3] Iohan. Andr. & fascic. tempor. & Platin.

[3] *Bonifacius* etiam 8, qui sexto decretalium epistolarum libro Rempublicam Pontificiam auxit, & magnum non ita multò ante terrorem principibus incusserat, mortuus est tamen ex vinculorum & captiuitatis dolore. mortuúsque est eo genere mortis, quo canes nonnulli extingui solent. in rabiem enim conuersus obijt. nec quicquam ei profuit aut vulpina astutia, aut leonina crudelitas. nam aduersus rabiosam mortem nullum reperiebat aut in artibus suis, aut armis præsidium.

Clementinarum author *Clemens* quintus ex dysenteria mortuus est. ex veneno nempe ei putrescebant intestina. *Iohannes* autem ille qui bellas quas habemus Extrauagantes constitutiones procudit, adeò per omnem vitam bellorum & regni Pontificij curis exagitabatur, vt licèt animas

putaret

putaret quasi in gurgustio quodam detentas à facie Dei vsque ad extremum iudicium exulare, nullam tamen in morte, aut sepulchro quietem, aut consolationem senserit. sed quid ego singulos commemorem, cum tot Pontifices constet vita miserè acta, aut cum gemitu exijsse, aut desperatos interijsse?

Qui bellum conflauit *Germanicum*, *Henricúmque 8*, *Angliæ* regem diris persecutus est, *Paulus 3*, postquam in amoribus turpissimis consenuisset, accepto tandem nuntio de morte filij sui nothi *Petri Luisij* dolorem ferre non potuit, sed paucis post diebus caput deposuit, animámque gemens & dolens exhalauit. nec ei aut *Laura* neptis amores, aut aliarum[1] *mulierum aspectus* consolationem attulit.

[1] *Il dolce sguardo.*

Sixtum autem quintum qui olim *Nauarrenum* nunc *Gallorum* regem, & principem *Condensem* execratus est, veneno coniurati nonnulli sustulerunt. cum tamen cui ille maledixit, viuat, & valeat, hostiumq; licèt maximo cum dolore regnet. hunc breui eisdem vestigijs persequuti sunt *Vrbanus 7*, *Clemens 8*, & *Gregorius* decimus quartus, quem *Pasquillus* animam in latrinam eiecisse carmine lugubri post eius funus cecinit.

Similem etiam exitum nacti sunt Pontificiæ sedis nonnulli strenui propugnatores. *Eckius* acer ille *Lutheri*[2] antagonista, cum ei tandem cũ morte certandum esset, ignauũ se in illo agone militem præstitit. nam sub finem vitæ nihil aliud loquebatur, nisi aurum merum, & de 4 millibus aureorum nummorum. ea enim pecunia rem confici posse dicebat. *quid malùm* (inquit ille) *non mihi aurum redditis*. & *cedò obsecro aurum*. Magnam fortasse ille aliquam dignitatem à Pontifice mercaturus videbatur, cuius illi in animo infixum insidebat pretium. sic misero illi animam agenti, prȩter aureorum istorum tenuem memoriam omnia alia è mente exciderant.

[2] Ex appendice Carionis.

Multa extant *Iacobi Latomi* in *Lutherum*, & veram religionem scripta vehemẽtissimè. nihil tamen luctuosa hominis illius morte clarius est. nam ex desperatione in rabiem versus animam cum clamoribus maximis emisit. erátque res illa fabula vulgi notissima. [3] Is cum *Bruxellis* coram Imperatore contra *Lutherum* orationem habuisset, siue ipsum memoria, siue oratoris vis defecerit, siue ingenium voto non responderit, siue illum tot principum aspectus exanimarit nescio; sed certè repentè conticuit, & auditorum sibilis eiectus est. qua ex re tantus illum cepit dolor, vt non ita multò post ex dolore in furorem versus sit, multásque cum blasphemia admixtas furibundas voces in cathedra Theologica, & Scholis publicis effutiret. inde à *Ruardo Tappero* detractus, & in lecto collocatus, vsque ad vltimum spiritum voce maxima clamare non destitit, se à Deo reprobatum esse & damnatum, & nullam sibi salutis spem superesse.

[3] Ex epistola Senarclei ante historiam de morte Diazij.

Similem

[1] Ibidem.

Similem etiam exitum habuisse constat[1] *Guarlacum* Theologum etiam *Louaniensem*, & Pontificiæ causæ strenuum defensorem. nam ex veritatis à se oppugnatę consideratione dolore percitus, & ex morbo inde contracto decumbens vnà cum spiritu gemens & desperans has etiam voces crebrò repetitas effudit, *maiora esse peccata sua, quàm vt illis ignosci posset*.

[2] Ioh. Sleidan. lib. 23.

Cardinalis etiam *Crescentius* Pontificis in *Tridentino* conuenticulo legatus, postquam causam Pontificis sui strenuè tutatus esset, *spectro atri cuiusdam canis territus, ægrotare cœpit*, cúmque miser præ formidine illius cum igneis oculis canis commouere se non auderet; clamaretque suis *continuò*, vt à se *canem illum atrum abigerent*, post paucos dies miserè mortuus est.

[3] Ex literis Calabrorum.

Nec vindictam Dei iustissimam euasit hostis ille Christi perpetuus, & ex quæsitorum qui pios *Calabros* persecuti sunt omni numero crudelissimus [3] *Iohannes* de Roma. nam postquam Pontificis mandato viros quosdam bonos varijs modis vexasset, & membrorum quę ipsi viuo exputrescebant intolerando dolore mortuus est. tantus autem fœtor ex eius corpore exhalauit, vt nullus vel ad morientem accedere sustinere, vel mortui fœtorem ferre posset, nec corpus sepulturæ, tradere vellet. tandem ne canibus relinqueretur vt præda, quidam ex illius Monachi ordine nouitius vnco illi impacto, tanquam homini sceleratissimo, Monachum illum sceleratum, vt canem ad sepulchrum nullis propter fœtorem funus comitantibus, aut cantillantibus fraterculis pertraxit: ne corporis contagio noceret bonis.

[4] *Le Chancellier du Prat.*

[4] Cancellarius *Pratensis Gallus*, idémque acerrimus Romanæ superstitionis defensor voces fundens blasphemas, & impias à vermibus viuus corrosus, putrescentibus illi etiam intestinis, miserum in modum diuina illum persequente iustitia excessit è vita.

Sed quid externa quæram, cum tot domesticis iustitiæ diuinæ in Romanæ ecclesiæ apud nos propugnatores exemplis abundemus? *Stephanum Gardinerum* corpore illi tumescente, & putrescente mortuum multi meminerunt. nec ita pridem post carceris diuturni tædia morte ignobili extinctus est ille, qui tot viros pios igne excruciauerat *Bonnerus*. *Storaum* etiam publico supplicio inter homicidas, & sicarios affectum Deo ab illo pœnas propter bonorum virorum cædem expetente multi viderunt. nec apud nos alius erat istis magis strenuus Pontificiæ dignitatis defensor. solum excipimus *Nicolaum Sanderum*, & *Alanum* quendam: non illum quidem Cardinalem (ipse enim sibi cauet interiecto mari) sed alium quendam presbyterulum. isti enim non tantum authoritate & sententia, sed armis etiam causam Pōtificiam tutati sunt. sed *Alanus* à militibus cæsus est.

Sanderus

Sanderus accepto vulnere effugiens, ex fame & dolore in rabiem versus, perfidiæ & sceleris pœnas dedit. qui Pontificiam apud nos eiectam superstitionem quasi postliminio reuocarunt, illi etiam quàm malis auspicijs sub Pontifice pugnatur satis declararunt. Quinque tantùm annos regnauit *Maria.* quo tamen tam breui tempore aduersæ fortunæ, & belli & domi vim maximam experta est. desertáq; à marito gemens vt vidua, in ętatis flore nulla relicta ex se sobole extincta est. cum ista vnà excessit & *Polus* Cardinalis, & alij nonnulli Episcopi. *Christophersonus* alienata mente illam paulò ante præuenit. reliqui aut in exilio spontaneo, aut alijs casibus perierunt.

Neque sanè vel olim, vel nuper quicquam Imperatoribus, aut regibus benè cessit, quod authore Pontifice Rom. aut susceptum aut gestum fuit. qui nobilem illam in *Asiam* aduersus *Sarracenos* expeditionem suscepit *Gottofridus Bullioneus* cùm adhuc non adeò magnæ essent illorum opes, licèt multum illa celebretur, tamen non adeò fœlicem habuit exitum. nec qui illum in Orientem sequuti sunt Christiani multum profecerunt. varijs enim cladibus attriti, non ita multos annos quę recuperarunt possederunt: tandémque stirps Christianorum in Oriente funditus excisa est.

Sæpius Imperatores *Germani* in *Palæstinam* profecti sunt, Pontificũq; auspicijs & ipsi, & *Galli*, & *Angli* aduersus *Turcas*, & *Sarracenos* pugnarunt infœlicissimè. Qui autem apud *Varnã* Pontificũ pollicitationibus collecti sunt aduesus *Amurathem* milites, legati Pontificij temeritate, & Pótificum Rom. summa infœlicitate nullo suo merito miserò cæsi, & fœda fuga dissipati sunt. nec vllum clarius infœlicitatis Pontificiæ per hos superiores annos editum est exemplum, quàm in *Caroli 5*, contra [1] *Iuliam Cæsaream* & *Mauros* expeditione. deletis enim maximis copijs re infecta ad suos redijt. exercitus *Hispanicus* qui duce [2] *Aluaro Sandeo Meningem* insulam occupauerat funditus deletus est. horum etiam infœlicitate *Epyrus*, *Pannonia* magna pars insula *Rhodus*, & *Cyprus*, nobilesque *Asiæ*, *Europæ*, & *Africa* vrbes amissæ sunt. nec vnquam ex Pontificum expeditionibus in *Turcas*, aliquid ad Christianos peruenit emolumenti. nam licèt victæ sint in mari *Ægeo Iohannis Austriaci* auspicijs *Turcarum* copiæ: factum est tamen impietate *Pij Quinti* Pontificis, & summa Pontificalium auspiciorum infœlicitate, vt nihil ex tanta victoria ad Christianos commodi peruenerit, victoriaque è manibus elapsa ad hostes transfugerit. viribus enim redintegratis *Turca* maioribus nunc copijs, quàm vnquam antea Christianorum Principum regnis imminent.

[1] Algier.

[2] Natalis comes.

Qui Pontificiam dignitatem aut primi fundarunt, aut posteà defenderunt, malum secum omen ad celerem, & repentinũ interitum detulerunt.

Phocas qui primus fuit primatus Pontificij author (eos enim qui à *Petro* Apostolo eum deriuant risu potiùs, quàm argumentis refellendos puto) à Persis acie victus, & ab *Heraclio* non ita multò post interfectus est. *Robertus Guiscardus Normannus*, cuius præsidio freti Pontifices Imperatoribus resistere cœperunt, hoc pro pręmio laborũ habuit, vt ipse non multùm postea vixerit, atque vt eius stirps vniuersa breui perierit, vt eius denique Imperium ad hostes suos tandem deuenerit. *Mathilda* marito fortissimo Pontificię sedis patrono, *Guidoni* etiam *Hetruria* comiti, cui vxor erat prostibulum illud *Marozia*, propter merita erga Pontifices veneno vita erepta est.

Caroli Magni qui Pontificatum & authoritate sua defendit, & liberalitate multum auxit, omnis soboles intra paucos annos extincta est: eius posteri mutuis se inimicitijs oppugnarunt: regnum ab eius posteris ad *Germanos* à Pontificibus, quos ipse ad maximas opes prouexerat, translatũ est. *Carolo* successit *Ludouicus Pius*, aduersus quem duo eius impij filij bellum impium gesserunt, intestinísque discordijs *Gallici* Imperij neruos inciderunt. hunc sequutus est *Lotharius* quem filius etiam impius de Imperij solio deturbatum in Monasterium detrusit. huic ordine successerunt *Ludouicus* secundus, *Carolus Caluus*, *Carolus* tertius, *Arnulphus*, & *Ludouicus*, in quo stirps *Caroli Magni* defecit.

Rodulphus quem contra Imperatorem *Henricum Gregorius* 7 armis & diademate instruxit, exercitu amisso fugit. hic cum in acie dextra amputata ei fuisset, agnouit se pessimam suscepisse causam. nec sanè melior fuit eorum exitus, quos varijs temporibus Pontifices Romani aduersus Imperatores concitarunt: adeo vt semper ferè in bello cæsi sint qui Pontificis sequuti sunt partes.

Iohannes Angliæ rex antequam se Papæ tributarium fecisset aduersus hostes inuictus stetit: postquam verò Pontificijs auspicijs militare cœpisset, infœlicissimus fuit. nihil enim propius fuit, quàm vt à suis omnibus desertus regno excideret. Tandem verò epoto veneno quod perfidus illi Monachus propinauerat mortuus est, regnumque grauiter turbatum filio suo reliquit. numerosas *Sigismundi* Imperatoris & *Germanorum* copias quas contra *Bohemos* rogatu Pontificis duxerunt, *Zizca* exigua sæpe manu profligauit. instructissimúsque ille *Ludouici Gallorum* regis exercitus, quo ille *Raimundum Tholosanum* oppugnauit, nulla re gesta morbis & inedia deletus est. Ipse autem dum Pontifici militaret in obsidione *Auenionis* mortuus ad nouam in alio mundo militiam profectus est.

Carolus autem *Quintus*, quo isti patrono primum confidere cœperunt,

runt, post illam suam in *Germania* victoriam otio & ignauia torpescens à *Mauritio* duce *Saxoniæ* tandem victus, & è *Germania* fugatus est. neque ita multò post siue metu exanimatus, seu rerum humanarum tædio affectus, regni abiectis insignibus in quoddam Monasterioli gurgustium correpsit, & inglorius mortuus est. eius verò filius *Philippus* qui aliquot in *Belgio* & *Africa* acceptis detrimentis à suis potentissimus dicitur rex, plerisque in rebus aduersam fortunam habuit. regnum à patre accipiens maximum ipse pessimis consilijs turbauit.

[1] *Neapolitani* regni incolas propter inquisitionis terrorem aut infestos, aut saltem suspectos sibi reddidit. in *Meningis* expeditione multos fortes amisit viros. fortissimum *Golettæ* propugnaculum, & aliquot in *Africa* arces ipsi ereptæ sunt. à *Turcis* maxima incommoda perpessus est, adeò vt fœdis pactionibus pacem ab illis redimere coactus fuerit. In *Belgio* opulentas & magni nominis vrbes quas pacificè eius maiores possederunt, ipse tyrannide & iniustitia sua à se alienauit. nec alia re fortis est, quàm quod ingentibus *Indiæ* opibus ad res *Europæ* turbandas fortissimos conducit milites. dum Pontifici obsequitur se patrem esse oblitus est. filium enim suum, vt [2] sacrificium ad satiandam Pontificis libidinem passus est iugulari: Séque filio [3] vnico orbauit, regnique successionem in dubium vocauit, maximúmque sibi luctum attulit. Vt Pontifici gratum faceret, huius regni rebelles auxilijs adiuuare constituit: cúmque nihil occulta molitione proficeret, nulla nostra prouocatus iniuriâ, nullóue indicto bello, classem contra nos instructissimam misit. sed & ista, vt reliquæ omnes ei successit expeditio.

[1] Natalis comes lib. 1.

[2] *Fece sacrificio della sua carne, e del suo sangue. Girolam. Catena.*

[3] *Lettera del re Catholico à Pio V. di man propria sopra la prigionia di suo figliuolo. Girolam. Caten. pag. 94. & 95.*

Classis enim illa quam *Hispani* inuictissimam vocabant, & omnes & milite & omni militari instrumento instructissimam fuisse fatentur, diu mari iactata, & à copijs nostris exiguis fugata re infecta multis amissis nauibus redijt. Magnóque risu, & rex ille potentissimus, & illa inuicta classis, & gloriosi *Hispani*, & apparatus ille magnificus exceptus est. Quem autem non puderet militaris rei vel imperitissimum ducem à muliere se victum videre, & qui se *Angliam* subacturos iactarent, nunquam in littus *Anglicum* exscensionem facere ausos, & qui nostra omnia spe deuorauerant, eos multis iactatos incommodis, rebúsque suis amissis egenos & nudos ad sua redijsse? *Henricus* secundus *Gallorum* rex qui Papæ obsecutus multos pios viros Pontificijs lupis laniandos prodiderat, multósque ipse persecutus erat, in hastarum ludo per cassidis commissuras vulnere accepto in ætatis flore extinctus est, pœnásque dedit ipse ad *Annonis Burgensis* inferias, quas alijs ipse innocentibus inferre statuerat. Ex eius liberis qui in studio erga Pontificem, & in regno illi

Phocas qui primus fuit primatus Pontificij author (eos enim qui à *Petro* Apostolo eum deriuant risu potiùs, quàm argumentis refellendos puto) à Persis acie victus,& ab *Heraclio* non ita multò post interfectus est. *Robertus Guiscardus Normannus*, cuius præsidio freti Pontifices Imperatoribus resistere cœperunt, hoc pro pręmio laborũ habuit, vt ipse non multùm posteà vixerit, atque vt eius stirps vniuersa breui perierit, vt eius denique Imperium ad hostes suos tandem deuenerit. *Mathilda* marito fortissimo Pontificię sedis patrono, *Guidoni* etiam *Hetruriæ* comiti, cui vxor erat prostibulum illud *Marozia*, propter merita erga Pontifices veneno vita erepta est.

Caroli Magni qui Pontificatum & authoritate sua defendit, & liberalitate multum auxit, omnis soboles intra paucos annos extincta est: eius posteri mutuis se inimicitijs oppugnarunt : regnum ab eius posteris ad *Germanos* à Pontificibus, quos ipse ad maximas opes prouexerat, translatũ est. *Carolo* successit *Ludouicus Pius*, aduersus quem duo eius impij filij bellum impium gesserunt, intestinísque discordijs *Gallici* Imperij neruos inciderunt. hunc sequutus est *Lotharius* quem filius etiam impius de Imperij solio deturbatum in Monasterium detrusit. huic ordine successerunt *Ludouicus* secundus, *Carolus Caluus*, *Carolus* tertius, *Arnulphus*, & *Ludouicus*, in quo stirps *Caroli Magni* defecit.

Rodulphus quem contra Imperatorem *Henricum Gregorius* 7 armis & diademate instruxit, exercitu amisso fugit. hic cum in acie dextra amputata ei fuisset, agnouit se pessimam suscepisse causam. nec sanè melior fuit eorum exitus, quos varijs temporibus Pontifices Romani aduersus Imperatores concitarunt : adeo vt semper ferè in bello cæsi sint qui Pontificis sequuti sunt partes.

Iohannes Angliæ rex antequam se Papæ tributarium fecisset aduersus hostes inuictus stetit : postquam verò Pontificijs auspicijs militare cœpisset, infœlicissimus fuit. nihil enim propius fuit, quàm vt à suis omnibus desertus regno excideret. Tandem verò epoto veneno quod perfidus illi Monachus propinauerat mortuus est, regnumque grauiter turbatum filio suo reliquit. numerosas *Sigismundi* Imperatoris & *Germanorum* copias quas contra *Bohemos* rogatu Pontificis duxerunt, *Zizca* exigua sæpe manu profligauit. instructissimúsque ille *Ludouici Gallorum* regis exercitus, quo ille *Raimundum Tholosanum* oppugnauit, nulla re gesta morbis & inedia deletus est. Ipse autem dum Pontifici militaret in obsidione *Auenionis* mortuus ad nouam in alio mundo militiam profectus est.

Carolus autem *Quintus*, quo isti patrono primum confidere cœperunt,

runt, post illam suam in *Germania* victoriam otio & ignauia torpescens à *Mauritio* duce *Saxonia* tandem victus, & è *Germania* fugatus est. neque ita multò post siue metu exanimatus, seu rerum humanarum tædio affectus, regni abiectis insignibus in quoddam Monasterioli gurgustium correpsit, & inglorius mortuus est. eius verò filius *Philippus* qui aliquot in *Belgio* & *Africa* acceptis detrimentis à suis potentissimus dicitur rex, plerisque in rebus aduersam fortunam habuit. regnum à patre accipiens maximum ipse pessimis consilijs turbauit.

[1] *Neapolitani* regni incolas propter inquisitionis terrorem aut infestos, aut saltem suspectos sibi reddidit. in *Meningis* expeditione multos fortes amisit viros, fortissimum *Goletta* propugnaculum, & aliquot in *Africa* arces ipsi ereptæ sunt. à *Turcis* maxima incommoda perpessus est, adeò vt fœdis pactionibus pacem ab illis redimere coactus fuerit. In *Belgio* opulentas & magni nominis vrbes quas pacificè eius maiores possederunt, ipse tyrannide & iniustitia sua à se alienauit. nec alia re fortis est, quàm quod ingentibus *India* opibus ad res *Europa* turbandas fortissimos conducit milites. dum Pontifici obsequitur se patrem esse oblitus est. filium enim suum, vt [2] sacrificium ad satiandam Pontificis libidinem passus est iugulari: Séque filio [3] vnico orbauit, regnique successionem in dubium vocauit, maximúmque sibi luctum attulit. Vt Pontifici gratum faceret, huius regni rebelles auxilijs adiuuare constituit: cúmque nihil occulta molitione proficeret, nulla nostra prouocatus iniuriâ, nullóue indicto bello, classem contra nos instructissimam misit. sed & ista, vt reliquæ omnes ei successit expeditio.

[1] Natalis comes lib. 1.

[2] *Fece sacrificio della sua carne, e del suo sangue. Girolam. Catena*

[3] *Lettera del re Catholico à Pio V. di man propria sopra la prigionia di suo figliuolo. Girolam. Catem. pag. 94. & 95.*

Classis enim illa quam *Hispani* inuictissimam vocabant, & omnes & milite & omni militari instrumento instructissimam fuisse fatentur, diu mari iactata, & à copijs nostris exiguis fugata re infecta multis amissis nauibus rediit. Magnóque risu, & rex ille potentissimus, & illa inuicta classis, & gloriosi *Hispani*, & apparatus ille magnificus exceptus est. Quem autem non puderet militaris rei vel imperitissimum ducem à muliere se victum videre, & qui se *Angliam* subacturos iactarent, nunquam in littus *Anglicum* exscensionem facere ausos, & qui nostra omnia spe deuorauerant, eos multis iactatos incommodis, rebúsque suis amissis egenos & nudos ad sua redijsse? *Henricus* secundus *Gallorum* rex qui Papæ obsecutus multos pios viros Pontificijs lupis laniandos prodiderat, multósque ipse persecutus erat, in hastarum ludo per cassidis commissuras vulnere accepto in ætatis flore extinctus est, pœnásque dedit ipse ad *Annonis Burgensis* inferias, quas alijs ipse innocentibus inferre statuerat. Ex eius liberis qui in studio erga Pontificem, & in regno illi

 successerat

succeſſerat *Franciſcus* ex putrido iuxta aurem apoſtemate propè puer ſublatus eſt. Nonne piorum illius opem implorantium gemitus audire ſatius erat? *Carolus* nonus ex ſanguinis fluxu quia multum innoxium ſanguinem ipſe fuderat, obijt. *Henricus* verò tertius poſtquam multa ſtipendia Papæ aduerſus eos quos amore complecti debuit militans meruiſſet, idem tamen à nefario quodam Monacho à Pontificijs conducto, & impulſo indigniſſimè, ſi eius in illos ſpectes merita; ſin autem tot hominum innocentium ſpectaueris cędes, iuſtiſſimo Dei iudicio ante tres annos confoſſus miſerè perijt. Parémque exitum ſortiti ſunt *Franciſcus* & *Henricus* duces *Guiſij*, ex quibus ille vaſſiacam cædem, hic verò *Pariſienſem* carnificinam præcipuè adminiſtrauerat. quis igitur non videt illos magno periculo ſtipendia facere, qui Pontifici Romano militant, eiuſque cauſam propugnant? *Bellarminum* igitur ego, & reliquos Monachos ſanguinarios moneo, ne eorum exempla imitentur, quorum formidabiles exitus grauiſſimæ ſunt cauſæ, cur perhorreſcant.

Contrà verò qui ſe Antichriſti tyrannidi vel naſcenti, vel confirmatæ, vel ſe poſt lapſum erigenti oppoſuerunt, fructus ſuorum laborum non mediocres retulerunt. Nam vt taceam *Gregorium* illum magnum, cuius magnum eſt apud nos etiam ob vniuerſalis in omnes Eccleſias poteſtatis in Epiſcopo *Conſtantinopolitano* oppugnationem nomen, & gloria: *Heraclius* ille qui *Phocam* primum Papatus authorem occidit, Pontificiſque ius minuit, hoc à Deo retulit præmium, vt *Perſas* funderet, Imperiique in Oriente labentes vires repararet. ex vniuerſo Imperatorum Romanorum qui poſt occaſum Imperij Occidentalis regnarunt numero nullos accepimus aut diutius imperaſſe, aut plures victorias reportaſſe *Henrico* quarto, ſeu vt alij numerant quinto, aut *Friderico* primo, & ſecundo, qui tamen aduerſus Pontifices bella continua geſſerunt. ſæpius collatis ſignis victores extiterunt. neque quiſquam fuit aut propter belli aut pacis artes illis illuſtrior. *Zizca Bohemus* exigua ſæpe manu magnas Pontificum Romanorum copias vicit, inuictúſque vſque ad extremum ætatis tempus aduerſus eos depugnauit, maximámque nominis ſui gloriam ad poſteros tranſmiſit. Vrbem Romam primo impetu ceperunt duce *Borbonio Caroli Quinti* milites, *Clementemque* 7, & Cardinales ad iniquiſſimas conditiones armis adegerunt. fulmen autem illud Pontificum flaccidum nec pili vnius fecerunt. Cuius ſui laboris hoc præmium retulerunt, vt in *Africa* fugatis maximis hoſtium copijs, agris & vrbibus eorum potiti ſint, quas ad huius *Philippi* vſque tempora tenuerunt.

Qui autem apud nos Pontificij regni neruos primus incidit *Henricus Octauus*, & belli & domi ſumma fœlicitate vſus eſt. Hoſtium animos captis

captis eorum vrbibus, cæsisq; exercitibus fregit : idemq; rebelles domuit subditos, tandem verò postquam multos annos regnasset suis charus, hostibus terribilis, ignotisq; honoratus, placidè mortuus est.

Huius verò filia quæ nunc rerum potitur *Elizabetha* cum quouis superiorum temporum vel huius gentis, vel aliarum nationum principe, si fœlicem rerum administrationem spectaueris conferenda videtur. perpetua enim vsa fœlicitate in summa rerum omnium abundantia hos triginta quatuor annos regnauit : atque in alta pace, bellorum procellis vicinas nationes concutientibus, subditos suos gubernauit. hostes classe vicit, inimicorum consilia frustrata est, coniuratorum clandestinas molitiones fœlicissimè detexit, & discussit. quantòque maioribus odijs ipsam pontifex Rom. & Hispanus oppugnarunt, tantò illam Deus omnibus honoribus cumulatiorem reddidit. nihil illis aut occultæ coniurationes, aut aperta arma, aut venena profuerunt, Deus enim ancillam suam potenti præsidio defendit, & protexit.

Nihil autem magis mirandum, quàm quod in *Belgio*, & *Gallia* toties nostri contra tyrannos sæuissimos & potentissimos fœlicissimè pugnarint: quis enim non miretur inermes aduersus armatos, paucos & incompositos aduersus hostium maximas copias, omniumq; rerũ copia instructissimas consistere potuisse? hoc tamen diuina clementia nostris obtigit. nec vnquam illi nisi singulari hostium perfidia & scelere vinci potuerunt: hoc isti teli genere quum alia ratione non possent & *Admirallium*, & *Auraniensem* inuictissimos duces strauerunt.

Lutherum pontifices Rom. & vi aperta & consilijs oppugnarunt. in eum non schola tantùm, sed vniuersa ecclesia Romana impetum fecit. hâc fraterculi, illâc Sorbonici doctores aggressi sunt. nec destitit *Carolus* quintus illi malum minitari : eum tamen nec vi nec dolis vincere, nec fraudibus tollere potuerunt. simili Dei benignitate fretus *Caluinus* hostes omnes suos contempsit. postquam in acie contra pontifices multos annos constitissent, vtrique tandem apud suos honoribus cumulatissimi mortui sunt, placidéque in Domino quieuerunt. reliqui etiam apud *Germanos*, *Heluetios*, *Danos*, aliósque populos reformandæ religionis authores à paruis initijs progressi, nulláque ratione humana nixi tantos in regno pontificio, licèt plurimis præsidijs munito ruinas fecere, vt nos hoc opus Dei fuisse agnoscamus, multi hæc contigisse admirentur, pontificij sine horrore has sui regni ruinas cogitare nequeant, quòd plurimi eorum ad summam senectutem peruenerint, hoc Dei factum est summa clementia : vt seruos suos sibi curæ esse, nulláque aduersariorum molitione tolli posse demonstraret. quare si veris historijs, & non *Hispanicæ* iactan-

tiæ, nec rumoribus falsis, & in gratiam pontificum confictis mendacijs credere voluerit *Bellarminus*: nihil vnquam quod pontificibus Rom. authoribus susceptum est, fœliciter; aut contra illos gestum est infœliciter cessisse reperiet: adeò vt illos etiam sui crebrò cæsi, vt mala omnia excerentur, hostes aduersus eos alacriter pugnent.

At, inquit ille, *miserè perierunt vnà cum rege Pharaone Ægyptij, reliquique ecclesiæ Christi hostes*: nec quisquam prospera vsus est fortuna, qui vires suas contra ecclesiam ostendit. quod nos etiam ab omnibus credi, & seria cogitatione cupimus expendi. hoc enim omne facit contra pontifices Romanos eorúmque partes quæ ecclesiæ nomine ecclesiam Dei instar *Pharaonis* & *Ægyptiorum* persequuntur. ideóque licet maximo nunc impetu in veros Dei seruos ferantur; diu tamen eos stare non posse speramus: omnia enim illis hactenus infœliciter cesserunt; & aut victi sunt à nostris, aut victoria aduersus nostros vti nesciuerunt. nam quod dicit *Bellarminus* Duce Dominico ab octo pontificiorum militum millibus centum *Albigensium* millia cæsa, & profligata fuisse: parùm probabile est mendacium. vnde enim subitò *Albigensibus* tot armatorum millia? imò vnde vel decem millibus armandis pauperculis illis rusticis armaturæ? quo duce prodierunt in aciem? vbi pugnatum est? quæ huius tanti belli causæ? pugnat autem hæc de centum millibus cæsis fabula cum *Matthia* [a] *Parisiensis* narratione. dicit enim *Ludouicum Galliæ* regem cum multis hominum millibus in obsidione *Auinionis* mortuum esse, & maximum exercitum quem duce filio suo contra *Albigenses Tholosates* miserat re infecta à *Tholosa* exiguis copiis reiectum fuisse. quod ostendit & miseros istos exiguas habuisse copias, & nihilominus contra pontificis copias fortiter pugnasse, prætereà dicit *Neubrigensis Simonem Montefortium* quo duce tot *Albigenses* cæsos fingunt in terra sancta mortuum, quem alij multi in obsidione *Tholosana* mortem oppetijsse narrant. quare vt ex *Albigensibus* multos interfecerint pontificis copiæ; non tamen tot millia occidisse credibile est. nec erat illa victoria gloriosa. quid enim minùs gloriosum, quàm multos inermes & incompositos rusticos, & vnà etiam fœminas, & paruos gnatos manus ad cælum tendentes, & pacem implorantes interficere? neque enim hoc erat militum, sed carnificum officium. sed vt multi ex *Albigensibus* horum perfidia perierint, nihil tamen hoc ad nos pertinet: nam licet in multis nobiscum rectè senserint, habuerunt tamen (si vera sunt quæ de illis narrantur) multos errores, quos non probamus.

Lucernenses etiam contra *Tigurinos* victoriam verbis amplissimis

[a] Matthias Paris. in Henric. 3.

auget *Bellarminus.* videtur enim ille ex musca elephantũ facturus, si pontificis sui causæ aliquid se commodaturum viderit. cur autem illam pugnam iactet, causam nullam habuit. nam licet ex *Tigurinis* ceciderint nonnulli, tamen nec fracti sunt illa clade, nec ita fugati quin locum seruarint; nec ita sunt *Lucernensibus* animi aucti, quin pacem libenter petierint, & negotium æquissimis conditionibus deciderint. atque vt nonnulli cæsi essent in pugna illa, non tamen erat controuersia aliqua de religione, sed de finibus & pactis: nec si controuersia fuisset de religione, necesse est, vt ecclesia Dei semper armis superior euadat.

Carolus autem quintus *Germanos* non tam militum robore, quam arte, & sociorum discordia vicit. dilapsis enim ex confœderatis plerísque superuenit, *Saxonémque* nec opinantem, & imparatum aggressus oppressit: quod quidem nisi ipsi bonam, & vtilem operam *Mauritius* nauasset, non tam facilè facturus videtur. nec adeò diuturnum ei ex hac victoria mansit gaudium. nam non ita multò post *Mauritius* qui victoriam ei superiorem dederat, ex iniuria *Lantgrauio*, sibíque à *Carolo* illata animo mutato tanto illum impetu adortus est, vt relictis impedimentis fuga sibi salutem quærere coactus sit; neque post illa in *Germaniam* redierit.

Vltimo in loco commemorat pontificiorum in *Belgio*, & *Gallia* victorias *Bellarminus.* sed si non fuisset ille rerum imperitissimus; puduisset illum vel *Galliæ*, vel *Belgij*, vel victoriæ, vel pugnæ alicuius ibidem factæ meminisse. nam etsi nec numero, nec armis, nec belli reliquo apparatu, nec equitatu hostibus nostri pares essent; locísque & opibus longè essent inferiores, sæpenumero tamen pontificios acie vicerunt. ad fanum *Dionysij* quo sancto pontificij valde confidunt, quatuor millia ex nostris ampliùs quàm viginti hostium millia fuderunt, ducémque eorum occiderunt. Rex *Henricus* qui nunc *Gallorum* rex numeratur eius nominis quartus sæpiùs cum hoste collatis signis semper victor extitit. Dux autem *Auraniensis* sine milite ferè, & neruo belli copiosissimum hostem fatigauit, & fregit; nec ille armis aut aperta vi, aut alia ratione nisi scelere superari potuit, eum igitur *Hispanus* submissis percussoribus per proditionem tollendum curauit. nec sanè, si armis se futuros superiores confidissent, tanta perfidia pontificij in *Gallijs*, & *Belgio* nostros trucidassent. non est enim honestum quos bello potes, eos per nomen pacis, & periuria deceptos trucidare; sed cum nullas nec belli, nec honestatis leges isti colant; cauebunt, credo, posthac qui sapiunt, ne tam perfido hosti quicquam credant, statuentq; tandem multa rerum experientia edocti, aut vincendum gloriosè, aut honestè cadendum. nihil autem

turpius,

turpius, quàm cũ superbo, aut periculosius quàm cum tam crudeli & perfido hoste pacisci, dũ pacem nostri cupiunt, per nostras moras hostes vires collegerunt, multósque è nostris nec opinantes trucidarunt. nec adeò quidem bellum difficile nobis inferri potest, quin pacis insidiosæ moræ multò sint magis formidandæ. Nam licet *Parmensis* dux magnus videatur belli imperator, nostra tamen ille mora, & tarditate, potiùs quàm suis rebus gestis magnus est. videat semel sibi cum iusto exercitu, & legitimo hoste pugnandum, citò imperatoriæ eius virtutis laus deflorescet. si tumultuarias *Belgarum* copias fuderit, & dissidentes inter se vrbes bello ceperit; nihil fecit magna laude dignum. nihil est itaque cur ipsius fœlicitatis argumento ad suæ ecclesiæ commendationem *Bellarminus* abutatur. quî enim possit qui à patria tandiu exulat, & iure suo quod in regnum *Lusitaniæ* habet priuatur, & cum morbis varijs & inimicorum dolis, & inuidia quotidie conflictatur, nec ullam rem magnam, aut in bello, aut pace gessit fœlix dici, non intelligo. ne *Iohannes* quidem *Austriacus*, aut rerum maritimarum qui dicitur fuisse peritissimus *Marchio* sanctæ crucis fœlices dici possunt. hic enim inimicorum dolis, ille immatura morte raptus est. si ex rebus ergo externis, & earum successu prospero aut aduerso pendenda esset ecclesia, nunquam erit ecclesia Romana, vera Christi ecclesia, in ipsam enim Deus iustissimæ iræ suæ tela per multos iam annos effudit, variéque illam persecutus est.

Quare cum nec certa habeat synagoga Romana veræ ecclesiæ signa, nec probabilia eiusdem indicia: exeundum ex illa est, vt veram & catholicam & orthodoxam reperiamus ecclesiam. neque enim in *Ægyptiacis* tenebris, lucis diuinæ fulget splendor, nec in confusione *Babylonica* quærendus est sponsæ Christi eximius decor, & pulchritudo, nec salui esse possunt, qui in *Sodomorum* & *Gomorrhæ* sordibus, & peccatis hærent. ecclesia autem Romana varias inducens superstitiones *Ægyptiacas* religioni offudit tenebras; pontificum Romanorum statuens tyrannidem, confusionem confirmauit plusquam *Babylonicam*; morúmque spurcitie *Sodomorum*, & *Gomorrhæ* superauit iniquitatem. verbi enim fontes obstruxit limpidissimos, sacramenta Christi conspurcauit & adulterauit; cultũ diuinum multiplici idololatria inquinauit, pessimisq; exemplis & institutis morum disciplinam perturbauit. est igitur hæc *Ægyptus* cuius fugiendæ sunt tenebræ: & *Babylon* è quâ pijs exeundum est, & *Sodomorum* ciuitas, cuius infames sunt libidines, & turpitudines, & scortum illud *Babylonicum* quod sponso Christo relicto pontifices Rom. tanquam mœchos calamistratos secutũ est. cauete igitur ne vos fallat fucata huius scorti species. multo fuco, & lenocinijs omnibus meretricẽ hanc *Bell.* exornauit. *Verstegarus*

stolam illi induit matronalem, & tanquam auro & gemmis, sic fabulis, & mendacijs eius deformitatem occultauit, multáque & iste pinxit, & vtrique finxerunt, quò homines imperitos in huius amorem pellicerent, sed detrahite comam, & detergite fucos, & citò eius caluitiem, & atritatem videbitis. sub vestibus, & ornatu isto ascititio insignis latet turpitudo, & deformitas. hoc certè vel cuiuis non omnium rerum imperitissimo iam constare puto, nullum esse in media *Roma* ipsâ Romana Ecclesia turpius & impudentius scortum. fugite igitur quantùm potestis, turpes huius scorti amores, ne communes cum illo scorto subeatis pœnas: & veram quærite Ecclesiam, ne in *Ægyptiacis* oberrantes tenebris, ex salutis via excidatis. quo faciliùs hoc consequi possitis, veram ego vobis in sequenti libro Deo annuente ostendam Ecclesiam: ducámque vos tanquam *Thesei* filo in tutam viam; omnésque illas fraudes, & calumnias quibus vos aduersarij salutis vestræ à recto itinere abducere conantur, refellam. interim verò animos nostros ex superiore contentione, quoniam acriorem contra Ecclesiæ nostræ, Imò Christi Catholicæ Ecclesiæ obtrectatores, & hostes subituri sumus dimicationem, parumper relaxandos censeo.

Finis libri primi.

DE VERA, CATHOLICA, ET ORTHODOXA CHRISTI ECCLESIA, LIBER SECVNDVS, IN QVO

Ecclesiæ per *Angliam, Scotiam, Germaniam, Galliam*, & alias Regiones orthodoxæ, & vna fidei Catholicæ professione coniunctæ religio, & mores à pseudo-catholicorum calumnijs vindicantur.

CAPVT I.

Orthodoxam esse, & verè Catholicam Ecclesiam, quæ per Angliam, Scotiam, Germaniam, Galliam, & alias Regiones dispersa vna fidei Christianæ confessione coniungitur.



T recti & iniqui, sic veri & falsi vna norma est; cùm igitur quæ falsa & adulterina sit Ecclesia ex Scripturis cognouerimus; ex eisdem etiam quæ vera sit, & orthodoxa Ecclesia inuestigandum est. Sunt enim illæ nobis instar *Lydij* lapidis, & normæ non *Lesbiæ*, & flexibilis (vt impudenter Pontificij asserunt) *sed*

certa & [1] recta, ex qua & verum, & falsum agnoscere possumus. Ex istis discimus, eam veram esse Ecclesiam, quæ verbi diuini rectè traditi sono ex deuio errorum, & iniustitiæ tramite reuocata, & in Christi nomine collecta fidem orthodoxam, & Catholicam profitetur, sacramentísque à Christo duntaxat institutis vtitur, Deúmque secundùm Scripturæ leges colit, & sanctè viuit. Ex eisdem etiam scimus, & pro explorato habemus, illam esse veram & Catholicam Ecclesiam, in qua per *Angliam*, & alias nobiscum in fide consentientes Regiones fideles veram Christianæ religionis professionem faciunt. Nam & fundamento certo innitimur, nempè Scripturis Propheticis, & Apostolicis, in quibus Ecclesia Catholica & fundata, & extructa est: & ea nobis ex multis signis, & documentis adesse scimus, quæ naturæ Ecclesiæ insunt, & ex quibus vera Ecclesia certò demonstratur, & cognoscitur. signa denique quæ vel probabilitate aliqua nos ad veræ Ecclesiæ cognitionem ducere possunt, ea omnia nostræ Ecclesiæ adesse videmus.

1 Scripturas appellat Chrysostomus ἀνάντιρρητα, ἀκριβῆ ζυγὸν, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα. in 2. Cor. hom. 13. Basilius κανόνα ἰθύνοντα καὶ γνώμονα ἀληθείας, vocat.

Scripturas agnoscimus & recipimus omnes Canonicas; illas nimirùm veteris Testamenti, quas *Hebræi* ex numero literarum [2] Hebraicarum canonicas dixerunt; & quas [3] *Hieronymus*, [4] *Melito*, [5] *Athanasius*, [6] *Epiphanius*, imò & [7] Canones qui dicuntur Apostolorum, & [8] *Nazianzenus*, & [9] *Cyrillus Hierosolymitanus*, & [10] *Gregorius* etiam primus, & [11] *Laodicena* Synodi Patres, & *Sedulius*, & omnes veteres solas agnouerunt, vt fidei certum Canonem; noui Testamenti omnes libros amplectimur, & super hoc canonicarum Scripturarum fundamento fidem ædificamus.

2 Ioseph. contra Appion. lib. 1.
3 In prolog. galeat. & præfat. in Psalm.
4 Lib 4. cap. 26.
5 In Synops.
6 De pond. & mens.
7 Can. 84.
8 In Versib.
9 In Catechis.
10 In Iob.
11 Can. 59.

Libros *Tobiæ*, *Iudith*, *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Machabæorum*, & *Esdræ* tertium & quartum, & reliquos *Apocryphos* libros, qui cum Canonicis coniunguntur, ex Canonicis iudicamus; & ex ijs si quid cum Canonicis consentit, ad mores efformandos excerpimus, vt Canonem fidei non admittimus: nec veteres quidem, quos dixi, admiserunt. Etiam *Melchior* [12] *Canus* hos in dubium vocatos fatetur, & de Ecclesiastico dubitat [13] *Thomas Aquinas*, & de alijs alij. tertium & quartum *Esdræ* Concilium *Tridentinum* non probat. Traditiones non scriptas superstitionem olentes, & doctrinam fidei decretalinam ex *Gregorij 9*, *Bonifacij 8*, item *Clementis 5*, & *Iohannis 22*, & aliorum Pontificum Romanorum lacunis haustam, quam sues isti Pontificij cupidè vorant, & amplectuntur, repudiamus, & abhominamur. Hæresis enim sunt ista, non fidei fundamenta; nec fieri potest, vt vel rectè credant, qui his credunt ineptijs; nec vt nos aberremus, qui tam solido fundamento Canonicarum Scripturarum inhæremus.

12 Theolog. lib. 2. c. 5.
13 Part. 2. q. 86. art. 8.

Scripturis

Scripturis consentaneè credimus vnum Deum, [1] vnius substantiæ, naturæ, maiestatis, virtutis; [2] vnius etiam consilij, voluntatis, & dominationis; æternum, bonum, iustum, omnipotentem, ex quo omnia: & tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; neque [3] confundimus personas, nec substantiam separamus; Patrem credimus increatum, & ingenitum; Filium genitum; Spiritum sanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem; omnes inter se coæternos & coæquales, eiusdémque & maiestatis & potentiæ. Filium credimus humanitatem sine peccato assumpsisse, eúmque verum Deum & hominem naturis inconfusis in vna persona fuisse, & Legem pro nobis complesse, & pro nobis mortuum esse, resurrexisse, & in cælos ascendisse, vnde eum Iudicem viuorum & mortuorum expectamus. Omnia denique de vnitate essentiæ diuinæ, & personarum trinitate, Ecclesiáque Catholica, & summis Christi in eam beneficijs amplectimur, quæ vel Apostolicum, vel *Nicenum*, vel *Athanasij*, vel *Constantinopolitanum* Symbolum continet, vel pij Patres secundùm Scripturas docuerunt.

[1] Concil. Tolet. 11.
[2] Concil. Constan. 6.
[3] Ex Athanas. Symbol.

Hæreticorum verò omnes aduersus Dei vnicam essentiam, & personarum distinctionem, & Deitatem, blasphemias; omnésque aduersus easdem, aut aduersus omnipotentiam Dei, vel opera diuina, vel aduersus Christi personam aut naturas, vel aduersus Legem, vel Euangelium, vel vetus vel nouum Testamentum, vel aduersus Dei erga Ecclesiam beneficia, vel Christi officium, vel cultum diuinum, & morum sanctitatem; omnes denique aduersus sanctam fidem, & verbum Dei hæreses execramur, & non verbis tantùm, sed animo etiam aspernamur. *Simonianis*, *Valentinianis*, *Basilidianis*, *Cerdonianis*, *Marcyonitis*, *Manichæis*, *Sabellianis*, *Arrianis*, *Nestorianis*, *Eutychianis*, *Pelagianis*, omnibúsque priscorum Patrum consentiente sententia damnatis hæreticis, & nos anathema dicimus.

Illos etiam qui nouis nominibus, *Eutychianismi*, & *Pelagianismi*, & multarum veterum hæreseôn referunt sordes, Angelorúmque, & mortuorum, imò & crucis, & lignorum & lapidum adorationem, & cœlibatum verbi ministrorum, & ciborum prohibitionem, & huiusmodi doctrinas [4] dæmoniorum introducunt, Scripturarúmque fontes suo traditionum, & interpretationum cæno corrumpunt, & Christi sacerdotium & sacrificium vnicum, & eius mediationem, & regnum, & prophetiam aut tollunt, aut obscurant, variásque contra verbum Dei disseminant hæreses, damnamus & detestamur.

[4] 1. Tim. 4.

Sacramenta quæ Christus instituit sola agnoscimus, eisdémque secun-

 dùm

dùm Christi institutionem vtimur, & de eorum numero, vsu, & effectis, quæ sacræ docent literæ humiliter credimus, & amplectimur; omniáque humana auctoritate instituta, & recepta sacramenta, & sacramentariæ doctrinæ deprauationes repudiamus.

Deum veneramur, & colimus prout ipse mandauit & publicè, & priuatim; linguáque vtimur, quam omnes intelligunt, & in qua omnes Deum glorificare possunt; cultúmque diuinum non in votis temerè emissis, & voluntarijs cultibus, sed in mandatis diuinis implendis positum putamus. Omnes humana prudentia aut superstitione institutos, aut susceptos cultus damnamus; sanctorum impiam inuocationem, turpissimúmque idolorum cultum, omnésque superstitiones, & idololatrias repellimus, & condemnamus.

Sanctitatem morum colimus, omnésque & verbo refellimus, & mente aspernamur impuritates, & turpitudines; hypocritásque illos qui fidem ore non factis profitentur, vt pseudo-christianos auersamur; Magistratui paremus; officijs singuli fungimur; & si in aliquo labimur, ad Christi misericordiam vnicum miserorum asylum confugimus. Ex his signis nos esse Ecclesiam certò scimus. Nam nec qui errant in fidei fundamento hæretici ad Ecclesiam pertinent, nec qui rectè sentiunt, & credunt, possunt esse alieni ab Ecclesia Christi. Huc accedit quod tesseris, & symbolis etiam Christianæ religionis, & ex cultu diuino & veri Christiani, & serui Dei agnoscuntur. Nec vlla superest dubitatio cùm professioni externi mores respondent, & rectam fidem sancti mores sequuntur.

Magnoperè etiam nostram Ecclesiam veram esse confirmant multa alia, licèt non omnia pari cum primis dignitate æstimanda indicia. Nam & hæc quam nostra Ecclesia amplectitur fides, illa est quam veteres Catholicam dixêre, quæque ab Apostolis prædicata & super doctrinam Propheticam & Apostolicam fundata vndique diffusa, & ad nos vsque per continuas piorum virorum successiones propagata est. Hæc est inquam pia religio quæ Ethnicos, & Infideles efficaci spiritus operatione conuertit, quámque pij Patres *Ignatius*, *Iustinus Martyr*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Chrysostomus*, *Basilius*, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Gregorius*, & reliqui prisci Patres defenderunt, docuerunt, Martyrésque sanguine suo effuso confirmarunt, quámque & nos vnanimes defendimus & tuemur, quámque à Christo capite apud Ecclesiam depositam seruamus; qua nulla vnquam religio, aut verior, aut sanctior, aut sanctiores habuit magistros, aut pluribus miraculis aut prophetijs, imò aduersariorum testimonijs, & pœnis,

aut

aut beneficijs denique illustrioribus in ecclesiæ propugnatores collatis confirmata est: Præterea quæcunque ecclesia hanc fidem amplectitur, ea est catholica, Apostolica, sempérque durauit, verámque habet successionem, & piorum patrum testimonium, & firmissimo cum Christo vinculo coniuncta est, & ciues habet vnanimes, & sanctissimam & efficacissimam doctrinam, & authores doctrinæ pijssimos, & miraculorum & prophetiæ testimonia illustrissima, denique & aduersariorum testimonio, & iudicijs diuinis in aduersarios eius effusis, & maximis beneficijs in eius defensores cumulatis, vera esse Christi ecclesia demonstrata est. Cum igitur & definitio veræ Christi ecclesiæ nostræ conueniat, & omnia habeat illa, & vera signa, & à pontificijs allatas coniecturas: nihil est quòd quisquam dubitet nostram ecclesiam esse orthodoxam, & veram Christi ecclesiam.

Habere autem illam & verbi veram prædicationem, & sacramentorum administrationem sinceram, & reliquum secundum diuinas leges cultum diuinum, & morum sanctitatem, & illas etiam externas ecclesiæ à *Bellarmino* excogitatas notas: vereq; illi ecclesiæ definitionem conuenire, ex singulis fidei nostræ communis articulis, & multis piorum virorum scriptis & exemplis, & rerum gestarum monumentis, & argumentis, probare possimus, sed quoniam aduersarij multa ipsi fatentur, & nobiscum defendunt, vniuersaque ecclesiæ nostræ fides à multis nostris doctoribus probata & defensa est; esséque opus immensum omnia religionis nostrę dogmata demonstrare; omnia etiam instituta & mores ecclesiæ nostræ singulis subiectis argumentis defendere; non complectar hoc libro amplius, quàm necesse est. Agimus contra Pontificios: quæcunque illi contra nostram religionem, aut mores obiecerunt, ad ea tantum respondebo: Reliqua quia tacent, quasi concessa sumam. nihil est certè quod dubitetis illa vera esse, nam si vlla fuisset illis vel refellendi spes, vel calumniandi locus, proculdubiò non tacuissent, qui quæ verissima sunt, & rectissima sæpenumero reprehendunt, ne ipsi quidem (credo) licet valdè pertinaces sunt, negabunt pontificij, nostram veram esse ecclesiam, si quæ aduersus eandem collegerunt argumenta aut falsa sunt, aut infirma: nec diutiùs aduersus veritatem pugnare honestè possunt, si omnis eorum reprehensio insulsa, iniqua, & falsa esse demonstretur. Hæc igitur nobis in hoc primo huius tractatus aditu proposuisse sufficiat, nunc quod præcipuè nobis propositum fuit contra calumniatores nostros versis gladijs depugnãdum est; omniáq; vel aduersus ecclesiæ nostræ fidem aut mores, aut doctores, aut plebem, aut principes, quæ quidem nos legimus aut audiuimus conuitia, & contumeliosa dicta diluenda sunt.

CAP. 2.

Ad Bellarmini conuitia qui nos Martinistas, Lutheranos, Zuinglianos, *&* Caluinistas *vocat; argumentáque quibus nostra Ecclesiæ nouitatem, & exiguam durationem, & angustias probare molitur, respondetur.*

EXpectabam quidem à *Bellarmino* argumenta, nam hoc eius apud suos propter eruditionem nomen gloriosum pollicebatur, & aduersarij dignitas postulabat. sed video mihi cum monacho, hoc est cum conuitiatore & stolido sophista negotium fore. Argumenta rara sunt, crebra conuitia. Dicit nos nec Catholicos nec Christianos dici, sed *Lutheranos* & *Caluinistas*, & ideò non esse nos catholicos. sed nec verum dicit, nec ex eo quod dicit sequitur quod cupit. nam inter ipsos sunt qui dicuntur Franciscani & Dominicani, & in scholis nonnulli Thomistæ, alij Scotistæ dicuntur, quos tamen ipsi non tantùm inter Catholicos, sed etiam inter Catholicorum præcipuos duces numerant.

Prætereà nullus est apud nos, qui se *Lutheranum* aut *Caluinistam*, aut alterius doctoris nomine appellari sustineat; nec causa est, cur *Lutherani* aut *Caluinistæ* dicamur; nam quæ *Caluinus* aut *Lutherus* docuit nullus nostrum vbique defendit, nec necessitate vlla ad eorum aut hominis cuiusquam amplectendam sententiam astringimur. Eorum enim omnia dogmata ad normam Scripturarum examinamus, & si ex sententia Scripturarum dixerint, sequimur; sin secus opinati fuerint, deserimus.

Meritò autem monachi à primo suo authore, *Franciscani, Dominicani, Benedictini* & *Gregoriani*, & à pontificibus suis *Pauliani, Sixtiani, Iuliani* & *Gregoriani* vocantur. Nam nec ab authorum regula latum vnguē licet illis discedere, nec solent quę pontifices Rom. docent reprehendere. Prætereà omnia pontificū decreta tanquam Christi dictata probant; Pontificum inquam illiteratorum, ineptorum, stolidorum, apostatarum, hæreticorum omnes sententias tanquam doctrinam diuinitus inspiratam probant. Quod qui faciunt, quocunque nomine vocantur, nec christianos nec catholicos vocandos esse, omnes vident.

[a] De not. eccles. cap. 1.

At (inquit ille) *Caluinistæ, & Lutherani & Zuingliani à Romana Ecclesia vocamini, neque quisquam est qui vos Catholicos, aut Christianos esse censeat.* Fateor quidem has in nos contumelias dici, idque nullo nostro merito, sed valdè iniquum oportet esse iudicem, qui reum ex accusatoris

cusatoris calumnia condemnat. Multa in nos passim conuitia conijciunt pseudo-catholici; sed ex authorum & testium fide dignorum testimonijs, non ex accusatorum conuitijs causa dijudicanda est. Multa etiam nostri in istos dicunt, ex quibus tamen causam suam æstimari nolunt. Quare si vllam sibi fidem haberi postulet, missum faciat domesticum hoc testimonium.

Apud nos nemo se dicit *Lutheranum*, & apud illos innumeri sunt monachorum greges, quorum alij à *Francisco Franciscanos*, alij à *Dominico Dominicanos*, alij à *Benedicto Benedictinos*; imò & à fœminis (nam has sanctas mulierosi isti togis demissitijs monachi diligentissimè colunt) seipsos denominant. nam à *Clara Clariani*, à *Brigitta Brigittiani* vocantur. & quia omnes pontificis sectam sequuntur, non tam christiani quàm pontificij dici merentur. Erunt igitur isti, (si *Bellarmini* valeat ratio) nec Christiani, nec Catholici. quod certè non male conclusum videtur. Malo igitur videtur auspicio hanc disputationem ingressus *Bellarminus*, qui aduersarios nec vulnerans quidem, clarissimos suos fratres *Brigittianos*, & *Dominicanos*, imò & *Theatinos*, & *Thomistas*, & qui olim dicti sunt ex *Urbani* & *Clementis* factione, *Urbanistæ* & *Clementistæ*, & multas turpissimorum monachorum sectas, imò vniuersam pontificis Rom. sectam frustatim concipilauit.

At certè (inquit) *vestra religio nuper cœpit; Anno enim Domini 1517. Lutherus in Saxonia noua dogmata promulgauit, à paruísque initijs progressus, paulatim discipulos acquisiuit*, reclamante multùm licet & contra rugiente *Leone* decimo, & repugnantibus Academijs, & pontificijs Theologis. quorum illud facilè concedo, repugnasse, & ægerrimè tulisse Asinum illum *Leonina* pelle indutum quem *Leonem* decimum vocant. Multósque illi suffragatos ex Sorbona & Colonia Sophistas, & ex intima pontificis familiaritate, quique eius mentem optimè nouit *Syluestrum* Prieriam: nec multum contendemus *Lutheri* copias primò paruas postea auctas fuisse, sed in authore, tempore & loco nostræ fidei multum errauit.

Authores enim nullos habemus, nisi Christum, Prophetas, & Apostolos, nec alio loco aut tempore cœpit nostra fides, quam quibus illi floruerunt, nec dogmata alia defendimus quàm quæ ab illis accepimus, & per patrum priscorũ manus ad nos vsq; peruenerunt. Non est nobis, vt *Iesuitis Loyola* claudus ille *Iesuiticæ* sectæ consarcinator, nec *Paulus 4.* qui [1] *Theatinos* instituit, nec *Franciscus* nostræ religionis author, nec cœpit ea demum *Pauli 3.* aut *4.* temporibus; nec *Honorij 3.* vel *Innocentij 3.* vel *Nicolai* ætate; nec Romæ aut in monte Aluerniæ, aut Venetijs, aut in aliquibus denique

[1] Onuphr. in Paul 4.

deniq; hominum impurorum lustris, vt pontificiorum pleraq; religiones nouæ, cœpit. Hæc sunt pontificiæ causæ vulnera à *Bellarmino* ipsi inflicta; nobis sanè communia non sunt, vt sæpè diximus; mirórque *Bellarminum* hominem non adeo insulsum ista non animaduertisse. Nouæ sunt etiam horum religiosorum, vt malè se vocant, regulæ; nam paupertatis, castitatis & obedientiæ votis nouis se obstringunt. At quæ à *Luthero* noua prodijsse dogmata autumat, ea antiquissima sunt. nam quod docuit *Lutherus*, sola fide nos iustificari, & Eucharistiam non esse externum, & propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum sacrificium, non est nouum, sed antiquissimum christianæ religionis dogma. Qui autem contra docent, illi noua amplectuntur & docent, non à Christo accepta, sed à pontificibus suis, & scholis hausta dogmata. non enim dicimus nos homines iustificari, quod se iustos putent; aut *sola fide iustificari* interpretamur, solitaria fide, quæ nulla profert bona opera, aut propter meritum fidei, quod impudens ille *Sophista* nobis ascribit; sed dicimus homines ideo sola fide iustificari, quod Deus illis peccata propter Christum condonat, & Christi iustitiam imputat, & pro iustis habet, si in Christum crediderint. quam remissionem peccatorum & iustitiæ imputationem, quia nulla re præterquam fidei instrumento apprehendimus, Idcirco dicimus in nobis nihil esse quo iustificemur coram Deo præter solam fidem; longéque errare pontificios qui iustitiam ex lege inquirunt, quam implere nequeunt; & in operibus quæ sunt contaminatissima; & in naturæ viribus, quæ ad res salutares consequendas in peccato originali fractæ sunt & amissæ, salutem inuestigant. qua in sententia pontificij, non à veritate tantùm, sed etiam à prudentia destituti sunt. Nam si cuiquam mortalium hæc sententia, maximè sanè Pontificijs placere debuit. nam nisi sola fide salutem adipisci possint; nihil est quod de operibus suis sperent. sunt enim tenebrarum opera, sunt flagitia & scelera, & insignitissimæ turpitudines, non tantùm monachorum sed & pontificum summorum opera. Sententiam nostram & scripturæ & patres confirmant, illorum euertunt.

[z] Ephes.2. *Gratia estis seruati* (inquit [z] Apostolus) *per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.* iustificatos idem ex fide

[a] Rom.5. [a] dicit, *pacem habere ad Deum per Dominum Iesum Christum.* si ergo ex fide seruamur, & pacem habemus erga Deum, idque non ex nobis, nec nostris operibus; non errant tantùm, sed planè desipiunt, qui in operibus pacem expetunt, aut in seipsis quærunt, aut habentes pacem ex Dei gratia, eam suis meritis ascribunt. opera omnia perspicuè à iustificatione excludit Apostolus, non tantùm infidelium, sed & regeneratorum etiam. *Col-*

ligimus

ligimus (inquit [1] *Paulus*) *fide iustificari hominem absque operibus legis*; at hoc verè affirmari non potest, si opera renatorum in iustificatione interueniant; aut fides sine operibus infirma sit, & imperfecta. Concludit igitur [2] nullum apud Deum iustificari per legem; cui contradicunt Pontificij, qui ex charitate homines iustificari dicunt. nec mirum videri debet, quòd iustitiam nobis imputari dicamus. eam enim non esse inhærentem & formalem (vt vocant) qualitatem ex Apostolo discimus. *Ei* (inquit [3] ille) *qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.* huic multæ similes reperiuntur apud illum sententiæ: *Sicut per inobedientiam* [4] *vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Quare si nec *Adami* peccatum formaliter nobis inhæret; nec iustitia nostra apud Deum formalis erit qualitas. *Quis* (inquit *Paulus*) *intentabit* [5] *crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat.* si Deus nos iustificat, ergo non erit nostra à nobis iustitia. *Propheta* [6] *Dauid pronuntiat eum beatum cui Deus imputat iustitiam absque operibus*; [7] *Beatus est enim* (non qui implet legem Dei & satisfacit Dei mandatis, quales nulli sunt) *sed cuius remissæ sunt iniquitates, cuique Deus non imputat peccatum.* Ita nos effici iustos inquit Apostolus, vt Christus factus est peccatum. [8] *Fecit enim, vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo*; at Christo formaliter peccatum inhæsisse sine blasphemia dicere non possunt. fateantur igitur, quod sequitur, formalem hanc pontificiorum iustitiam *Pauli* affirmationi contradicere, aut ipsum non rectè collegisse necesse est. *Pauli* certè iustitia si cum Pontificum sordibus comparetur, erit vt sol luto comparatus: *ipsi tamen in votis erat, vt comperiretur in Christo non habens suam iustitiam, nempe quæ est ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi*, id est, iustitiam quæ est ex Deo per fidem. Nunc ne malè ex scripturis sola fide hominem iustificari argumentari videamur, docebimus & patres in eadem nobiscum fuisse sententia, & eodem modo argumentatos esse.

[1] Rom.3.
[2] Ad Gal.3.
[3] Rom.4.
[4] Rom.5.
[5] Rom.8.
[6] Rom.4.
[7] Psal.32.
[8] 2.Cor.5.

Origenes in illa verba *Pauli*; [9] *Arbitramur iustificari hominem per fidem absque operibus legis*; *sufficere*, inquit, *solius fidei iustificationem, ita vt credens quis iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Item, *ex* [10] *nullo legis opere; sed pro sola fide ait adulteram mulierem, remittuntur tibi peccata tua.*

[9] Origen. in epistol. ad Rom. lib. 3.
[10] Ibidem.

[11] *Cyprianus* docuit, *gratis nobis imputari ex fide iustitiam*; nihil ergo ille de formali & inhærente iustitia audiuerat, nec opera coniunxit cum fide, *si gratis, & ex imputatione putarit hominem iustificari.* [12] *Hieronymus Deum nos ex sola fide iustificare asserit. Ea demum* (inquit [13] *Basilius*) *perfecta,*

[11] Cypr. lib. 2. epist. 3. & in expositione symboli.
[12] In cap. 10. ad Rom.
[13] Lib. de humilitate.

fecta, & omnimoda gloriatio est in Deo, quando nec propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se vera quidem destitui iustitia, verùm sola in Christum fide iustificatum esse; ideóq; iustificari dicit homines gratis [1] Ambrosius, *quia nihil operantes, nec vicem reddentes sola fide iustificati sunt dono Dei.* Idem [2] affirmat, *nos cessante lege, imò & nostro labore, iustificari sola fide apud Deum. Fidem etiam solam iustificare disertè loquitur* [3] *Hilarius.* His etiam astipulatur [4] *Athanasius, qui fidem ipsam vel solam iustificandi in se habere virtutem dicit.* [5] *Augustinus disertè excludit omnia opera nostra à iustificatione, & dicit nos iustificari non lege operum, sed lege fidei.* Contra istos etiam testimonium pro nobis dicit non leuis author *Gregorius. Non in fletibus, aut actibus nostris* ([6] inquit ille) *sed in aduocati nostri allegatione confidendum est.* Ex fide etiam *citra opera legis sequi iustitiam confirmat* [7] *Epiphanius.* [8] *Chrysostomus* autem tum maximè dicit valere fidem cum nihil accesserit ex lege. Quæ igitur hæc monachalis est impudentia eam doctrinam quæ in sacris literis disertè, in tot patrum scriptis verbatim continetur, nouam & à *Luthero* confictam dicere?

[1] In epist. ad Rom. c. 3.
[2] In c. 4. ad Rom.
[3] In Mat. c. 8.
[4] Ad Gal. 3.
[5] De spirit. & lit.
[6] In Ezech. lib. 1 hom. 7.
[7] In Anchorat.
[8] In 3. ad Gal.

Pontificiorũ quidem doctrina qui charitatem docent esse formam fidei, & nos iustificari formaliter, non per Christum, sed per bona opera, non tantùm noua est, sed & impia & insulsa; nam & scripturæ primas fidei tribuunt, & opera excludunt à iustificatione, & de formali hac iustitia ne verbum quidem vnum faciunt, isti verò fidei tantùm, principium iustitiæ: perfectionem, suis operibus tribuunt, & ea in re contra patres loquuntur. Déque formali iustitia noua & inaudita garriunt, impiè verò faciunt, quòd plus suis tribuant operibus, quàm Christi iustitiæ, idque contra scripturarum sententiam; insulsè loquuntur quod vnam virtutem alterius formam faciunt, & fidem dicunt subsistere sine forma, & in luto, hoc est, in naturæ sordibus iustitiæ lumen quærunt. Quòd autem dicit *Iacobus hominem operibus iustificari, & non ex fide, & scripturæ nonnullos iustos pronuntient*; nihil illud apostoli Pauli de sola fidei, & Christi iustitia sententiam conuellit, nec contra nos facit. Iam *Iacobus* loquitur de iustificatione coram hominibus, seu ostensione iustitiæ; & de fide quæ in cognitione existit, & est hypocritica, & mortua; *ostende*, inquit, *mihi fidem tuam*; & paulò post, *diaboli credunt, & contremiscunt.* Apostolus autem *Paulus* de iustificatione coram Dei tribunali loquens, eam *fidei diuinam misericordiam prehendenti tribuit*, multósque nos fatemur propter inchoatæ iustitiæ studium dici iustos, sed in hac quæstione agitur de iustificatione coram Deo, & iustitia hominis absoluta, quam qui operibus suis tribuunt, non illi pacem conscientijs, sed terrores quærunt, Lex enim continuò accinit,

einit, *Væ illis qui non permanserint in omnibus verbis legis domini.* non igitur nostra *de solius fidei iustificatione*, sed *Bellarmini de formali charitate, & operum iustificatione* sententia noua est; neque tamen valdè noua, nam *Pelagius* ante multos annos hoc primus docuit, illúmq; monachum hic monachus quasi ijsdem vestigijs persequutus est.

Quæ etiam de sacrificijs christianorum docemus, noua non sunt, sed & sacris literis, & patrum scriptis consentanea. Dicimus enim primùm, nulla nunc christianis sacrificia superesse externa, & propitiatoria pro viuis & defunctis; deinde, Christum vnicum esse noui testamenti sacerdotem, & vnicam victimam, nec repetendum esse illud à nobis sacrificium, nec in nos sumendum sacerdotium. primum ex locis constat sequentibus. *Omnes enim à Christo reges, &* [1] *sacerdotes facti sumus ad sacrificia deo offerenda;* [2] *sacrificiáque nostra in nobis ipsis Deo consecrandis, & in rationabili cultu nostro* posita esse docet Apostolus. Christus [3] Samaritanæ prædixit futurum, *vt veri adoratores in spiritu, & veritate Deum adorarent, cessarétq; externus cultus qui fiebat Hierosolymis, & in excelsis. Per ipsum Christum* (inquit [4] Apostolus) *assiduè offeramus sacrificium laudis*, id est, *fructum labiorum confitentium nomini eius.* Idem [5] hortatur Hebræos, *ne beneficentiæ, & communicationis obliuiscerentur; talibus enim victimis*, inquit ille, *delectatur Deus.* [6] *Paulus à Philippensibus* ad se transmissas eleemosynas, appellat *odorem bonæ fragrantiæ, & hostiam Deo acceptam & gratam*; spiritualis etiam sacrificij in secundo capite eiusdem Epistolæ meminit. gentes enim per [7] *eius ministerium* Deo *consecratas oblationem appellat.* Hoc Christianorum omnium sacerdotium, *spirituale esse, & omnes Christianos spirituales hostias Deo offerre per Christum*, docet Apostolus [8] *Petrus.*

[1] Apoc. 1.
[2] Rom. 12.
[3] Ioh. 4.
[4] Heb. 13.
[5] Ibidem.
[6] Phil. 4.
[7] Rom. 15.
[8] 1. epist. 2.

Secundum etiam sacræ literæ perspicuè docent: *Christus est enim sacerdos æternus, secundum ordinem Melchisedek.* Ille vna pro [9] *peccatis victima oblata perpetuò sedet ad dextram* Dei; *& ipse est Pontifex futurorum bonorum, & non per* [10] *sanguinem hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* non ergo instaurandum est hoc sæpius sacrificium, nec sæpius illi, aut alijs ingrediendum est in sancta sanctorum. *Sanctificati enim sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Ille vna pro* [11] *peccatis oblata victima, in perpetuum sedet ad dextram* Dei, *id quod superest expectans, donec inimici eius scabellum pedum fiant. vnica enim oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur.* si ad dextram Dei sedit, non ergo in pixidibus sacrificulorum habitat; nec dextrè ab illis ad implendos eorum loculos tractatur; nec sæpius offertur; *nam vt* [12] *statutum est omnibus semel mori, postea verò Iudicium;*

[9] Hebr. 9.
[10] Ibidem.
[11] Hebr. 10.
[12] Hebr. 9.

ita Christus semel oblatus, vt multorum peccata tolleret, altera vice absque peccato conspicietur ijs, qui ipsum expectant ad salutem. Et ne nobis placeret hic creber sacrificandi ritus Pontificius; *Talis nos* (inquit [1] Apostolus) *decebat Pontifex cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, priùs pro peccatis proprijs victimas offerre, deinde pro peccatis populi; id enim fecit semel, cum semetipsum obtulit.* externis Christianorum sacrificijs, & eorum multitudini vehementer reclamant etiam patres.

1 Heb. 8.

Quod non terrenis sed spiritualibus sacrificijs Deo litandum sit perspicuè ipsi docent, *ita legimus* (inquit [2] *Tertullianus*) *vt scriptum est, cor tribulatum hostia est Dei.* Idem [3] *docet, sacrificandum Deo sacrificium laudis. Sacrificamus* ([4] inquit) *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius: sed quomodo praecepit Deus, pura prece. Ideo* (ait [5] *Irenaeus*) *nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cælis: illuc enim preces nostræ, & oblationes diriguntur, & ad templum, quemadmodum Iohannes in Apocalypsi ait, & apertum est templum Dei & tabernaculum. Ecce enim* (inquit) *tabernaculum Dei in quo habitabit cum hominibus.*

2 Aduers. Iudæ.
3 Ibidem.
4 Ad Scapul.
5 Aduers. hæres. lib. 4. cap. 34.

Iustinus [6] *Martyr* præter spirituales hostias omnes alias condemnat; *Supplicationes* (inquit) *simul & gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur solas perfectas esse, & Deo charas victimas, ipse quoque affirmauerim. has verò solas facere Christiani didicerunt.* [7] *Basilius inge sacrificium, & victimas continuò repetitas cessasse, multitudinémque legalium victimarum explosam esse docet; successisse enim vnam hostiam Christum, & quæ pro eius confessione celebratur sanctificandorum mortificatio. Vnam,* dicit ille, *esse aspersionem, nempè lauacrum regenerationis; vnam expiationem peccati, nimirum sanguinem illum pro salute mundi effusum. Vnam agnoscit* [8] *ille victimam in hoc seculorum fine approbatam, semel oblatam in abolitionem peccati. Agnus enim Dei* (inquit ille) *abstulit peccatum mundi, seipsum offerens oblationem, & hostiam in odorem suauitatis.* Vnici illius, *in cruce peracti sacrificij, perpetuò durare efficaciam* docet [9] *Gregorius Nazianzenus. Primam preterea sapientiam* [10] *docet esse vitam probam & honestam Deóq; perpurgatam; Deúmque purissimum à nobis solum purgationis sacrificium requirere; quod quidem cor contritum, & laudis sacrificium, & nouã in Christo creaturam, idque genus nominibus appellare scriptura sacra familiare est.* His suffragatur & [11] *Epiphanius; Num quadraginta* (inquit) *annis sacrificium mihi obtulistis in deserto? &c. vt discerent quod Deus per aduentum Christi sui omnem sacrificiorum vsum tolleret, vno sacrificio omnia quæ antea fuerunt complente, ac perficiente, quod est sacrificium, & victima Christi; nam*

6 In Tryphon.
7 In cap. 1. Isai.
8 Ibidem.
9 In Pasch. orat. 2.
10 In plag. grandin.
11 Hæres. 42. Marcyon.

nam Pascha nostrum immolatum est, Christus. Christus (inquit [1] *Chrysostomus* cum eisdem consentiens) *non semper crucifigitur; vnum enim pro peccatis nostris obtulit sacrificiū, sed semper per illud nos purgat, vetera* [2] *idem sacrificia antiquata, & aliud inductum docet. non est enim* [3] *aliud sacrificium; vnum nos purgauit, post illud ignis, & gehenna.* Idem inter externa discedentia, & spiritualia succedentia sacrificia distinguit. [4] *vides*, inquit, *alia quidem discedentia, alia succedentia sacrificia. hac igitur offeramus; illa quidem diuitiarum sunt, hac virtutis; illa extrinsecus, hac intrinsecus.* Audite etiam similem *Cyrilli* sententiam, *Sacrificamus* (inquit [5] *Cyrillus*) *nunc multò meliùs, quàm illi olim: descendit enim calitùs non sensibilis ignis, sed ex patre per filium spiritus sanctus illustrans Ecclesiam: adhibemus autem & sacrificia, spiritualia scilicet & mentalia. Nam illi offerebant Deo boues, oues, turtures, & columbas, & ex fructibus, & similam oleo sparsam, & lagana, & thura: nos autem tam crasso ministerio relicto praceptum habemus vt tenue, & spirituale, ac subtile perficiamus; offerimus enim in odorem suauitatis Deo virtutes omnigenas, fidem, spem, charitatem, iustitiam, continentiam, perpetuas laudes & alias virtutes; istud enim sacrificium minimè carnale simplicem & secundùm naturam incorporeum decet Deum, & mentalis fragrantia oblationes sunt verè honesta vita modi. Iudaorum sacrificia cessasse docet &* [6] *Hieronymus, & Deo nunc offerendum spiritum contribulatum. Apud veteres ideò oblata occidebatur hostia* (inquit [7] *Ambrosius*) *vt homines peccati causa morti subiectos significaret. Nunc autem quia per donum Dei purificati sunt homines, & à morte secunda liberati, viuam hostiam debent offerre, vt sit signum vita aterna; non enim sicut tunc corpora pro corporibus immolantur; nunc autem non corpora, sed vitia corporis perimenda sunt.* Sic etiam docet & [8] *Augustinus, imponere nimirùm nos in ara sacrificium quando Deum laudamus, at verò si sacerdotem requiras* (inquit) *super calos est; interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te.* videat igitur *Bellarminus*, & oculos puluere, & sordibus Pontificijs oppletos aperiat, & agnoscet hanc de fidei solius iustificatione, & sacrificijs Christianorum tantùm spiritualibus doctrinam antiquissimam esse, & suam de infusa, & inhærente & formali iustitia, & externo & propitiatorio pro viuis & defunctis sacrificio sententiam nouam esse; imò & falsam, & non tantùm cum Scripturis & Patribus, sed etiam secum pugnantem. Nam si Christus vnicus sit sacerdos, quid sibi volunt illi sacrificulorum greges? si vnica sit hostia, cur tot locis, tam crebris interuallis repetitur? si externum sit & reale corporis Christi sacrificium, cur nulla fit sanguinis effusio? si Christus idem sit sacerdos & victima, quid isti agunt non sacerdotes, sed mactatores Christi? si est idem numero quod à Christo semel, & ab

[1] In Iohannem hom. 17.

[2] Aduers. Iud. orat. 4.

[3] Chrysost. in Hebr. hom. 13.

[4] Idem in Hebr. hom. 11.

[5] Contra Iulian. lib. 10.

[6] In Psal. 50.

[7] In Roman. cap. 12.

[8] In Psal. 94.

ab his sæpè offertur sacrificium; cur ibi sanguis fuit effusus, non hîc? cur hoc dicitur memoratiuum, & gratiarum actionis sacrificium, cùm illud fuerit externum, & præsens? denique ne diutiùs in his repugnantijs immoremur; si vetus sit hoc Christianorum sacrificium; cur non demonstrant suum Canonem, & Missæ mirificum apparatum, & Missæ doctrinam in vsu apud veteres fuisse? quod quidem nisi fecerint, nunquam illi antiquitatem sui sacerdotij probabunt, nec se sacerdotes esse, & sacrificia offerre ostendent; nec sanè alio nomine dicendi erunt sacrifici, quàm quòd nuper correptis armis multos innoxios agnos, virósque bonos, & realitèr, vt de suo sacrificio loquuntur, & crudeliter mactarint, & iugularint. Quare si quæ nuperrima videntur *Bellarmino*, ea vniuersa Ecclesiæ Romanæ fide antiquiora sint: De reliquis nostris dogmatibus nihil dubitandum videtur, quin sint antiquissima.

Nec obstat quod dicit *Bellarminus*, *vnum se Lutherum Pontifici Rom. opposuisse; eundémque à multis oppugnatum fuisse, doctrinámque hanc à paruis initijs progressam pedetentim se profudisse*. Nam quod de vno dicit *Luthero* falsum est, Nam & *Hussius*, & *Pragensis*, & *Bohemi* reliqui, & *Albigenses*, & vniuersæ Orientalis Ecclesiæ reliquiæ, licèt non in omnibus nobiscum senserint; tamen æquè ac nos Pontificem oppugnarunt. Fatetur *Bellarminus* vnos *Albigenses* in *Gallia* vltra centum hominum millia in aciem produxisse, sed habet paratam defensionem. Dicet enim duces illos *Iohannem Hussium*, & *Pragensem* in Concilio *Pragensi* combustos, & centum illa millia à *Dominico* trucidata esse. verùm vt fuerint aliquo tempore nostri ad paucitatem redacti; complures tamen habuit *Lutherus* in illa causa socios, atque vt habuerit paucissimos commilitones, plurimósque aduersarios: hoc tamen & veræ, & falsæ religionis commune est. Nam Christiani primò pauci erant, plurimósque habuêre aduersarios, similiter & praui dogmatis defensores *Arriani*. Papatus etiam à parua scintilla exortus, multis licet ad extinguendum incendium concurrentibus, magnam mundi partem inflammauit. Olim Imperatores Romani Pontifices Rom. persequebantur, nunc Pontifices Reges, & Principes & diris & armis persequuntur, & sicarijs submissis interficiunt.

At si fuerit vestra Ecclesia antiqua; *vbi* (inquit *Stapletonus*) *tam diu delituit?* nam præter Rom. nulla visibilis erat; cur ante *Lutheri* tempora non se ostendit? quasi verò non iactent ipsi Pontificij Romani Ecclesiam semper fuisse, propter fidem Catholicam, quæ & Christi temporibus, & ante Christi tempora viguit, cùm adhuc *Romæ* Euangelium prædicatum non esset: sic dicimus & nos, Ecclesiam nostram fuisse in Apostolis & Patribus, & in Orientali & in media Romana Ecclesia, & vbicunque a-

liqui essent qui fidem nostram profiterentur. Ecclesia enim non ex loco, aut tempore, quod isti insulsè faciunt, sed ex fide metienda est. *Turcas* enim esse non dubitamus qui *Mahometis* sequuntur legem, & Pontificios qui decretalinam amplectuntur fidem. Cur ergo non illi vicissim Christianos esse fateantur, quicunque Apostolicam amplectuntur fidem, & Christianam religionem? Romanam denique superiorum temporum Ecclesiam à nostra non specie, nec essentia, sed qualitatibus distinguimus. illam enim adulterinam esse fatemur, & superstitionibus & hæresibus fœdatam Ecclesiam: nostram autem verè Catholicam non dubitamus esse Christi Ecclesiam. excussis enim Ecclesiæ Rom. sordibus & superstitionibus & prauis sententijs, ad antiquam, Catholicámque redijt fidem.

[1]Quare cùm hæc nouitatis contra nostram ecclesiam accusatio tam infirmo fundamento nitatur, valdè stultè *Vlenbergius hoc pro concesso sumpsit, nos à prisca Ecclesia, & à Christianismo veteri defecisse: ineptè etiam Christianismum & Ecclesiam pro vno posuit.* veteres enim ante Christum *Iudæi*, licèt Christiani non essent, tamen vera erant Ecclesia. Nihil autem fecit ineptius, quàm quòd in quo fundamento vniuersa eius consistit causa, illud nec vno argumento confirmauit. Quare vt posthac admonitus sapere discat, probet Ecclesiam Romanam quæ nunc est, esse Christi Ecclesiam, & veterem Christianismum, & nos Christianismum veterem deseruisse, si credi sibi postulet. nisi faciat, quas ille graues dicit esse causas, cur Romana Ecclesia non sit deserenda, eas omnes hominis stolidi videbunt esse ineptias: & ædificium eius vniuersum vtpote nullo fundamento subnixum, vt insanum Monachi saturi somnium omnes viri docti, & verè Christiani sibilis difflabunt.

[1] Causa 1.

Nec minus in duratione nostræ Ecclesiæ, quàm in euoluendis eiusdem originibus errauit *Bellarminus*: vtrobique enim originem eiusdem à *Luthero* repetens, ex hac stulta sua imaginatione progressus, in mentis labyrintho & ipse errauit, & alios occæcatos in errores inextricabiles inducere conatus est. Sed ne fallantur imperiti; scire debent nostram Ecclesiam super Christum, & Propheticam, & Apostolicam doctrinam fundatam, nullum alium auctorem nec originem habere: nec minùs illam durasse, aut duraturam quàm Catholicam Ecclesiam. Est enim nostra verè Catholica Ecclesia in immobili Petra fundata, contra quam nulla vnquam vis inferorum valebit.

At inquit *Bellarminus*,[2] *non plenè septem annos Lutherus prædicauerat, cùm exortus est Zuinglius, & post Zuinglium Anabaptista, & non ita multò post Caluinus, & demum Libertini in Gallia, & Puritani in Anglia. Anabaptistas à Luthero magnam discipulorum partem abduxisse, aduersatum*

[2] De not. Eccle. cap. 6.

Zuinglio

Zuinglio Caluinum, Puritanos in Anglia Caluino dicit; idémque Zuinglium, Lutherum, Caluinum, Anabaptistas, Libertinos, Arrianos, & Samosatenianos miscet; & quidni faciat? nam præter contumeliam nihil aliud illi hoc loco propositum fuisse videtur. hæc autem insignitè contumeliosa erant. quàm autem vera essent quæ dixit parùm videtur laborasse. nam & in temporibus, & hominum istorum proferendis sententijs plurimùm errat, & in omni hac contumeliosa narratione nutat, & res dissimiles confundit. Quis enim nescit *Caluinum* & *Zuinglium* coniunctissimè & vixisse, & sensisse, & alterum ab altero adiutum & fauendo, & consilia & operas communicando, & *Puritanos* ideò in Politeia Ecclesiæ errasse, quod nimis *Caluino* adhæserint, quæque ille dubitans dixit ea nulla dubitatione, nec examinatione quidem eius dictorum impudenter affirmauerint? *Libertini* autem, ne deinceps erret, etiam & *Anabaptistæ* multò antè quàm *Lutherus* natus est, in medio regno Pontificio exorti sunt, vt ex *Bernardo* [1] constat, & ex Pontificia constitutione contra *Beguinos*,[2] *Beguardos*, & sectam *Dulcini*, & non nobis tantùm, sed omnibus verè Christianis, & isti, & *Trinitarij* & *Samosateniani* aduersantur. Ex his tamen colligit *Bellarminus*, non diu duraturam Ecclesiam nostram, vtpote in tot sectas diuisam; eóque nomine profert *Caluini*, & centuriarum prædictiones quasdam: sed multùm fallitur, si nos diuisos putet. Magna enim ipsi cum molestia sentiunt, nos nimiùm consentire in fide, in sacramentis, & cultu diuino, & legis obedientia: & in *Anglia*, & *Scotia*, & *Germania*, & *Heluetia*, & *Gallia*, & alijs nationibus Ecclesiæ vnum credunt, & vnà consentiunt. Quod ad *Libertinos* attinet, & *Anabaptistas*, & *Trinitarios*, & *Samosatenianos*, nihil nobiscum est cum illis commercij; imò & scriptis, & dictis & legibus multò studiosiùs eos expugnauimus, quàm Pontificij; quíque apud nos nullum habent locum ad Pontificios sæpè confugiunt, & inter illos tanquam in asylo delitescunt. & sanè optandum esset, vt quantum ab ipsis hæresibus nostra abhorret Ecclesia, tantum Pontificij à *Libertinorum* turpitudine, & *Paganorum* infidelitate, & hæreticorum blasphemijs abessent. non debuit itaque *Bellarminus*, etiamsi *Staphylus* ille impudens Apostata, & infacetus ille scurra *Cochleus* quid huiusmodi de nobis mentiti essent, etiam ipsorum impudentiam, & infacetas scurrilitates imitari. *At* (inquit ille) *vaticinamur extremam barbariem impendere orbi*[3] *Caluinus: &*[4] *centuriatores maximas in doctrina variationes impendentes prauidebant.* malè tamen colligit Ecclesiam nostram non duraturam. nam fac eos, quid huiusmodi de Ecclesia nostra dixisse, quod nunquam dixerunt, aut cogitarunt, impudentissiméque à *Bellarmino* confictum est: nihil tamen ad Ecclesiæ durationem illa pertinent.

1 Ser. 66. in Cantic.
2 Clementin. ad nostrum. de hæreticis.
3 In præfat. catechis. Geneu.
4 In præfat. 2. & 5. cent. &c.

tinent. nam vt propter hominum cupiditates sublatis doctrinæ præmijs minuatur ecclesiæ splendor, & vt fint inclinationes aliquæ, & exoriantur inter domesticos fidei contentiones, & egrediantur hæretici ex ecclesia; durabit tamen vera fides, & ecclesia. nam non semper eadem est ecclesiæ gloria & amplitudo; nec ita fieri potest doctrina vera, quin homines maleuoli serant etiam Zizania; in ecclesia prima multæ exortæ sunt hæreses, & ipsi inter se diffidebant catholici, maximeq; factæ sunt inclinationes temporibus *Constantij* imperatoris qui hæresim secutus est *Arrij*, & *Iuliani* apostatæ, & in inundatione *Gothorum*, & *Barbarorum*: durauit tamen semper ecclesia.

Pontificiæ etiam ecclesiæ, ne impunè nos maledictis tanquam ex superiore loco obruant, idem accidit. barbaries enim ita olim scholas pontificias, & tribunalia etiam iudicum occupauit, vt nihil cogitari posset insulsius, nihil missalibus & psalterijs magis barbarum, imò nihil à religione magis alienum. Legendis si quicquam inuenerit *Bellarminus* ineptius, ego illi quemuis episcopatum mancipio dabo. Pontificibus Rom. & pseudoepiscopis nihil indoctius, nec inuenustius. *Palatum* magis illis sapiebat, quam cor. apud monachos exempla stultitiæ sunt, & inscitiæ. apud istos greges hæreticorum etiam nunc impunè volitant: a. eoque inualuit non ita pridem philosophiæ contra theologiam authoritas, vt multi Romæ immortalitatem animæ negarent, vt ex decreto [1] *Leonis* decimi constat. & certè qui ita viuunt, vt Romæ in pontificis oculis viuunt monachi, & reliqui epicureorum greges, quicquid lingua profitentur, mente certè de immortalitate animæ nihil cogitant, nec, vt apud nos leuiter isti de modo præsentiæ Christi tantum in sacramento, aut ecclesiæ administratione dissentiunt; sed etiam de fidei fundamentis, & omnibus eiusdem articulis vulgò digladiantur; & non verbis tantum, sed & armis inter se contendunt, nec conuitijs se mutuò proscindunt, sed gladijs rem gerunt; gladiatores multò quàm theologi peritiores. ideò nutare cœpit *Papatus*; durat tamen quod dolendum est, durabitq; donec tandem verbo Dei conficiatur; nostráque religio durat, quod illis cor exedit, & monachis præ dolore ilia rumpit. nec quicquam illis aut Diaboli artes, aut arma, aut dolus, aut monachalis impudentia profuit; & vt malè sit *Bellarmino*, in æternum etiam Romana extincta ecclesia durabit.

[1] Lateran conc. sub Leone 10.

Exprobrat etiam nobis *Bellarminus* ecclesiæ nostræ angustias. nam nostram fidem, quam impudens ille monachus *Lutheranorum* hæresim vocat, nunquam mare transisse, nec in *Asiam* aut *Africam* peruenisse putat. *Græciam*, *Italiam*, & *Hispaniam* eandem auersari; *Galliam*, *Heluetiam*, & *Britanniam* nisi nomine tenus eandem amplecti dicit. sed miser iste mo-

nachus qui in monachorum gurgustijs ætatem egit, aut quæ apud exteros fiunt videre, aut præ strepitu vrbis Romæ audire non potuit, aut fortasse præ mentis angore cogitare & antiqua, & recentia noluit. nam si aut tempora, aut locorum immensa spatia cogitatione complecti voluisset: nihil omnino quod non summè ipsi displiceret, reperisset. si prisca tempora cogitasset, vidisset & apostolicam nobiscum per vniuersum orbem ecclesiam consensisse, & nostram fidem per vniuersam *Asiam, Europam, Africam*, imò & in ipsa vrbe Roma, quam nunc fidelibus eiectis hæc degener pontificum occupauit soboles, receptam fuisse. quo omni tempore papatus, & pontificum decretalina religio nondum nata est. ne missa quidem adhuc in diaboli cogitatione efformata fuit. multæq; superstitiones, & hæreses quæ in ecclesiam Rom. posteà inundarunt, adhuc inauditæ erant, ecclesiamq; Rom. nondum infecerunt. sin autem recentiora intueri voluisset, vidisset vniuersam *Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Noruegiam, Saxoniam, Pomeraniam*, nobilissimasq; *Germaniæ, Galliæ, Belgij, Poloniæ* partes à pontifice Rom. eiusq; ecclesiæ superstitione defecisse; multos etiam in *Italia, Hispania*, & reliquis pontificis regno subditis regionibus, nostram religionem, quod istos solicitos habet, amplexos esse: illas deniq; quæ in *Græcia* & oriente supersunt, Christi ecclesiæ reliquias nobiscum in plurimis fidei articulis, & omnino aduersus pontificem Rom. consentire. atque hæc omnia cum mentis oculis quasi ex loco sublimi vidisset, ex alia parte vbique ferè pontificem suum, & monachos insulsos explosos esse videre potuit. ne Romæ quidem Pasquilli, & Italorum sales: nec in *Hispania* militares iocos effugere possunt. alibi ferè omnes eos naso suspendunt adunco. superstitiones verò, & ridiculæ ecclesiæ Rom. cæremoniæ puerorum, & muliercularum ludibrio expositæ sunt. quare si hæc omnia dissimulet *Bellarminus*, prudens: si nesciat, fœlix est. reliqui omnes & probè norunt, & facta dolent: animúsque illis ægritudine maceratur, intestina dolore rumpuntur. vt abscedat ab illis hæc ægrimonia, animus ab his cogitationibus abducendus est. sed vt nihil aliud angustias ecclesiæ Rom. doceat, hoc tamen ærarij pontificij eos docebit inopia. quò enim olim vndique maxima confluebat auri, & argenti copia, illud nunc aranearum potiùs, quàm nummorum plenum est. ex *Anglia, Gallia*, & *Dania* nihil importatur, nec ex *Germania* quidem & *Polonia* multum corraditur. rari etiam Romam ad indulgentiarum mercatum venire solent. solius tantùm *Italiæ*, & *Hispaniæ* copijs pontificium regnum nititur. adeò vt ex putri quasi filo omnis hæc pontificia causa pendere videatur. quæ omnia & labi iam papatum docent, & *Bellarmini* somnia de amplitudine ecclesiæ Rom. nostræq; ecclesiæ angustijs refutant. aget igitur,

tur, si sapit, cum suo pontifice, vt *Iaponiam*, & reliquam *Indiam* firmis præsidijs teneat. nam si *Gallia* quæ iam nutat, & *Hispania* quæ propter maxima à rege *Philippo* suscepta bella non multum pontifici commodare potest, discedere statuerit; & pontifici Rom. & Iesuitis, & reliquis monachis aut in *Iaponia* exulandum, aut aliquò in longinquam regionem in maximũ, malúmq; cruciatum abeundum erit. hic nisi gladijs, & pilis fortiter rem egerint, diu subsistere non possunt. veritas enim mendacia tandem vincet, omnésq; has monachorum ineptias, vt ventus paleas, differet.

CAP. III.

Tela quæ à pontificum Rom. successione petit, & in nostram ecclesiam contorquet Bellarminus *euitantur, & retorquentur.*



Vam nihil esset pontificijs in externa pontificum Rom. successione præsidij, satis iam antea, vt arbitror, dictum est. nam nec quicquam valet nomen inane cathedræ, aut pontificum catalogus sine doctrinæ successione: nec si multum valeret quam toties iactant externa successio, essent illi vel pilo ex illa auctiores. illam enim iampridẽ interruptam, & intercisam iacuisse, & semper incertam fuisse, & nunc prorsus cessasse demonstrauimus. nunc autem nihil contra nos facere hoc externæ successionis argumentum demonstrandum est. hoc verò ne longè abeamus, ex ipsa veræ successionis ratione liquidissimè constat. illa enim vera est successio, quæ doctrinæ apostolicæ succum & sanguinem retinet incorruptum, & cum apostolicæ disciplinæ veritate indiuiduo nexu coniungitur. Apostolis enim illi verè succedunt[1] *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum habent.* *Tertullianus*[2] verò illos, vt legitimos hæredes apostolorum agnoscit, *qui sicut cauerunt testamento, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita tenent.* sumus igitur nos apostolorum successores, & hæredes. in illorum enim doctrina, & vestigijs hæremus, nec obstat quod longissimo ab ijs interuallo disiuncti simus. filij enim sunt *Abrahami*, quicunque eius fidem seruant: estque ipse[3] *Abrahamus* pater omnium fidelium, licèt nihil sit illis cum Rom. cathedra commercij. cum igitur *Abrahamum* habeamus patrem, & quæ Apostoli tradiderunt, ea nostri episcopi seruent, omnésque nos credamus, certúmque habeant in ecclesia ministri nostri charisma veritatis, quid nobis obijciat[4] *Bellarminus, non habere nos successionem ab Apostolis?* qui, inquam, suos quales sint pontifices videre potuit, cur ille nobis successionem hanc negaret? *in Romana enim ecclesia*, inquit[5] *Iohannes Sarisburiensis, Sedent Scribæ & Pharisæi, successerúntque pontifices Romani*, teste *Adriano* quarto,

[1] Irenæ. aduers. hæres. lib. 4 c. 43.
[2] De præscript. aduers. hæret.
[3] Ad Rom. 4. & Iacob. 2.
[4] De notis eccles. c. 8.
[5] In polycrat.

non Petro in pascendo, sed Romulo in parricidio. nec, vt omnes compertum habent, aliud habent veri episcopi, præter nudum, & inane nomen. negat enim[1] *Ambrosius esse aliquem episcopum, nisi qui bonum opus amplectitur. sacerdotémque*[2] *canones promptò habent, cuius sonitus ingredientis, & egredientis non auditur. omne enim illi*[3] *sacerdotum opus in doctrina, & prædicatione consistere dicunt.*

[1] De dignit. sacerd. c. 4.
[2] Dist. 43. c. sit rector.
[3] Dist. 38. c. ignorantia.

At non potestis, inquit ille, *cathedras vestras edere, nec habetis episcoporum successionem.* quasi cum tot habeamus ecclesias (vt vocant) cathedrales, & in ijs doctissimos viros sedentes, qui reuera episcoporum munere funguntur, non possimus nos & cathedras (si quid hoc ad rem faceret) & in cathedris præsidentes episcopos proferre. hoc nomine etiam multum pontificijs præstamus. illi enim licet cathedras iactent, nullos habent episcopos qui in illis sedeant, sed muta tantum idola, & imagines, quæ illas non iure, sed errore occuparunt: apud nos non tantum ciuitates sunt, vbi per multos annos præfuerunt episcopi, sed etiam legitimi & veri Apostolorum successores. quod autem dicit *Bellarminus non esse nostros episcopos legitimè ordinatos*, falsum est, quæcunque enim a sacris literis ad legitimam ordinationem requiruntur, ea omnia nostri habent.

At, inquit ille, à pontifice Romano nulli vestri episcopi ordinati sunt. qua in re quæro ego ab illo, quo in loco hanc legem vt omnes episcopi à pontifice Rom. ordinentur latam reperijt, aut cum nusquam illam legem reperierit, qua fronte has ineptias proferre ausus sit? ad obiectionem itaq; respondemus, primò falsum esse pontificis Rom. præ alijs episcopis aliquam esse prærogatiuam. nam non tantum *Petrus*, sed &[4] *Paulus*, & *Barnabas*, item[5] *Titus*, &[6] *Timotheus*, omnésque Apostoli, & Apostolorum successores ius habuerunt ordinandi alios, qui sibi in munere docendi, & baptizandi succederent. nec puto *Bellar.* adeò desipere, vt episcopos *Asiaticarum*, aut *Africanarum* ecclesiarum, aut etiam per *Ægyptum*, aut *Græciã*, aut alias remotas nationes ab episcopis Rom. antiquitus ordinatos fuisse putet, aut eos aliquod sibi huiusmodi ius postulasse. omnes enim historiarum scriptores, & acta synodorum hanc eius insanam sententiam refellerent. prætereà negamus pontifices Rom. qui nunc sunt, ius habere ordinandi: qui enim possunt ordinare alios qui ipsi non sunt episcopi, aut dare ius quod ipsi non habent? nec obstat quod eos pontificij pro episcopis habeant. *multi enim*, inquit[7] *Gregor. nominantur sacerdotes, & non sunt.* & vt ait[8] *Chrysost. multi nomine sacerdotes sunt, & pauci opere.* ex quibus etiam pontifices sunt Rom. nam vt *Iudæorum* postremi pontifices *nomen & vmbram*[9] *habuerunt* sacerdotum, non rem: sic etiam pontifices qui nunc Christi inuaserunt hæreditatem, nomine episcoporum veros exturbant

[4] Act. 14.
[5] Tit. 1.
[6] 1. Tim. 5.
[7] Lib. 4. epist. 32.
[8] Chrysost. in Matt. homil. 43.
[9] Cyprian. lib. 1. epist. 3.

turbant episcopos. quod igitur ius prætendere possunt in ordinatione Episcoporum, cùm nec verbum doceant, nec sacramenta administrent, nec Episcopi sunt, sed prædones & fures, qui per ruinas murorum quas ipsi in Ecclesia fecerunt, in Ecclesiam vt oues Christi iugulent subingressi sunt?

Sed vt haberent illi, quod nulla ratione sibi vendicant potestatem, nimirum vt soli Episcopos & presbyteros ordinarent, ex nostris tamen qui primi instaurandæ ecclesiæ collapsæ authores erant *Cranmerus*, aliíque nostri episcopi, item *Lutherus, Zuinglius*, & *Petrus Martyr* in Ecclesia Romana ordinati fuerunt: qui etiam alios continua successione ordinarunt, quibus nos successimus.

Quod autem negat *Bellarminus*, vllos habere potestatem ordinandi præter episcopos, contra nos nihil facit. nos enim hanc ecclesiasticam legem à primis vsque ecclesiæ temporibus ductam seruamus. seruant Ecclesiæ *Germanicæ. Gallicæ* autem ecclesiæ nulla hoc lege diuina statutum, vt episcopi soli potestatem habeant ordinandi contendunt, ideóque vt suis hoc permittatur ministris, æquum censent.

Obijcit præterea *Bellarminus, ad legitimam ordinationem requiri, vt qui sit Episcopus, à tribus episcopis ordinetur. hoc enim ab Apostolis statutum probat authoritate Clementis*. sed nec secum, nec cum suis consentit.[1] dicit enim ipse nô ita multò post *sufficere, si duo adsint abbates infulati.*[2] *Iohannes Maior* hanc 3 episcoporum præsentiam, asserit *esse humanam constitutionem. Paulum* enim solum ordinasse *Timotheum* & *Titum*. iuris autem Canonici interpretes, eam tribuunt summo Pontifici potestatem, *vt*[3] *vel solo verbo facere possit episcopum*. Qua potestate *Iohannes* duodecimus vsus esse videtur. Nam in equorum stabulis quosdam[4] ordinasse dicitur, vbi non puto duos episcopos interuenisse, ne abbates quidem infulatos. sed loco abbatum duo erant fortasse cum strigilibus equisones, qui caput illis qui ordinabantur demulcerent. *Petrus de*[5] *Palude vnum dicit episcopum ad alium consecrandum sufficere, sed propter solemnitatem tres concurrere. Clemens* se à solo *Petro* ordinatum dicit. sed quid nos, quid isti sentiant moremur, cum ex sacris literis videamus, & *Timotheum* & *Titum* plures ordinasse episcopos, & presbyteros, solos? His enim vocabulis[6] promiscuè vtuntur Sacræ literæ, licet ex cõsuetudine ecclesiæ nomen episcopi in presbyteris illis qui alijs loco Apostolorum præfuerunt remanserit. frustra itaque ex ordinationis circumstantijs colligit *Bellarminus*, non habere nos episcopos legitimos, cum nec ad legitimam ordinationem necessariò requiratur tanta cæremoniarum multitudo, nec ex veteribus ecclesiæ in ordinatione vsitatis legibus vllam negligere soleamus. Pontifices autem Romani non tantùm legitima ordinatione destituuntur, sed etiam mu-

[1] De notis ecclesiæ c. 8.
[2] In 4. sentent. disti. 24. q. 3.
[3] In c. Canonum de constitutionibus.
[4] Luitprand.
[5] De potestat. Apostolorum.
[6] Act. 20. Philip. 1. & Tit. 1.

nus episcopale necessarium deseruerunt. & propterea nec verè sunt episcopi, nec alios ordinare possunt episcopos.

At non possunt, inquit ille, *vestri episcopi pro legitimis haberi, nec potuit Caluinus episcopus dici Genenensis. nam alij à Pontifice Romano vestrarum ciuitatum constituti sunt episcopi; Romaque alius est in quem Pontifex episcopatum contulit Genenensem.* Esto. quis enim impediat Pontificem, cui tanta potestas fingitur data coruos hiantes ludere, & famelicos fraterculos titulis, & nominibus pascere? Nihil enim magis consentaneum est, quàm vt qui præter nomen nihil habet episcopi, alijs etiam episcopatuum nomina concedat. & propterea vni episcopatum dedit vt audio *Vintoniensem*, alteri *Dunelmensem*, alteri *Londinensem*. *Alano* audio datum, vt *Cantuariensis* Archiepiscopus dicatur: vt quæ fame & esurie ipsi crepant intestina, spe bona repleantur. *Genenensis* episcopus qui dicitur ex montibus vicinis solet inuidis oculis vrbem prospectare, sed ne ramento quidem inde ditior est. Huiusmodi etiam episcopatum adipiscatur & *Bellarminus* per me licet. non enim repugno. sed si sapit prospiciat sibi aliunde de victu. nam si nihil aliud habeat, vnde se alat nisi ex titulo episcopali; mala ipsi fame breui pereundum erit. Nihil sanè aut Pontificis hoc facto, aut *Bellarmini* obiectione insulsius. Cur enim magis Pontifex Romanus Episcopatum *Genenensem*, quàm *Geneuenses* Episcopatum Romanum alicui ex suis conferant? aut cur potiùs dicendi sunt episcopi quos Pontifex Romanus, quàm quos nostri ordinant Episcopos? quare nisi quid aliud excogitare possit ille, legitimi erunt nostri Episcopi, Pontificis autem Romani creaturæ laruæ erunt, & vmbræ Episcoporum, suique Pontificis homines simillimi, digniorésque qui in culina præsint quàm in Ecclesia. Si nostrum de illis testimonium repudiet, at legat quæ de illis loquitur *Budeus* vir sui temporis doctissimus.[1] *homines enim stolidissimos, & infantissimos in Gallijs fieri episcopos dicit.* Nec meliùs agitur in *Belgio*, aut *Germania*.

[1] Annotat. prior. in Pandec. in l. 2. de legib.

[2] *Lindanus* enim *ex aulicis perditissimis & militibus deploratissimis & sanguinarijs quosdam Ecclesiæ præfici* gubernaculis testis est. Huiusmodi homines inutilia vocat Ecclesiarum capita [3] *Rebuffus*, & tanquam lolium & auenas frugum loco succrescere queritur. cum igitur Pontifices Romani huiusmodi homines constituunt Episcopos, accidit illud quod dicit *Augustinus*, *vt* [4] *lupi lupis characterem imprimant.* verè enim sunt lupi, gregémque Domini laniant & lacerant. Character autem ille est quem bestia cuius meminit [5] *Iohannes* suis imprimit. Vnde illos agnoscimus ex Antichristi esse grege lupos, non autem in Christi Ecclesia pastores.

[2] Panopl. lib. 4. c. 77.

[3] In prax. benefic. C. requisit. ad collat. Bon.

[4] Contra Donatist. lib. 6.

[5] Apocal. 13.

Nostri

Nostri autem Episcopi, cum & rectè eligantur, & ordinentur, & idonei sint ad Episcopatum gerendum, & reipsa munus obeant Episcopale, seruéntque leges Episcopis à Paulo præscriptas, veri sunt Episcopi: veráque apud nos est Episcoporum successio. Nam & sibi inuicem succedunt, & Apostolis in vera fidei doctrina propaganda successerunt.

Adeò vt si ex hoc signo iudicium faciendum esset, nec posset Ecclesia Romana, vera esse Ecclesia, cuius Episcopi à vera fide discesserunt, nec deberet nostra Ecclesia reprehendi, cuius Episcopi veri sunt Apostolorum successores, & ita credunt, & docent, vt illi præconiauerunt. docent illi, sacramentáque administrant, salutaríque disciplina mores coërcent, nec vllum officium boni Episcopi prætermittunt. Retineat igitur quantùm possit inanem Cathedram, & nomen vanum Episcopatus Romani *Bellarminus*, verum opus & legitimam successionem Episcoporum licèt dirumpatur ipsi cor inuidia, nobis concedat necesse est.

CAP. LIIII.

Vbi Bellarmini, & aliorum Ecclesiæ nostræ hostium diluuntur calumniæ, qui nos à prisca Patrum, & Catholica Ecclesiæ fide discessisse, & complures à prisca Ecclesia damnatas hæreses amplexos esse criminantur.



T Ecclesiæ nostræ fidem à priscorum Ecclesiæ Christianæ doctorum sententia discrepare doceant, multa Pontificij moliuntur, & mentiuntur: audacissimè fingit, & mentitur *Bellarminus.*

[1] Dicit enim primò, *quosdam è nostris consiteri, patres aliter de libero arbitrio, de iustificatione, de concupiscentia, de Limbo patrum, de satisfactione, cœlibatu, ieiunijs, sacrificijs, & laicorum baptismo, quàm nos sentire: deinde multa nos amplexos esse dogmata, quæ patres vt hæreses condemnarunt.* sed vtrobique mentitur. nam nec verum est nostros illud fateri, nec vllam hæresim à prisca Ecclesia damnatam profiteri. [1] De notis Eccles. c.9.

Primum ex ipsius constat *Bellarmini* testimonio. (hoc enim mendaciorum proprium est, vt malè cohæreant:) Secundum ex hæreseôn singularum quas ille nobis imponit enumeratione, & examinatione constabit. Fatetur quidem *Caluinus*, subscribúntque illi centuriarum scriptores, ex pa-

ex patribus nonnullos de *Limbo*, & satisfactione, & aliquot religionis articulis aliter quàm Apostolos docuisse: sed nec omnes illorum sententiam amplexos esse dicunt, nec in multis patrum istorum sententiam reprobant: nec quæ docuit *Caluinus*, aut Centuriatores nobis præstanda sunt. vbi igitur inuenit quod de nobis falsò affirmat, aut Ecclesias nostras Patrum sententiam, aut *Caluinum*, & Centuriatores omnium Ecclesię doctorum, & plerasque eorum opiniones repudiasse? at si a patribus dissentiunt, qui vnius alicuius sentētiam in aliquo reprehendunt: huius criminis maximè rei tenentur Pontificij, qui in doctrina de sacrificio Missæ, & transubstantiatione, & cœnæ mutilatione, & Missæ apparatu, & Pontificis primatu, & clauium abusu, & Purgatorij fabulis, imò in scripturarum recensione & interpretatione, & omnibus religionis inter nos controuersis articulis discesserunt. tantóque maiorem merentur reprehensionem, quòd non, vt nos, à recentioribus nonnullis, & minimæ auctoritatis patribus, sed ab optimis quibusque, & antiquissimis, & fide dignissimis dissentiant: neque illud sanè in negotijs minimis, sed in maximis religionis Christianæ capitibus.

De patrum itaque sententia hoc sibi responsum ferat *Bellarminus*, ne amplius nobis hoc nomine molestus sit: vnanimem Patrum sententiam nos nusquam repudiare. neque enim quæ aduersus vnum aliquem dicta sunt, ea contra omnes dicta accipienda sunt: nec si nulla necessitate aliquis nostrum patres testes refutauerit, illud omnibus præstandum est. Pręterea cum patres inter se dissentiant, non discessisse illos à patribus, qui antiquissimorum & maximè incorruptorum patrum sequuntur sententiam, sed ad illos potius accessisse. nec reprehendi posse qui Apostolorum primò, deinde illorum qui post illa tempora primi scripserunt scripta probant, & reliquorum sententiam ad Apostolica scripta conferant. antiquissima enim Ecclesia est Apostolica: & Apostoli sunt antiquissimi nostri Patres. Illud etiam verissimum est, quod à Christo, & Apostolis fluxit. citò enim post Apostolorum ætatem variæ Ecclesiam quasi turmatim inuaserunt hæreseōn pestes, quæ nisi ex Apostolicis scriptis discerni nullo modo possunt. [1] Mysteriúmque Antichristi Apostolorum temporibus operari cœpit. nam vt in aquarum scaturigine, quò longius à fontibus disceditur, eò impuriores, & à fontis natura alieniores hauriuntur aquæ: sic quò longiùs à Christi, & Apostolorum doctrina & ætate disceditur, eò omnia reperimus perturbatiora, & inquinatiora. Si itaque in aliquo nutare videantur patres aliqui; ad Apostolicæ doctrinæ originem recurrimus, idque secūdis etiam patribus. *Si in aliquo* (inquit [2] *Cyprianus*) *nutauerit, & vacillauerit veritas; ad originem dominicam, & Euangelicam, atque Apostolicam traditionem*

[1] 2. Thessal. 2.

[2] Cyprian. ad Pompeium con. Steph. epistol.

ditionem reuertamur. Ne antecessoribus quidem suis credendum [1] censuit, aut illos secutus est, *vbi aliquid obseruarunt, aut tenuerunt, quod Dominus exemplo, & magisterio suo non docuerat.* Mentitur itaque Monachus iste qui nos à patrum fide discessisse dicit. nam ex sententijs patrum nostram fidem publicè probauit *Iuellus*, cuius adhuc immotæ stant demonstrationes: nósque semper docere parati sumus, nihil nos docuisse, quod non antiquissimi, & maximæ fidei patres nobiscum docuerunt. atque vt aliqua in re à nonnullis recentioribus discesserimus, nihil illud pro Pontificia causa facit.

[1] Lib. 1. Epist. 3.

Nam si reprehendendi sunt, qui in aliquo à nonnullis doctoribus, qui longo interuallo secuti sunt Apostolos, dissentiunt: quid respondebunt Pontificij, qui & contra Apostolorum, & priscorum patrum sententiam nouam religionem, nedum noua aliquot religionis capita excogitarunt? Quid inquam respondebunt qui *Origenis, Tertulliani, Cypriani, Athanasij, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosij, Augustini,* & optimi cuiusque deserta sententia, in Pontificum quorundam Romanorum confictis opinionibus acquiescunt; & ex omnibus patribus deterrima quæque elegerunt, & nisi suppositijs scriptis credatur salui esse non possunt? ista autem qui faciunt, cur non pudeat eos nobis cum patribus aliquibus dissensionem obijcere? Nam si in ijs in quibus maximè secundos putant se habere patres ab ijs deseruntur, nihil est quod patrum se authoritate aliquid profecturos sperent, aut nobis obijciant patres.

Impudenter etiam ijdem veterum nobis hæreseôn labem obijciunt. vtinam tantùm illi ab impudenti calumnia abessent, quantùm ab omni nos abhorremus hæresi. sed quoniam multis nos nunc aggrediuntur calumnijs & conuitijs, respondendum est, etiam si præter calumnias & conuitia nihil afferant. *Lutherum & Caluinum accusat Bellarminus cum Simone Mago, & Eunomio sensisse nos sola fide iustificari.* At nec hoc vnquam cogitarunt, aut senserunt *Simon* & *Eunomius*; nec hæreticorum istorum turpissimorum aliquod dogma amplexi sunt illi. Docebant quidem [2] *Simoniani seruari homines secundum gratiam Simonis, non secundum operas iustas.* Sed nihil hoc vel ad fidem, vel ad Christi iustitiam per solam fidem apprehensam pertinet. nec erunt qui nostram de iustificatione sententiam defendunt hoc nomine *Simoniani.* Illi enim qui secundum gratiam *Simonis* se saluos fore confidunt, *Simoniani* dicendi sunt: vt etiam Pontificis dicuntur mancipia, qui per eius gratiam gratiæue rescripta è famis eripiuntur faucibus, & seruantur. ab ista autem turpitudine nostra longè abhorret sententia. Docebat autem [3] *Eunomius, nihil obesse cuiquam quorumlibet peccatorum perpetrationem, & perseuerantiam,*

[2] Irenæ. lib. 1. aduers. hæret. c. 20.

[3] Augustin. hæres. 54.

modò eius quam ille docebat, fidei particeps esset. Quod quidem nihil ad nos attinet: ne ad *Lutherum* quidem, aut *Caluinum* attinuit. nullus enim nostrum est, qui non anathema tam turpis sententiæ authoribus dicat. Quid igitur habet quod dicat *Bellarminus*, vt non planè conuitiandi potius, quàm accusandi animo hæc de *Luthero* & *Caluino* dixisse videatur? *Luthero* [1] quidem hæc verba ascribit: *non alia via posse hominem cum Deo conuenire aut agere, quam per fidem: opera autem illum nihil curare.* Et alio loco: *tam diuitem esse hominem Christianum, vt non possit perire, si velit, quantumcumque male viuat.* at *Lutheri* hæc non sunt verba, sed *Bellarmini* calumnia. Quod vt vos etiam intelligatis verbis *Lutheri* recitatis, efficiam. *nec alia via*, inquit [2] *Lutherus, potest homo cum* Deo *conuenire, aut agere, quàm per fidem, id est, vt non homo operibus suis vllis, sed* Deus *sua promissione sit author salutis: vt omnia pendeant, portentur, seruentúrque in verbo virtutis suæ.* verba igitur illa; D*eum opera non curare*, non *Lutheri* sunt, sed *Bellarmini*. de [3] baptismo autem loquens ita scripsit; *tam diuitem esse hominem Christianum, vt volens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.* Illa autem verba: *quantumcunque male viuat* quæ *Bellarminus* callidè attexuit, nusquam leguntur, & à *Lutheri* sententia aliena sunt. pugnant enim inter se vera fides, & mala opera. fidésque efficax est; producítque bona opera, vt bona arbor fructus bonos.

[1] De notis Eccles. c. 9.

[2] De captiuit. Babylon. c. de Eucharist. Witemberg. p. 69. 6.

[3] Ibidem cap. de baptismo. p. 74. 6.

Quid est igitur, cur se sycophantam neget *Bellarminus*, qui per sycophantias hominibus innocentibus crimina imponit? est etiam & falsarius qui tabulas corrumpit: & stolidus accusator qui crimina obijcit, nec ea vel leuissimo argumento confirmat. nam vt nonnulla ascripserit *Lutheri* verba nihil tamen habet, quod de *Caluino* afferat, vt eum cùm Simone sensisse probet. Sed vt non rectè illi de operibus bonis locuti essent, quod isti Monachi nunquàm probabunt; quid causæ habet, cur nobis eorum sententiam ascribat? nos sanè opera bona suademus, & in illis tanquàm in stadio homini Christiano currendum censemus; *Simonianorúmque*, & *Eunomianorum* turpitudinem detestamur. nec gratiam *Simonis*, aut fidem *Eunomij*, sed gratiam Dei, & fidem Christianam prædicamus. quo nomine si nos hæreseôs accuset, eodem nomine & Apostolum *Paulum* condemnet, qui *gratia nos seruari* [4] *sæpius ingeminat*, necesse est. longéque propius illi ad hæresim accedunt, qui in operibus legis, quæ omnes eius transgressores condemnat reatus, salutem quærunt.

[4] Rom. 5, & 6, & 7.

Cur autem nobis *Simonis* hæresim obijceret, nulla causa erat præsertim cum domi habeat tot magos, & *Simoni Magi* discipulos & sectatores.

res. Pontifices enim Romani, vt iam diximus ex domo Dei non tantùm forum venalitium, sed & speluncam latronum fecerunt. *In domo* Dei, inquit [1] *Royardus, & presbyteri, & episcopi vendentes sunt.* Adeóque hæc pestis inualuit, vt Episcopatum Romanum in vita *Pij Quinti* quidam ex Cardinalibus palam [2] mercari conatus sit, & fortasse transegisset, nisi *Pius* ille rem animaduertisset. sunt igitur qui ista faciunt etiam Pontificum Romanorum, & Canonum sententia *Simoniana* hæreseôs damnati.

[1] Homil. in feria 2. post dominic. lætare.
[2] Girolam. Catena.

Hoc etiam habent *Simonianorum*, quòd vt illi coluerunt imagines *Simonis* & *Helenæ*: ita etiam & Monachi venerãtur, & colunt imagines *Frãcisci* & *Claræ*, multorúmque aliorum sanctorum. atque vt illi homines nequissimos, & turpissimos, modò crederent quod fecit *Simon*, & *Eunomius* à salute non excludebant: sic nec isti excludunt. Nam illos [3] *membra corporis Christi facere* non dubitant. corporis autem Christi membra vnà cum capite seruari necesse est. *est enim ipse seruator sui corporis.* Omninóque scortationes, vt fecerunt *Simoniani*, & *Eunomiani* tolerant, & ex illis plerique in ganeis & meretricum lustris, & turpissimis libidinibus ætatulam suam deterunt.

[3] Bellar. de Eccles. militant. c. 9.

Florinus scelerate Deum scelerum & peccatorum docuit esse authorem. at hoc disertè [4] negat *Caluinus*; negat etiam & *Petrus Martyr*, nostrique omnes pernegant. qui igitur aut nos, aut illos *Florinianæ* hæreseôs reos peragunt, non tam illi argumentari, quàm odio veritatis prorsus insanire videntur. Nam quod asserit *Bellarminus* docuisse *Caluinum, Non solùm permissu, sed etiam voluntate Dei homines peccare*, Deúmque authorem esse peccatorum & scelerum: nusquam sensit, nedum docuit: imò eius contrarium docuit. Peccati enim causam proximam facit hominis deprauatam voluntatem. adeò vt vel locum non consuluisse, vel falsum malitiosè retulisse videatur.

[4] Institut. lib. 1. c. 18.

Quod etiam alio loco fecit, eumque mentiendi morem diligenter colit. Affirmat enim *Caluinum* scripsisse, *homines à Deo in prauitatem addictos esse, & Adamum Dei voluntate in peccatum lapsum esse*: mentitum esse verba *Caluini* docent. *Lapsus est* ([5] inquit *Caluinus*) *primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat.* Idemque [6] alio loco, *causam cur reprobi patefacto sibi* Dei *verbo non obtemperent in malitiam & prauitatem cordis eorum reijcit: & ad gloriam Dei illustrandam illos in hanc prauitatem addictos esse docet.* De voluntate & authoritate Dei in peccato, aut prauitate interuenisse, ne verbum quidem vnum, quicquid isti calumniantur, interposuit *Caluinus*.

[5] Lib. 3. institut. c. 23. §. 8.
[6] Lib. 3. institut. c. 24. §. 14.

At Scholasticam doctrinam de otiosa Dei permissione in malis quæ fiunt

conscindit. Et sanè non immeritò. illi enim, quod olim fecerunt *Epicurei*, in malis hominum actionibus Deum tanquam otiosum & ferias agentem Deum in Cœlo includunt, & quasi ipsos liberè ferri sineret, ita nihil eum agere fingunt. at hoc & Scripturæ sacræ, & prisci Ecclesiæ patres refellunt. frænis enim coercet Deus & diabolos, & malos, illorúmque reprimit exultantes libidines, ne limites sibi à Deo constitutos transiliant. *Hunc Iesum Christum* ([1] inquit *Petrus*) *definito consilio, & prouidentia Dei, cùm accepissetis manibus sceleratis, cruci affixum interemistis.* quare nisi prouidentia, & consilium diuinum sit tantùm nuda permissio, quod nec sine scelere cogitari potest: aliquid ampliùs egit Deus, quàm permisit.

[1] Actor. 2.

Deus, inquit [2] *Augustinus*, *de ijs qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* [3] Dicit etiam, *Deum vti cordibus malorum ad laudem, & adiumentum bonorum:* vt ex facto *Iudæ* Christum tradentis, & *Iudæorum* Christum crucifigentium constat. *Per eam creaturæ voluntatem*, [4] inquit ille, *qua factum est quod creator noluit, impleuit ipse quod voluit, benè vtens & malis tanquam summè bonus. Deum* [5] *idem, non solum bonis, sed malis benè vti nosse docet.*

[2] De corr. & grat. c. 14.
[3] De gratia & liber. arbitr. c. 20.
[4] Enchirid. ad Laurent. c. 100.
[5] De ciuitat. Dei lib. 14. c. 27.

Hieronymus[6] autem, *blasphemum esse dicit, vt quisquam impios Deo nolente quicquam facere affirmet.* Videant igitur Pontificij qui *Caluinum* eo nomine accusant, quòd Deum malas impiorum voluntates gubernare, & ex malo elicere bonum, nedum nudè permittere illos mala facere docuerit, quid *Augustino*, & *Hieronymo* responsuri sint. (nam extra *Augustini* sententiam in hoc articulo nec *Caluinus*, nec *Martyr*, nec *Melancthon* egressus esse videtur.) Comprimátque interim *Bellarminus* hanc suam largiloquam linguam, ni vultum illum suum Monachalem propter insignem hanc calumniam etiam vulgi conuitio verberari velit. Cum *Florino* isto nihil cuiquam nostrum est commercij: ab eius autem errore Pontificij non longè absunt. nam à Deo asserunt illi primatum Pontificis Romani eiusque largissimam potestatem profectam esse, quæ non tantùm malum est, sed etiam thesaurus malorum: inde enim hæreses multiplices, multáque mala per vniuersam *Europam* manarunt. ab illo perfidi *Iesuitæ*, & scelerati sicarij, magnáque manauit scelerum, & malorum vis.

[6] In Habac. c. 1.

Multa quidem peruersè dicta *Origeni* tribuuntur, dixitque ille aliquid fortasse malè. hoc tamen quòd *Bellarminus* de illo narrat, nusquam dixit. & si aliquid huiusmodi dixisset, non tamen erat hic dicendi locus, ne qui nobis dissensionem à patribus obijcit, ipse hoc in loco se à patre suo *Origene* dissensisse fateretur. Hæc igitur in re nec quod sibi in manibus

manibus erat negotium vidit, nec verum dixit, non enim dicit *Origenes, Adamum peccando amisisse imaginem ad quam à Deo conditus erat, quod affirmat Bellarminus*, sed cum anima *Adami* corpus induit, tum imaginem amisisse. vtrum autem de imagine Dei, an angeli, an animæ vt primùm creata est loquatur, nihil ex *Epiphanij* verbis constat. τὸ κατ' εἰκόνα δὲ φησιν, ἀπολώλεκεν τὸν Ἀδάμ; inquit *Epiphanius*, ἐπειδὴ φησὶ χιτῶνας δερματίνους καὶ ἐνέδυσεν αὐτοὺς, τὸ σῶμα φησιν εἶναι. vnde alium constat errorem fuisse *Origenis*, quàm *Bellarminus* putarit, nempe quod corpus animæ vinculum putarit, & illud de pelliceis vestibus *Adami* allegoricè interpretatus sit. locum autem *Epiphanij* monachus iste prorsus aut non legisse, aut non intellexisse videtur. falsò etiam & illam hæresim, nempe *inferorum nihil aliud esse, quàm horrorem conscientiæ*, *Origeni* ascribit. nihil enim huiusmodi *Hieronymus* quem *Bellarminus* testem contra illum producit testificatur. nec quod credisse dicitur *Origenes*, [1] *ignem nempe Gehennæ, & tormenta non poni in supplicijs, sed in conscientia peccatorum*, sensit *Caluinus*, quem cum *Origene* consensisse dicit *Bellarminus*. pœnas enim & supplicia non tantùm conscientiæ, sed & animæ vniuersæ, & post resurrectionem etiam corporis futura in inferno maxima credidit. hic autem monachus, quia *Caluino* non probabantur corporales animarum in igne pœnæ, nec illæ de vncis, & equuleis, & vngulis, & oleo feruente, & purgatorio ineptiæ & fabulæ legendicæ, nullam illum præter conscientiæ horrorem calumniatur existimasse inferni pœnam.

[1] Hieronym. in epist. ad Auitum de errorib. Origenis.

Multa igitur hic peccauit *Bellarminus* : nam & de *Origene*, & de *Caluino* falsum retulit : & in tota narratione aberrat. meminit enim *Origenes* doloris pœnarum & ignis ardoris quem apud inferos sentiunt damnati, vt ex loco quem corrupit *Bellarminus* constat, & quæ illo in loco habentur non sunt illa dogmata, sed quæsita. *Caluinúsque* maximos esse animarum apud inferos cruciatus fatetur. errauit igitur *Bellarminus* potiùs quàm *Caluinus*. nam quod dixit *Caluinus*, *obliteratam esse imaginem Dei in Adamo*, fateantur & ipsi necesse est pontificij. nam aut integra est, aut inducta. si integram dixerint: vbi ergo est *Adami* sanctitas, & mentis lux & integritas, & primo homini in creatione inditæ vires? caueant ergo ipsi, ne, dum *Adami* lapsum minuunt, & contra imaginis Dei in *Adamo* corruptelam obloquuntur, in longè grauiorem ipsi *Pelagij* hæresim incidant. *Caluini* sententiam, si verba verè ascripsissent, iure reprehendere non possunt. non enim deletam prorsus in *Adamo* dicit esse Dei imaginem, *sed tanquam scripturam bellam calamo transuerso obliteratam*. cum *Origene* autem ipsis pulchrè conuenit. [2] nam quod *Origenes* docuit, *animam quæ se hic viriliter gessit in bonis operationibus, abire*

[2] Hæres. 64.

in supernam requiem propter operationis ipsius iustam actionem, quoq; nomine eum hæreseôs condemnat *Epiphanius*, illud *Bellarminus*, & pontificij reliqui fortiter defendunt, cum *Tertullianistis* etiam videntur sentire animam esse corpoream. eam enim igne corporeo & oleo feruenti, & vngulis vexari credunt. & plenæ sunt huiusmodi narrationum legendæ, & pontificiæ ecclesiæ *Lucianicæ* historiæ.

Habent *Pepuzani* hunc errorem, vt fœminis administrationem sacramentorum permittant. nonne idem communis est pontificijs? quam igitur frontem habuit monachus iste, qui *Luthero* hoc obiecit pro crimine, quod sui vulgò probant? hócque de illis verè affirmatur, de *Luthero* non sine impudentia dici potest. at *Bulla*, inquit, *Leonis* decimi nomine contra *Lutherum* edita hunc errorem tribuit *Luthero*, *eum enim in* [1] *pœnitentia, & remissione culpæ tantùm posse quemlibet Sacerdotem, imò & mulierem sensisse, quantum summus pontifex*. sed fac *Lutherum* ista dixisse, nec mentitum esse *Leonem* illum, nihil tamen hoc ad sacramentorum pertinet administrationem. non est enim pœnitentia sacramentum pari cum baptismo & cœna Domini iure censendum. cur igitur *Luthero* objiciat quod nec criminosum est, nec verum? nam cur *Leoni* credamus qui in mendacissimo illo scripto centies mentitus est, centiésque etiam pro sui primatus causa mentiturus videtur, nec *Bellarminus* causam dicere potest, cum igitur nihil habeat quod *Luthero* objiciat, in nos summo impetu fertur. dicit enim apud Anglos mulierem summum esse pontificem. at hoc omnes norunt summum esse mendacium. neque enim mulieres apud nos, aut verbum tractant, aut sacramenta, aut munere aliquo ecclesiastici ministerij funguntur. nec illa, in quam ista tela diriguntur aliquid in se suscepit quod non iure regio sibi conueniat. reges enim tabularum diuinarum custodes sunt, & leges suis præscribunt, & supremo iure ius dicunt, & vt cuncta fiant in ecclesia decenter præcipuam curam gerunt. nec aliquid *Elizabetha* suscepit, quod non *Mariæ* sorori quam summè laudant pontificij ante ipsam competebat. Romæ autem mulier quædam olim non tantùm summus erat pontifex, sed etiam summa meretrix. publicè enim peperit, publicéque ministerio functa est. quare si vllus sit ipsi pudor, parcius nobis posthac *Pepuzianorum* has hæreses imponet.

[1] Bulla Leonis decimi.

Accusat etiam *Lutherum Bellarminus*, *cum Proclo quodam, & Messalianis sentire, peccatum in renatis semper viuere, & concupiscentiam non tolli per baptismum, sed verè esse peccatum, licet sopiatur per fidem*. sed luscitiosum esse oportuit, qui nec *Lutheri*, nec *Procli*, nec *Messalia-*

norum vidit ſententiam. perlegi ego caput illud [1] *Epiphanij* vniuerſum, [1] Epiphan. hæreſ.64.
vnde hanc *Procli* ſententiam mutuatus eſſe videtur. ſed nihil vnde illum cum *Luthero* ſenſiſſe conſtet ibi habetur. neque enim de concupiſcentiæ natura poſt baptiſmum vllus habetur ſermo.

Meſſaliani autem non ideò habiti ſunt hæretici, quòd concupiſcentiam poſt baptiſmum peccatum eſſe putarint, ſed quòd baptiſmum prorſus ſuſtuliſſent. nec verum eſt denique quod *Bellarminus* affirmat [2] *Lutherum* dicere, peccatum in renatis ſemper viuere. non enim dicit [2] Aduerſus Bullam Leonis, articul.2.
peccatum viuere in renatis, ſed tantum remanere. idque verè. nam mortificatio veteris hominis quotidiè in renatis promouetur, & peccatum per Spiritum ſanctum mortificatur. qua quidem in re nihil errauit *Lutherus.* nam non tantùm manet concupiſcentia poſt Baptiſmum, ſed etiam poſt Baptiſmum peccatum eſt. eſt enim contra legem Dei. dicit enim lex diſertè, *non concupiſces*. & ab [3] Apoſtolo dicitur peccatum in [3] Rom.7.
membris eius inhabitans. nec negare poſſunt pontificij quin concupiſcentia ſit defectus, & pugnet cum lege Dei: & mentem à ſummo Dei amore, quem lex à nobis flagitat, auertat. omnino denique abſurdum eſſet, vt quod ante Baptiſmum peccatum eſt, illud poſt Baptiſmum non ſit peccatum. nam quod peccatum eſt, & cui peccati definitio, & natura conuenit, illud ſemper eſt peccatum. nec obſtat quod reatus concupiſcentiæ tollitur Baptiſmo. nam & maximorum ſcelerum tollitur per Baptiſmum reatus, ita vt fidelibus illa non imputentur: quæ tamen nemo negabit peccata eſſe.

Concupiſcentiam peccatum eſſe poſt Baptiſmum, etiamſi eius reatus tollatur docet [4] *Auguſtinus. in ijs,* inquit, *qui regenerantur in Chriſto* [4] De nuptijs & concup.lib.1.c.25.& 26.
cum remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum, vtique neceſſe eſt, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, vt in peccatum non imputetur. hoc eſt enim non habere peccatum, non eſſe reum peccati. dicit etiam remitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo; *non vt* [5] *non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur.* hæc autem *Lutheri* [5] Ibidem.
ſententia eſt. non ille ergo, ſed qui contra ſentiunt ſcholaſtici doctores hæretici dicendi ſunt. Monachi autem multa à *Meſſalianis* praua habent dogmata: vtrique enim otioſe viuunt, nec [6] *opus aliquod aggrediuntur*: vtrique ſe ſpirituales vocant: vtrique preces ineptè demurmurant. erit igitur qui hæc defendit *Bellarminus* ipſe *Meſſalianus.* [6] Theodoret. hæret. fabul.lib.4.de Meſſal.

[7] Lapſis in perſecutione *Nouatianos* pœnitentiam negaſſe, author [7] Hæret. fabul. de Nouat.
eſt *Theodoretus,* alij grauiter peccantibus illos veniam negaſſe [8] putant. [8] Euſeb.lib.6.c.35.eccleſ.hiſt.
at iſto nomine nec *Caluinus*, nec *Lutherus* reus eſt. imò vtrique

contra

contra dogma *Nouati* omnes ad pœnitentiam vocarunt; eamq; non externam tantum, & perfunctoriam, qualem in *Iudæis* [1] prophetæ damnant, sed seriam & efficacem. à pœnitentia deterruerunt peccatores *Nouatiani*, isti omnes ad pœnitentiam inuitarunt. sed vt criminosè aliquid de nobis diceret, multa confinxit mendacia. asserit *Nouatianos* dixisse, *non esse in ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per baptismum.* at vbi de pœnitentia recitatur *Nouati* sententia, nec de baptismo, nec de reconciliatione Deo facienda vel verbum vnum interponitur. mendacium etiam est, quod *Cornelium* apud [2] *Eusebium* multa loquentem introducit, cum tamen illo loco nihil locutus sit. somniauit fortasse illo loco *Bellarminus*. nam per tempus quadragesimæ quando altè stertunt monachi hæc scripsisse videtur. impudentissimè idem *Caluinum* cum *Nouato* pœnitentiam sustulisse prædicat: quod nunquam in mentem *Caluino* venit, at (inquit ille) *negauit Caluinus pœnitentiam esse sacramentum.* quid, si etiam nos negaremus eucharistiam esse sacrificium propitiatorium pro viuis & defunctis? non tamen vel nos negamus cœnam sacramentum esse, vel negauit vnquam ille pœnitentiæ legitimum vsum, nec ex eo quòd negauit pœnitentiam sacramentum esse, consequitur vsum eius illum sustulisse. nec quod sacramentum esse negarit, nouum aliquod dogma introduxit. nam non aliter senserunt prisci patres. nullum enim signum est sacramenti huius fictitij, nec institutio eius legitur sacramentalis: nec qui sacramentũ esse putant pœnitentiam, secum consentiunt: nec si in omnes se formas tanquam Proteum aliquem verterit vnquam probaturus est, sacramentum esse. *Caluinum* idem quòd *Hieronymum* impium de pœnitentia dogma habuisse dixerit, reprehendit. sed de *Caluino* more suo mentitur. nam non dicit ille *Hieronymi* sententiam impiam esse, quod affirmat *Bellarminus*, sed scholasticos reprehendit qui *Hieronymum*, qui asserit *pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium*; ita interpretantur, quasi diceret *baptismi vim sequente peccato euertuari, & frangi, velut fracta nauis tabulas, & nullam nobis superesse in baptismo spem*, nec alibi quàm *in proprijs satisfactionibus*: quod nec cogitauit vnquam *Hieronymus*, nec cum vera pietate consistere potest. de chrismate quid senserint *Nouatiani* parùm laboramus. hæresim esse pontificij chrismatis, & eiusdem superstitiosissimi vsus negationem, licèt pulchrè vnctus hanc chrismati gratiam debeat *Bellarminus*, nunquam probabit. multum enim interest inter chrisma veterum, quod durante miraculorum operatione in ecclesia prima in vsu erat, & olei pontificij turpitudinem & superstitionem. nam eius vsum negare nemo debuit, hunc nemo ferre potest, adeoq; malè olent chrismate isto vncti monachi, vt nihil sit fœtidius, quàm

[1] Ioel. 2.

[2] Euseb. lib. 6. c. 35.

quàm & ipsi & ipsorum haræ vniuersæ, olent etiam *Nouati* hæresim, nam vt olim [1] *Nouatiani* propter secundum matrimonium arcebant quosdam à sacris ordinibus: sic & nunc faciunt Pontificij. secundis autem nuptijs benedictionem nullam impendunt, vt omnes eos cum *Nouato, Tertulliano, & Montano* sentire agnoscant. & licèt matrimonium inter sacramenta numerent, sacramentáque gratiam conferre, imò & salutem dicant: sacerdotes tamen suos perire sinunt illicitis amoribus, nec matrimonio honorabili ex turpitudinum omnium sentina tanquam ex naufragio illos eripi sinent.

[1] Theodoret. hæretic. fabular. lib. 3, de Nouato.

Obijcit præterea nobis *Sabellij* hæresim. sed qui vulnus nobis inflixit per calumniam, idem per imprudentiam suam, attulit vulneri medicinam. hanc enim hæresim apud nos à *Michaele Serueto* defensam esse dicit, quem omnes norunt nostrum non esse, nisi illos inter nostros numerent, qui propter teterrimas hæreses à nobis supplicio affecti sunt, nec obstat quod apud nos quandoque idem vixit. *Romæ* enim & in medio Pontificis regno viuunt hæretici, *Turcæ, Iudæi, Marani, Iudæósque* Pontifices Romani priuilegijs multis ornarunt. multi etiam *Romæ* negarunt non ita pridem animæ immortalitatem, contra quos Canonem edidit *Leo* decimus in Concilio *Lateranensi*, statuítque licèt multi contrà dicerent, *animam esse immortalem*. quod nescio, vtrum crediderit. inter Pontificios etiam vixerunt qui innumeras illas hæreses quos [2] Theologi *Parisienses* condemnarunt, amplexi sunt. quare si nobis hominis teterrimi venenum obijciat *Bellarminus*, etiamsi eius hæresi omnes anathema dicamus, licétque hominem grauissimo supplicio propter multiplices eius contra sanctam Trinitatem blasphemias affecerimus: cur non etiam nos *Sorbonam* accusemus quę *Postellum*, hominem, aut *Sabelliana* hæresi, aut *Turcicæ* impietatis insania contaminatissimum multos annos tulit? cur non & summos Pontifices qui *Iudæos* & *Maranos Romæ* priuilegijs auxerunt, & apud quos tanta est omnium hæreticorum sentina, hæreseôn reos peragamus? eóque magis, quòd apud istos pij tantùm supplicio afficiuntur, hæretici impunè volitant, apud nos autem *Seruetus* pœnas dedit grauissimas.

[2] Ponuntur ad finem magistr. sentent. excus. Coloniæ anno 1576.

Cùm *Serueti* nobis blasphemias acceptas ferat, non miror si *Manichæismi* & *Pelagianismi* nos accuset. nam licèt nihil nec probabiliter dicere possit, cur cum *Manete*, aut *Pelagio* sentire videamur: Pontificios tamen qui *Manetis* & *Pelagij* sordibus infecti sunt supplicio non affecimus, hæreticósque illos nimis placidè tulimus. alio nomine nihil est, cur *Manetis* aut *Pelagij* errores nobis ascribat. nam *Pelagij* sententiam metuit *Bellarminus*, quæque [3] *Hieronymo* obiecerunt *Pelagiani*, damnare nempè

[3] In præfat. dialog. contra Pelagian.

Oo

pè illum hominum naturam, & liberum tollere arbitrium, ea ille *Luthero*, & *Caluino* imprudens obijcit. vulgò etiam Pontificij quod tanquam *Pelagianam* hæresim damnauit *Hieronymus*, credunt vi liberi arbitrij bona opera fieri. *Hieronymi* autem sententiam nos contra *Pelagianos* defendimus. opera enim bona non vi liberi arbitrij, sed gratia diuina fieri credimus: ijdem etiam *Manichæorum* cum illo oppugnamus hæresim. nam hominem non naturæ substantia necessariò, sed corruptione voluntatis liberè peccare dicimus. cum *Manichæis qui simpliciter hominis*[1] *damnant naturam; & concupiscentiam carnalem non deprauationem, sed substantiam esse volunt, & vetus Testamentum*[2] *condemnant, & de Prophetis, Patriarchis & Lege malè loquuntur*, nihil nobis est negotij. *At negat* (inquit *Bellarminus*) *Lutherus, & Caluinus liberum arbitrium: & Caluinus facta quædam Saræ, Rebeccæ, Sampsonis, Zephoræ, etiam Abrahami, & aliorum Patrum veteris Testamenti reprehendit*: negamus tamen idcircò illos cum *Manichæis* sentire. nam non tollunt illi vt *Manichæi* liberum arbitrium ad mala, nec in rebus medijs: nec vt *Manichæi* vetus Testamentum repudiauit *Caluinus*, aut alio auctore quàm Spiritu sancto scriptum affirmat. ne *Abrahamum* quidem vituperat, imò summè laudat. nec obstat quod eum quandoque idololatram fuisse dicit. nam laudi est fuisse, non esse. nec vituperat ille veteris Testamenti Patres, sed quædam facta[3] notat, quę non esse sequenda docet. idque etiam ante ipsum[4] *Augustinus* docuit. *hæc*, (inquit ille,) *quando in Scripturis sanctis legimus, non ideò quia facta credimus, facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla*, nec puto adeò esse inuerecundum *Bellarminum*, vt omnia Patrum facta tueri velit. nam si hoc semel susceperit; ipsi *Abrahami* idololatria, *Lothi* incestus, *Noachi* ebrietas, *Rubenis* turpitudo, *Sampsonis* scortatio, multáque alia scelera defendenda erunt.

Vt igitur in viam redeat, recognoscat mecum errores & mendacia sua. primùm enim mentitur, quod ea *Hieronymum* dicere contendat, quæ ipse *Hieronymus* sibi à *Pelagianis* obiecta narrat. nam vt nunc nobis Pontificij, sic olim *Pelagiani Hieronymo* obiecerunt, eum naturam humanam damnare, & liberum arbitrium tollere. respondemus itaque, vt ille olim respondit *Pelagianis*, [5] *illos calumniatores esse*: deinde suos à *Pelagianorum* & *Manichæorum* sordibus alienos videri vult, quibus maximè obnoxij sunt. nam dum *Manichæismi* in nos tela temerè coniecit, apertè se in *Pelagianorum* plagas præcipitauit. mentitur prætereà *Lutherum* & *Caluinum* libertatem voluntatis ad mala sustulisse. reliqua eius mendacia nunc diximus. pro his mendacijs audiant nunc quæ verè cum

Mani-

[1] August. de hæresib. c. 46.
[2] Augustin. contra Faust. Manich. lib. 22. c. 1. & 3.
[3] Institut. lib. 3. c. 14. § 11.
[4] Lib. 2. de mendacio.
[5] In præfat. dialog. contr. Pelagian.

Manichais sentiunt Pontificij, ne tam audactèr deinceps in hac acie versentur. *Manichæi* suis præcipiunt, vt carne, lacte, caseo, & ouis abstineant: ab his Pontificij statutis temporibus abstinent: & licèt ouis Monachi, carnibus *Iesuitæ* cupidissimè vescantur: magnum tamen in carnium abstinentia meritum collocant. Iurant per[1] creaturas *Manichæi*: iurant etiam Pontificij per Angelos, Virginem *Mariam*, & sanctos, nec vlla adeò sancta putant esse iuramenta, ac illa quæ[2] adhibentur tactis mortuorum ossiculis & reliquijs. nuptias vtrique in sacerdotibus suis, & perfectis damnant: ijdémque scortationes non adeò magna scelera putant, quin nuptijs honestis multò sint minùs malæ. erunt igitur Pontificij *Manichæi*, non *Caluinus* & *Lutherus*. nam quòd *Caluinum* calumniantur Deum peccatorum auctorem facere, satis ipsius scripta refutant, & nos anteà refutauimus.

[1] Augustin. contra Faust. Manich. lib. 19. c. 22.
[2] Philip. Conineus.

Quæ autem *Donatistæ* peruersè senserunt, aut perfidè & impiè perpetrarunt, nihil quidem ad nos pertinent, ne ad *Caluinum* quidem aut quenquam nostrûm, quod sciо. nam & *Donatistarum* & omnium hæreticorum imò & improborum etiam prauam sententiam, & scelera execramur. *Caluinus* tamen (inquit *Bellarminus*) Ecclesiam quæ est corpus Christi, & quæ verè coram Deo Ecclesia est, & cum Christo tandem in cælis glorificabitur, & regnabit, præter electos nullos dicit continere. esto. non tamen propterea cum *Donatistis* sentiet. illi enim de externa Ecclesia loquuntur, in qua præter perfectos nullos putarunt contineri, quod nunquam docuit *Caluinus*. *hic*[3] *autem in externa Ecclesia multos contineri dicit sceleratos*, quod illi negarunt, & reprobos tantùm à corpore Christi, & sanctorum communione exclusit, qua de re nulla erat *Donatistis* cum Catholicis contentio. quos quidem si Pontificij ad corpus Christi pertinere dixerint, non *Caluinus*, sed illi hæretici erunt. Christus enim est[4] *caput Ecclesiæ*, & *seruator corporis*: at non est reproborum caput, nec illi adhærent reprobi, vt membra: nec sine impietate dici potest, illum seruare reprobos. præterea, *totum corpus Christi augescit*[5] *augmento Dei*, & Ecclesiæ membra sunt membra corporis Christi, *& ex carne eius & ossibus eius*: quod de reprobis dici non potest. *sicut sancti* (inquit[6] *Augustinus*) *sunt membra Christi, ita impij membra sunt Diaboli*. ex sanctis ille[7] perfici, & compleri putat Ecclesiam. *Bellarmini* idem apertè conuellit sententiam,[8] *Ecclesiam enim in æterna beatitudine futuram dicit*. *Ecclesia*,[9] inquit ille, *intra sagenam Dominicam cum malis piscibus natat, à quibus semper corde, & moribus separatur, vt exhibeatur viro suo gloriosa non habens maculam, aut rugam*. malos ad Ecclesiam Dei pertinere[10] negat, *quamuis*

[3] Instit. lib. 4. c. 1. § 13. & sequentib.
[4] Ephes. 5.
[5] Coloss. 2.
[6] In Psal. 35.
[7] De agon. Christ. c. 20.
[8] Ibidem c. 26.
[9] August. epi. 48.
[10] De baptismo contra Donatist. lib. 6. c. 3.

intus esse videantur. & hoc inde colligit, quòd *essent auari, raptores, & huiusmodi sceleribus contaminati.* ciuitatem Dei[1] *prædestinatam esse dicit, vt in æternum regnet cum Deo.* negátque reuera [2] *corpus esse Domini, quod non in æternum cum Domino regnaturum sit.* quæ quidem licèt *Augustini* fuerit sententia, *Donatistas* tamen, qui intra sua præsepia Ecclesiam, sanctorum tantùm communionem definiuerunt, reprehendit. cur non ergo, & à *Donatistis* alienus sit *Caluinus*, qui licèt Christi corpus sanctorum tantùm communionem definiuerit, in externa tamen Ecclesia malos bonis admixtos esse non diffitetur? nos sanè non negamus: imò valdè dolemus tot esse bonis admixtos malos, vt velut triticum exiguum sub ingenti palearum aceruo delitescere videantur. quæ autem *Donatistæ* furiosè in Catholicos, & Christianorum templa admiserunt, ea nec facimus nec probamus: nec quicquam nobis magis displicet, quàm impiorum quorundam sub specie religionis rapinæ, & sacrilegia. à Pontificijs autem ea omnia passi sumus quæ olim *Donatistæ* in Catholicos designarunt. isti agros nostros vastarunt, multósque per suos emissarios trucidarunt, templáque nostra, & omnia religionis monumenta deleuerunt, mendacijsque & contumelijs, quantùm potuerunt, Catholicorum famam lacerarunt, & ad *Donatistas* quam proximè accedunt. Nam vt *Donatistæ* in [3] *Donati* parte, & intra *Africæ* fines: sic *Bellarminus*, & reliqui cum illo sentientes Monachi, intra Pontificis Romani sectatores, & fines Ecclesiæ Romanæ Ecclesiam Christi includunt, habuêre *Donatistæ* suos circumcelliones, & sicarios qui bonis viris insidiabantur, eósque trucidabant, è quorum manibus non sine diuino præsidio elapsus est *Augustinus:* alij multi boni viri eorum insidijs, & audacia perierunt. sic habent etiam Pontificij suos emissarios, & vt *Italico* verbo vtar, *assassinos*, per quos optimo cuique periculum creant. habent inquam, conductitios sicarios, & veneficos, pugnántque contra viros bonos insidijs, ferro, & venenis. ab his sublatus est Princeps *Auraniensis*, & *Condensis:* & non ita pridem *Saxoniæ* Dux fortissimus. veneno perijt *Ioanna Nauarrena.* & ferro & venenis oppugnarunt & Reginam nostram Serenissimam. hos legatos nunc in *Angliam* Pontifices mittere solent; tyranni nempè sæuissimi, homines profligatissimos, & perditissimos. *Donatistæ* Magistratus olim in religionis negotijs auctoritatem defugerunt, eúmque nullo iure in Ecclesia aliquid statuere posse, aut agere asseruerunt: Pontificij non tantùm in eadē sunt sententia, sed etiam eiusdem auctoritatem legibus, imò & armis coercuerunt. Rebaptizarunt *Donatistæ* extra Ecclesiam suam baptizatos: nónne idem nuper tentarunt Pontificij, qui è nostris quos insidijs

[1] De ciu. Dei. li. 15. c. 1.
[2] De doctrina Christiana. lib. 3. c. 32.
[3] Augustin. contra liter. Petil. & de hæres. c. 69.

insidijs suis excipere potuerunt, eos iterum secundùm suæ ecclesiæ morem baptizarunt, & vnxerunt? de nobis nihil huiusmodi affirmare potest *Bellarminus.* nam quæ ex *Surio*, & authore illo mendacissimo, qui librum suum inscripsit de furoribus Gallicis, alijsque qui nobis sacrilegia & scelera infanda imponunt desumpsit, nihil est quod moremur. habemus enim contra vtrósque iustissimas exceptiones. testes enim [1] conducticios, & [2] sociorum & domesticorum testimonia canones repellunt. isti autem mercede vt de nobis mentirentur conducti sunt ab aduersarijs nostris. qui igitur hos fide dignos testes appellat *Bellarminus*, quid in testibus spectandum sit, nesciuit. nos homines esse mendacissimos, & leuissimos experti sumus.

[1] c. placuit, de testib. & attestationib.
[2] c. veniens, eodem.

Asserebant Arriani filium patre minorem esse: nos autem æqualem & ὁμοούσιον credimus & fatemur. illi non recipiebant verbum ὁμοούσιον, eò quod totidem syllabis illud in sacris Scripturis non reperiebant: nos libenter recipimus, & agnoscimus. furiosè illi in catholicos inuecti multa scelera, & sacrilegia patrarunt: quæ omnia nos à quocunque profecta fuerint, animo auersamur, & legibus coercenda censemus. nulla igitur causa est, cur nos *Bellarminus* cum Arrianis coniungeret, nisi more suo, malò sanè & vetusto, malè loqui potiùs quàm malè facere instituisset. at multi, inquit, qui *Tritheitæ* dicuntur, errores & blasphemias Arrianorum apertè probant. si apud nos dixerit, cur non illos nominat, & argumento confirmat? sin verò apud pontificios, non debet ea res nobis fraudi esse. nam apud quoscunque fuerint, eos execramur. In *Valentinum Gentilem* hæreseôs huius labe infectum, legibus nostri egerunt. nec huic, nec *Blandratæ*, nec *Alciato*, nec huiusmodi pestibus, quibus apud pontificios tutus locus præbebatur, vlla concessa est apud nos commorandi facultas. eorum hæreses silentibus pontificijs *Caluinus*, & *Bullingerus* diligentissimè refutarunt. qui igitur Arrianorum nobis hæreses obiecit, planè calumniatur *Bellarminus*. vbi autem [3] *Tritheitarum* hæresim Arrianis ascribit, falsus est. nam etsi illi filium patre minorem esse dicerent, nusquam tamen reperio vbi tres deos crediderint Arriani. hoc enim *Tritheitarum* proprium est. ille autem has hæreses coniunxit, vt numerum hæreseôn minueret: quod iam propè consecuti videntur pontificij. nam omnes hæreses in vnum quasi fasciculum colligantes papismi hæresim effecerunt, in quam sentinam plurimæ superiorum hæreticorum prauæ sententiæ confluxerunt.

[3] August. & Epiphan. de Arrij hæresi.

Lutherum prætereà & *Philippum Melanchthonem*, & *Caluinum* accusat, quod in suis libris semina huius hæreseôs sparserint. sed illos qui accusat, idem etiam excusat. nam si quæ fuissent omnino eius labis vestigia

in eorum scriptis; illa proculdubiò indicasset. nulla enim re causæ suæ magis prodesse potuit. at, inquit, ipsi hoc negare non possunt, quasi verò non semper negauerint, aut quicquam sit insulsius, quàm quæ probare non possis, ea aduersarios non negaturos affirmare. dicit præterea de traditionibus, nos cum *Arrianis* consentire, sed more suo falsum dicit. nam traditiones *Arriani*, quæ ex Scripturis probari poterant, vt doctrinã de filij consubstantialitate cum Patre improbabant. alioqui verò nimiùm illi traditiones probabant non scriptas. nos autem nec traditiones quas *Arriani* improbarunt, improbandas, nec quas probarunt probandas censemus. nec aliter vnquam sensit *Lutherus*, etsi de vocabulo ὁμουσίω non tantùm contendendum censuisset. cuius quæcunque fuit sententia, non est ea Ecclesiæ nostræ obijcienda. nam & Symbolum *Nicenum* quod errores *Arrij* iugulauit, & vocabulum etiam ὁμούσιον vniuersa mense amplectimur. immeritò igitur *Arrianismum* nostris obijciunt. Pontificij autem qui essentiam deitatis in filio genitam asserunt, & Spiritum sanctum pricipaliùs à Patre, quàm à filio processisse credunt, cùm *Arrio* potiùs consentiunt.

Aerium vt Ecclesiastici ordinis perturbatorem inter hæreticos veteres Ecclesiæ Patres recensebant. Ecclesiæ enim ordinem in precibus, ieiunijs, & ministrorum Ecclesiæ gradibus funditùs sustulit. nec nos alio nomine illos censemus, qui vel Episcopos à Presbyteris nulla differentia debere discerni docent, vel publicis ieiunijs vti, & alijs Ecclesiæ legibus se subijcere obstinato animo recusant. nec aut *Caluinum*, aut centuriarum scriptores aliter sentire verum est. nam vt nomen presbyteri, & Episcopi promiscuè in Scripturis pro eodem poni asserant, non tamen illud tollit ministrorum aliquorum super alios ministros dignitatem. nec ieiunia illi Ecclesiæ publicè indicta, sed morem tantùm superstitiosum & ineptum, quem in Pontificio regno inualuisse viderunt, *vt certis diebus non ieiunarent, sed à cibis tantum quibusdam abstinerent homines, damnarunt.*

Orationes quidem & oblationes pro mortuis quibus Pontificij vtuntur, & repudiamus, & execramur. nulli enim sunt illæ vsui bono, sed contrà damnosæ & superstitionis plenissimæ. nec tamen propterea hæreseôs notam incurrimus. nam licèt veteres orarint pro mortuis, & pro illis oblationes obtulerint, non tamen illud ab Apostolis, aut prima Ecclesia habuerunt: nec erant eorum orationes, & oblationes, illis orationibus & oblationibus quæ in Pontificio regno in exequijs, & missis pro mortuis celebrantur similes. illi enim gratias Deo reddebant pro mortuis, & donarijs solabantur viuos. non orabant, vt illis sacrificium Missæ prodesset,

set, vel vt pœnæ purgatorij relaxarentur, quod isti faciunt. illi pro virgine [1] *Maria*, apostolis, & martyribus orabant, & offerebant: isti contrà non orant pro illis, sed ad illos orant, purgatorijq; quæstuosissimas excogitarunt fabulas, metúque pœnarum purgatorij hominum exenterarunt marsupia. *Augustinus* quæ fiunt in mortuorum exequijs, ea potius esse viuorum solatia, quàm mortuorum præsidia dicit. & licet pro matre orarit, vtrum tamen illæ prodessent ipsi preces ignorauit, huiusmodi autem *in precibus hæsitantiam* damnauit [2] *Iacobus*. non sunt igitur hæretici dicendi qui non offerunt, nec orant pro mortuis, nec si habendi sint hæretici, qui veterum morem repudiant, minùs ea res pontificijs qui mores priscos in his rebus deseruerunt quam nobis obesset. hoc igitur habent ab Aerio, quod nec orant, nec offerunt pro mortuis, vt prisci patres, & quod [3] carnium vsum vtpote piscibus impuriorum improbarunt, & denique nullos sacerdotes nisi cœlibes ad suam communionem admiserunt, hæc enim dogmata defendit Aerius, & eo nomine, vt hæreticus à veteribus notatus est.

[1] In Liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysostomi vulgò dictis.

[2] Cap. 1.

[3] Augustin. hæres. 53.

Iouinianum hæreticum fuisse non dubito. credo enim *Augustino*, *Hieronymo*, & alijs illud affirmantibus; & res ipsa verum illos retulisse indicat. nam qui hominem non posse peccare post baptismum, & omnia peccata paria esse, & virginem *Mariam* partu seruatoris nostri corruptam esse credit, quæ omnia *Iouiniano* tribuuntur, is proculdubiò hæreticus est, at dogmata ista nec *Caluinus*, nec alius quispiam è nostris docuit, aut sensit. videat igitur ipse *Bellarminus* quo iure hæreses *Iouiniani* nobis obijciat, ipse cum sit hæreseôn patronus, idémque prauorum dogmatum thesaurus. asserit quidem *Caluinum* dicere, eum qui verè baptizatus est, post baptismum peccare non posse. cur autem eius quod dicit nullam probationem profert? nam ex eo quod profert, nihil eius quod dicit sequitur. nam licet eum qui verè credit, non putet funditus fidem amittere posse, non tamen ex eo sequitur non peccare; nec aliquid huiusmodi docuit *Caluinus*. nec quod ipse docuit aliundè hausit, quàm ex *Augustino*. cur igitur non profert locum vbi *Caluinus* dixit, *verè baptizatos non peccare*? aut cur hanc nobis ascripsit sententiam? nos enim vel optimos quosque fatemur peccare, & omnibus orandum esse dicimus ex Christi formula, *dimitte nobis peccata nostra*. dicimus etiam & *Bellarminum*, licet non tantùm baptizatus sit, sed etiam pulchrè vnctus & rasus, mentiendo & calumniando sæpissimè, & grauissimè solere peccare. sed si hæresis sit affirmare verè baptizatos non peccare, non longè ab hæresi absunt pontificij, qui renatos suos legem diuinam perfectè implere posse acerrimè contendunt.

Caluinum prætereà vt hæreticum traducit, quòd ciborum delectum, &

& ieiunia non esse meritoria dixeris. at hoc est hæreticum sine hæresi constituere. nam qui illa docet, rectè docet. nam cum omnia fecerimus quæ in hominis naturam cadunt, dicendum est tamen, *nos esse seruos inutiles*, vitámque æternam fateri debemus, non esse operum nostrorum stipendium, sed diuinæ gratiæ, & *misericordiæ* [1] *donum*. Præterea nihil magis insulsum, quàm vt faciendo quæ nulla lege mandantur vitam æternam consequeremur, cum ea quantalibet legis in hac vitæ humanæ fragilitate obedientia consequi non possimus. valdéque esset via ad vitam facilis, & lata, si *Bellarminus* abstinendo á perna, & abdomine suillo, & carne hædina, aut ouina vitam æternam consequi posset: cum vix tot suis laboribus à summo pontifice, quæ sibi ad carnis aliquot vncias diurnas in hac vita emendas sufficiant, impetrarit. Apage igitur hæc monachalis abdominis impia, & inepta somnia. at [2] *Augustinus*, & *Hieronymus*, inquit ille, *hanc Iouiniano hæresim ascribunt*. sed ab eius ore videtur & pudor, & veritas fugisse. nam neuter ipsorum, *eos qui ciborum delectum & ieiunia meritoria esse negat*, pro hæretico habet. nec in *Augustini*, & *Hieronymi* locis quos citat *Bellarminus*, vel ciborum delectus, vel meriti æternæ vitæ vlla fit mentio. vtrobíque igitur errat ille, & de nobis, & sententia *Augustini* falsa narrat, & quasi in circulo errans mentitur circulator hic, & impudens monachus.

[1] Rom, 6.

[2] Hæres. 82, lib. de hæres.

At *Hieronymus* (inquit ille) de ieiunio & cœlibatu aliter, quàm vos, docet, fac docuisse, non tamen contra sentientes pro hæreticis habuit ille, nec alij habuerunt: nec est eius sententia calamus & mensura veritatis, aut hæreseôs. quod quidem non tam nostrâ, quàm Pontificiorum interest, qui in primatu Pontificis sui & Scripturarum Canonicarum numeratione, & rebus maximis à sententia *Hieronymi* discesserunt. coniugium quidem natura sua *Lutherus* cum cœlibatu æquandum docet. Apostolus enim honorabile esse coniugium dicit. ijs autem qui donum non habent continentiæ multò præstantius est coniugium. *præstat enim nubere quam vri*. nec multùm quidem errasset *Hieronymus*, si cùm vteretur ille, vxorem duxisset. malam enim ille famam vitasset, tantáque fuit Monastici cœlibatus per hos superiores annos impuritas, vt multò illis præstantius fuisset in honesto coniugio, quàm in impuro cœlibatu vixisse. nam & propria conscientia Monachos, & rei euidentia omnes, & exempla illa quæ anteà posuimus, *Bellarminum* etiam docere possunt, nihil esse Monachorum claustris, aut cœlibe Pontificij cleri vita fœdius. inde enim fœdi amores, & abominandæ fœditates, & clandestina stupra, & cædes infantium, & mulierum abortus, & multa scelera manarunt. vt si quid isti omninò mereantur, magnum sanè malum,

&

& æternas pœnas mereri videantur. quid igitur non quærerent multi salutem per honestum coniugium, qui nunc per cœlibatus impuritatem ad inferos detruduntur? illis tamen qui donum habent continentiæ,& eunuchi sunt à ventre matris,dicimus esse præstantius, vt vitam cœlibes, potiùs quàm in coniugio agant, præstantiam autem hanc, & dignitatem non tam propter futuræ vitæ meritum,quàm propter præsentis vitæ necessitatem ponimus; Iouinianiq; sententiam qui his etiam qui continentiæ donum habebant,coniugium suadet,improbamus.

Molinæum etiam accusat *Bellarminus*, quòd cum *Iouiniano* virginem *Mariam* corruptam fuisse pariendo Christum Iesum sensisset.sed & magnam facit illi, & nobis etiam hoc nomine iniuriam. non enim dicit corruptam fuisse *Molinæus*, sed verè peperisse, & Christum Iesum partu illo verum hominem enixam esse, & nihilominus virginem mansisse. quod quidem nisi sentiat *Bellarminus* in deteriorem *Marcionis* hæresim incidet. magnā autem nobis facit iniuriam qui priuatorum hominum sententias quaslibet nobis omnibus ascribit.quasi quæ singuli docuissent, ea ab omnibus probarentur.

Illud vero ridiculum, quod cum quatuor *Iouiniani* dogmata nobis ascripsisset memoria lapsus quintum adiunxit. æquè sanè nos quinque ac quatuor praua dogmata amplexos esse probabit. nam quod omnes christianos *Luthero* visos esse æquè sanctos dicit, ac est mater Dei, non credo, nusquam enim illud dixit, in [1] locis à *Bellarmino* citatis nihil eius habetur. ne *Iouiniano* quidem in mentem venit, vt istud diceret,cuius tamen hanc fuisse hæreticam sententiam affirmat. cur igitur nec verba *Lutheri*, nec *Iouiniani* protulit? ego vobis dicam. ideò enim verba nulla dixit, ne rei euidentia calumniam, & mendacium proderet. sic qui malè faciunt lucem fugiunt. quid igitur,dicet aliquis, num *Hieronymum*, aut *Augustinum* cum pontificijs in capitibus de ieiunio, & cœlibatu sentire concedis? nihil sanè minus, nunquam enim iuramento astringendum cœlibatum dixerunt,nec ieiunium in carnium abstinentia posuerunt,nec remissionem peccatorum,aut æternam vitam abstinentiæ carnis, aut cœlibatui votiuo deberi pro præmio putarunt.

[1] Ser. de natali beatæ Mariæ, & in commentar. 1. epist. Petr.

Vt nobis *Vigilantij* sententiam suspiciosè ascriberet, multum vigilauit *Bellarminus*, nec tamen *Hieronymi* contra *Vigilantium*, nec nostram sententiam assecutus est, nec de nobis aut *Vigilantio* vera scripsit: adeò vt vel vigilando tandem obdormiuisse, vel maliciosè mentitus esse videatur. *Vigilantio* hos errores ascribit [2] *Hieronymus*, *Primò quod docuisset sanctorum reliquias esse immundas, & ideò proijciendas esse.* ideò illum Iudæum appellat & Samaritanum. nam hæc eorum erat sententia. *deinde*

[2] Ad Ripar. presbyt.

orationes Apostolorum, & martyrum non audiri: tertio verbi ministros debere esse vxoratos. at hæc nec *Lutherus* vnquam docuit, nec *Caluinus*. nam cœlibatum & coniugium sua natura in rebus medijs ponunt. illos autem qui alioqui moribus, & doctrina idonei videntur, nec propter cœlibatum repellunt, nec propter coniugium eligunt. nec ita erant illi barbari, & inhumani, vt sanctorum corpora inhumata proijcienda censerent. Prætereà licèt sancti non sint colendi, nec inuocandi, tamen pristinum suũ erga Christi ecclesiã amorẽ conseruare, & pro illa orare non negant. tria igitur crassa mendacia in hac breui verborum comprehensione dixit mendaciorum pater *Bellarminus*. nam in his tribus articulis de sanctorum reliquijs, orationibus fidelium defunctorum, & coniugijs necessarijs verbi ministrorum, quod ille affirmat, nec *Lutherus*, nec *Caluinus*, nec quisquam nostrum cum Vigilantio tenuit.

Dixit tamen Lutherus, inquit ille, *reliquias esse deceptionem fidelium.* Sacerrimum sanè argumentum. non enim ille de veris martyrum reliquijs, sed de suppositijs, à sacrificulis auaris inductis officulis, & pannis, & scelesta illa, & insana pontificiæ ecclesiæ idololatria & reliquiarum fictitiarum cultu impijssimo loquitur. *Prætereà affirmat Lutherus, si verum dicit Bellarminus, non esse maiorem Deo curam de domini sepulchro, quàm de bobus.* sed nihil illud ad hoc de reliquijs argumentum pertinet, non est enim sepulchrum inter reliquias censendum, sed in sepulchris mortuorum condi solent reliquiæ. falsò etiam *Bellarminus Lutherum* cœlibatum condemnasse affirmat. in ijs enim qui donum habent continentiæ non condemnat, in ijs qui vtuntur Apostolus ipse cœlibatum condemnat. *Caluinum idem hæreseôs arguit, quòd mortuorum inuocationem non probaret*; sed nec *Hieronymus* illam probauit, nec contra sentientes pro hæreticis habuit, nec quicquam hoc ad Vigilantij errores, de quibus hic agitur, pertinet. adijcit & aliud mendacium: nostros enim in Gallia corpora *Irenæi, Hilarij, Martini* & aliorum ibidem martyrum combussisse dicit. sed si tantum scelus videatur martyrum ossa, aut reliquias suppositias martyrum combussisse, quid illi merentur qui tot innocentissimos martyres per hos multos annos flammis crudelissimè absumpserunt, eorúmq; corpora canibus & alitibus obiecerunt? horũ igitur sanguis alta voce apud Deũ vindictã flagitat. nostros in tollendis superstitionum variarum monumentis peccasse nunquam docebit *Bellarminus*. nam quæ sustulerunt nostri, non erant illa sanctorum corpora, sed potiùs idololatriæ & superstitionis monumenta. quis enim adeo rerum est imperitus, vt in tantis rerum mutationibus illorum hominum quos pontificij nominant reliquias seruari potuisse credat? aut quis non rectè fe-

cisse

cisse eos dixerit, qui has non sanctorum, sed superstitionis reliquias aboleuerunt? multos enim iam annos per has reliquias magnæ fraudes factæ sunt, magnaque ecclesiam inuasit superstitio. tot capita, & ossa, & reliquiæ *Petri* circumferuntur nomine, vt si ea omnia ad vnum corpus pertinerent, nihil cogitari posset magis portentosum, neque enim vel tribus dolijs capi possunt. vidi ego cum Romæ essem imaginem quam Veronicam vocant. in qua sanè malè vtuntur oculis, qui se aliquid amplius, quàm in alijs picturis esse solet, conspicere putant. asseruntur & præsepe, & fœnum etiam præsepis vbi Christus cum in Bethlehem nasceretur iacuisse dicitur, imò & ipsum stabulum vbi peperit *Maria* ope angelorum per tanta terrarum & marium spatia integrum ad[1] vicum Loretanum translatum creditur. miserè populus his insulsis nugis luditur.

[1] *Nostra donna di Loretta.*

Vidi etiam Romæ sericas *Mariæ* & *Iosephi* vestes ad morem Italicum non malè compositas. quas qui *Mariæ* & *Iosephi* fuisse credit, dignus est cui non fraudibus, sed stercore Asinino os oblinatur. miror quod non illas etiam Asini qui in stabulo vbi Christus natus est stetit, reliquias seruent.

Non dicam ego omnes harum quæ[2] quotannis Romæ visendæ proponuntur reliquiarum ineptias: sed sanè plurimæ sunt. si mihi non creditis, ipsi etiam videre potestis, & cognoscere. coram istis reliquijs procidunt, & preces fundunt: in altaribus etiam easdem seruant. cruci dicunt, *Salue sancta crux.* & ante Veronicam procidentes à pictura opem petunt. in processionali quodam apud Gallos vsitato illi qui se, nescio quod, sudarium habere iactant, decantare solent: *sancte Sudari ora pro nobis.* item: *Sudarium Christi, liberet nos à peste, & morte tristi.* in abbatia quadam *Fondensi*, vbi gloriantur se habere mappam qua Christus vsus est, dum cœnam suã vltimã celebraret, sic orare solent: *Ora pro nobis ô sanctissima Dei mappa.* has igitur fraudes qui primus detexit, magnam laudem, qui sustulit, immortalem gloriam adipisci meritus est. Nec est quod vereamur, ne *Hieronymus* nobis hac in re aduersetur. non enim ille hæc cariosa mortuorum ossa, & superstitionis reliquias venerandas, sed sanctorum qui verè sanctitatis nomen merentur, corpora decenter seruanda mandauit. *nam nec angelos, nec archangelos, nedum defunctorum ossa, et vestes coli & adorari debere* [3]*dicit.* isti colunt & adorant angelos, & sanctos, imò vt monachos istos nõ plus quàm fungos sapere sentiatis, ossa cariosa, & pannos laceros, & saxorũ & lignorũ fragmenta adorant, & osculãtur. Liceat igitur mihi eisdẽ verbis affari *Bellar.* quibus affatur *Vigilantium*[4] *Hieronymus: ô insanum caput, quis aliquando martyres adorauit?* negat etiam *Hieronymus se clara luce cereos accendere.*

[2] In libro quodam Italico, qui inscribitur *Stationi di Roma*, omnium reliquiarum numerus continetur.

[3] Ad Ripar. presbyter.

[4] Hieronym. contra Vigilantium.

accendere. illos enim noctis esse solatia. isti contrà non tantum meridie, sed etiam medio sole candelas accendunt: solíque suis fumis adeò officiunt, vt nihil ipsi cernant. quis igitur non summè laudet *Lutherum*, qui superstitiosum hunc reliquiarum cultum, qui tam altas in christiana religione radices egerat primus abrogauit, pestémque veræ religionis sustulit? nec sanè minorem laudem meruerunt, qui monasteria tanquam cloacas expurgarunt. Superarunt enim laboribus suis labores *Herculis*. ille enim quod vnum Augiæ stabulum expurgaret, omnium ore celebratur. illi autem multa Augiæ stabulo fœdiora loca eiectis sordibus expurgarunt, pugnaruntque cum monachorum loquacitate, & impudentia, & Romano pontifice, tanquam cum Hydra, & apro Aetolico. cur ergo non illi etiam summis efferantur laudibus? sunt enim monasteria hæc monachorum recentiorum omnium turpitudinum, & impuritatum sentinæ. vt enim in ædibus cloacæ; sic in repub. monasteria. hic latrones, pædicones, puerorum & viduarum corruptores diuersantur. nec causa est, cur [1] *Hieronymi* authoritate ad suos monachos defendendos abutatur *Bellarminus*. monachi enim prisci non docebant, sed plangebant. isti autem non plangunt, sed rident, imo bonos derident, & pastorum vacuas cathedras ingredientes docendi munus suscipiunt. illi in solitudine degebant, & inde nomen desumptum habent; isti in vrbibus celebrioribus habitant: illi manibus operabantur; isti velut sues in hara otiosè viuentes saginantur: illi bonis diuenditis spontaneam professi sunt paupertatem; isti pauperes spoliant, aliorúmque bonis ditescunt; nec quicquam illis deest vel ad opes, vel ad luxum. Splendidè viuunt, ditescunt, helluantur, scortantur: nolo cetera dicere. malo enim, vt monachi apud se quæ nos dicere pudet palam, ea apud se taciti cogitent. at, inquit *Bellarminus, Hieronymus* reprehendit, quod docuit *Vigilantius, melius facere qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quàm illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur*. sed quicquid dixit *Hieronymus*, non dubito quin hoc *Bellarmino* capitale videatur. ex profusis enim istis donationibus spoliatis veris hæredibus monachi ad summas peruenerunt opes. nec sanè stare potest monastica turba, nisi omnia simul largiri monasterijs liceat. istis monachis qui nunc sunt, aut huic superstitioso reliquiarum cultui qui in ecclesia Romana inualuit nihil est cur *Hieronymum* patronum adhibeant. neque enim à reliquijs veniam peccatorum impetrari docuit, nec hunc cultum qui nunc obtinuit probauit, nec hunc recentem monachatum nouit, nec denique qui contra *Hieronymum* sentit, eum pontificij hæreticum dicent. essent enim ipsi maximè tum infames hæretici. nihil igitur agit *Bellarminus*, qui ex *Hieronymi*

[1] Hieron. ad Heliodor.

eronymi sententia, aut *Vigilantium* errasse, aut nos cum *Vigilantio* hæreticos dicendos esse probat.

Multò autem minus, si saperet, *Pelagianam* nobis hæresin obiecisset. hac enim labe ipsi maximè laborant Pontificij, hócque crimen nos illis quanta possumus voce maxima inculcamus. sed metuens ille hunc in suos districtum gladium, tentare fortassè voluit, an occupando ictum declinare posset. ideò *Zuinglium, Caluinum,* & *Bucerum Pelagianismi* insimulat. sed quam huius accusationis attulit rationem, ea nihil valet. nam vt dixerint illi fidelium liberos sanctos esse, & seruari etiamsi moriantur ante baptismum, tamen non tollunt peccatum originale, nec minuunt, quod *Pelagianæ* hæresis proprium erat. non enim negant infantibus illis quos sanctificatos esse credunt, inesse peccatum originale, nec originale peccatum mortem mereri; sed remitti peccatum credunt propter fidem quæ illis in habitu erat, vtpote ex parentibus fidelibus natis: idque ex sententia *Pauli.* dicit enim Apostolus, fidelium liberos sanctos esse, nec paruulos non adhuc baptizatos excludit. si autem sancti sunt, remittuntur eis peccata: non autem ideò sancti dicuntur, quia nascuntur sine peccato. innocentes etiam pueros ab *Herode* cæsos Pontificij vt sanctos Martyres colunt, licèt ante circumcisionem cæsi fuissent. hunc igitur futilem Sophistam ex Theologorum cathedra detractum ad *Aristotelis Analytica,* vt argumentari discat remittendum censeo. *At,* inquit *Bellarminus, docuit Pelagius per quodlibet peccatum quamuis leuissimum perdi iustitiam.* imò contrà, cum Pontificijs docuit *per quædam peccata non amitti iustitiam,* & quædam peccata non esse mortalia, nempè errorem & ignorantiam, & à summa legis obseruatione defectum. *da testimonia (*inquit *Pelagianus* quidam apud [1] *Hieronymum) noui instrumenti, vbi error & ignorantia, & impossibilitas mandati teneatur in crimine,* sed fac docuisse *Pelagium, per quoduis peccatum quamuis minimum deperdi iustitiam,* nos tamen cum *Pelagio* nō sentimus. nam per peccata magna verè fidelibus negamus amitti iustitiam. Christus enim in misericordia diues est, peccatáq; multa condonat, & peccatores imputata sua iustitia à reatu liberat, & iustificat. hæc est enim Dei & Christi iustitia, qua homines miseri à peccatis absoluti iusti efficiũtur. nec licèt quoduis peccatum sua natura mortale dicamus, proptereà *Pelagiani* dicendi sumus. nam *Pelagius* prorsus aliud sentit, *nempè, quædam peccata esse venialia,* prętereà contra *Pelagium,* & cum *Pelagio* sentientes Pontificios, docemus peccata omnia esse contra legem diuinam, (hoc enim docet *Iohannes* Apostolus) & quolibet peccato amitti iustitiam legalem, maledictus est enim qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. & qui in vno delinquit, generali legis san-

[1] Lib.2.aduers. Pelagian.

sanctione tenetur, quasi omnium noxa teneretur, vt inquit *Iacobus*. valdè igitur peruersè vidit *Bellarminus*, qui nec *Pelagij* sententiam, nec nostram, nec Romanæ quidem ecclesiæ vidit, Lolio fortassè ille victitat. doceat si possit vbi *Pelagius* omnia peccata aut mortalia esse, aut quouis peccato deperdi iustitiam dixerit, aut qua in re nos cum *Pelagio* sentimus: liberétque seipsum, & suos à *Pelagianismi* crimine, multas enim sordes ipsi accusatores nostri à *Pelagio* hauserunt.

Virginem *Mariam* ex decreto Pontificis Romani *Sixti* quarti sine originali peccato conceptam dicunt. quod etiam & *Tridentini* Patres amplectuntur, & Monachi defendunt. at ex eo originalis peccati transmissio, & propagatio ex sententia *Pelagij* impeditur in *Maria*. *Franciscani* etiam vulgò hoc suæ sectæ auctori *Francisco* tribuunt, eum sine peccato fuisse. vulgò enim illud de suo *Francisco* probant, *quære peccatum illius, & non reperies*. *Pelagiani* prætereà non omnia peccata esse contra legem crediderunt, sufficeréque si quis faceret quod posset: quam sententiam eisdem verbis, vt iam diximus, Pontificij inter suæ Ecclesiæ dogmata pertinaciter defendunt. Iustitiam quærunt *Pelagiani* ex lege; quod etiam fundamentum est Pontificiæ religionis. contrà autem orthodoxi credunt: *audi*, inquit [1] *Hieronymus*, *Prophetam: in illo tempore, dicit Dominus, quæretur iniquitas in Israele, & non inuenietur. cur quæso? sequitur: quia propitius ero illis*. Dixerunt *Abelem*, *Enochum*, & *Iosuam* non peccasse *Pelagiani*. eadem de suis sanctulis prædicant Pontificij. hos vtrósque reprehendit [2] *Hieronymus*. *non est*, inquit ille, *necesse nodum in scirpo quærere; vtinam possem & manifesta reticere peccata. si vis à me verum audire, nescio. nihil, inquit ille, mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum*. Legem ab aliquibus hominibus impletam fuisse dicunt communiter *Pelagiani*, & Pontificij: at contra vtrósque concludit *Hieronymus*: *hæc cuncta*, [3] inquit, *percurro, vt ostendam à nullo Legem esse impletam*. ex lege & charitate iustitiam expectabant *Pelagiani*. nónne idem nunc faciunt Pontificij, qui iustitiæ in charitate formam & complementum quærunt? contra vtrósque ex Apostoli sententia disputat [4] *Hieronymus*. *nos*, inquit ille, *in Iesum Christum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. si enim ex Lege iustitia, Christus sine causa mortuus est: in Lege maledictio est*. meritis suis & operibus & *Pelagiani* olim, & nunc Pontificij se vitam consecuturos credunt. hanc tamen sententiam Apostoli fretus auctoritate, refellit *Hieronymus*. *Manifestè*, [5] inquit ille, *ostendit non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitiam*. sed quid ego plura ex *Hieronymo* contra Pontificios proferam? hoc enim de omnibus

[1] Hieron. aduers. Pelagian. lib. 2.
[2] Ibidem.
[3] Ibidem.
[4] Ibidem.
[5] Ibidem.

bus affirmare licet, quæcunque ille contra *Pelagianos* disputauit, ea nobis instar armorum esse aduersus Pontificios qui *Pelagij* intermortuam sententiam resuscitarunt, qui igitur *Pelagianismi* meminit *Bellarminus*, is se in cippos induit, vbi ipsum & alios Pontificiæ culinæ propugnatores iampridem æstuantes, & grauiter confixos pendere vidistis.

Nec sanè fœliciùs nobis *Nestorianæ* impietatis obijcit infamiam. nam prçterquam quod ex transubstantiatione cõsequi videtur personç Christi diuisio, adeò sunt *Iesuitæ Nestorio* similes, vt ab ipso potiùs, quàm ab *Hispano* illo militiæ desertore genus duxisse videantur. *veste enim fusca vtebatur*[1] *Nestorius:* nigris vtuntur vestibus isti. *incessus ipsius tristitiam præ se ferebat*, horum etiam gressus myrmicus est, & ad austeritatem compositus. *corporis pallore, vt continens videretur, aucupabatur:* isti etiam sanctitatis famam corporis afflictionibus aucupantur, vt tutiùs per mulierculárum oberrent triclinia.[2] *is magis Christianus videbatur, quàm erat*, quod adeò aptè in *Iesuitas* quadrat, vt in *Nestorio* nobis *Iesuitas* descripsisse videatur *Theodoretus*, nam licèt à Iesu nomen habeant: nihil tamen minus sunt, quàm Christiani. si habuisset etiam *Nestorius* manus rapaces, & venalem linguam, & sycophantias sophisticas: nihil fuisset similius, cur autem *Lutherum*, aut *Caluinum*, aut *Bezam Nestorianæ* hæreseos accuset, nihil habet. ait quidem *Bezam* duas in Christo hypostaticas vniones docuisse: sed vel fungo putidior fuit, qui sibi toties in mendacio deprehenso quenquam sine testibus & tabulis fidem adhibiturum putarit. cur non verba profert, & argumento probat, & testibus confirmat? ne deinceps audacter calumnietur, sciat & *Bezam*, & nos omnes *Nestorio* & eius sententiæ anathema dicere, Synodóque *Ephesina*, & *Chalcedonensi*, quæ eius hæresim perculit, libentissimè subscribere: omniáque dogmata, quæ *Nestorianam* sapiunt impietatem execrari.

Eutychianam etiam hæresim à nostris receptam & defensam esse criminatur *Bellarminus:* sed nullo planè, vel certè leuissimo fretus argumento. nam quæ de *Zuenckfeldio* narrat, nihil ad nos attinent, qui *Zuenckfeldianum*, eiúsque omnes impietates & ineptias anathemate transfiximus, & accuratè etiam tacentibus Pontificijs refutauimus. nec sanè vel *Brentij*, vel *Iacobi Zmidelini* probamus dę corporis Christi, vt vocant, omnipręsentia sententiam, quia nimis illi ad Pontificios accedere videntur. hoc tantùm dicimus, minùs multò illos, quàm Pontificios *Eutychiani* dogmatis videri fautores, vtcunque igitur reprehensionem meruerint illi, ex omnibus tamen minimè digni sunt Pontificij qui eo nomine illos reprehendant, nam

1 Theodoret. hæretic. fabul. lib. 4.

2 Ibidem.

nam nisi corpus Christi vbique esse possit, proprietatibúsque corporis careat naturalis; cadit vnicum Romanæ religionis ornamentum transubstantiatio, in Pontificijs reuixit *Eutyches*, Monachíque recentes huius vetusti Monachi senescentem memoriam, ab obliuione vindicarunt. destruxerunt enim Pontificij Christi humanitatem, & corporis rationem, ipsique corpus dedêre sine dimensionibus, & spatijs, quod tamen in infinitis locis simul esse posse contendunt. capiat igitur quoscunque velit arbitros *Bellarminus*, & nisi Pontificios cum *Eutyche* sapere comprobâro, non dico causam, quin alios eo nomine accusare possit: sin verò omnium maximè noxij videantur Pontificij, fateantur se omnium etiam impudentissimos esse, qui sua crimina hominibus innocentibus imponunt.

Xenaias docuit Christi & sanctorum imagines non esse colendas. at hoc nomine illum inter hæreticos numeratum fuisse, quod dicit *Bellarminus*, non constat. ne *Nicephorus* quidem quo ille solo auctore fretus de imaginum cultu contra nos confidenter loquitur, illud affirmat, nec si maximè affirmaret, tanta potest esse eius auctoritas, vt non illi pro hæreticis habendi sint, qui imagines, & simulachra colunt potiùs, quàm qui non colunt, illud enim disertè mandato diuino prohibetur. nec quicquam proficiunt, qui se non λατρείαν sed δουλείαν tantùm imaginibus exhibere profitentur. seruitus enim plus est quàm λατρεία. eámque creaturarum seruitutem & *Augustinus*, & *Hieronymus* sua sententia condemnarunt. *Nos*, inquit [1] *Hieronymus*, *non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem, aut Lunam, non Angelos non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, nec omne nomen quod nominatur, & in præsenti seculo, & in futuro colimus, & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula.* etiam qui venerationem probarunt imaginum; eos tamen qui imagines, & cruces osculabantur, & coram ijs procidebant pro hæreticis habuerunt. sunt igitur & [2] *Nicephori* sententia Pontificij hęretici. *at*, inquit ille, *habitus est tamen Xenaias hæreticus*, sed nihil hoc ad nos pertinet, nisi propter imaginum cultum damnatum, hoc nomine condemnatus fuerit, potuit autem alio nomine hæreseôs condemnari. nam concilium Chalcedonense dicitur idem improbasse. propter nostram quidem defensam sententiam nullus hæreticus à quoquam habitus est, aut haberi potest. nec causa est cur hoc nomine *Caluinum* diaboli fratrem appellet diabolicus hic monachus diabolíq; mancipium. nam crucem non contempsit ille. tantùm superstitiosum signorum vsum improbauit: quod & veteres fecerunt qui *Staurolatras* in hęreticorū centurijs conscripserunt. nec quicquā magis putidum cogitari potest, quàm quod diabolū crucem fugere existimet. nō enim tam horret Christi sacrificiū in cruce peractū, quàm amat cultum superstitiosum signi crucis:

[1] Ad Ripar. presbyterum.

[2] Nicephor. lib. 18, c. 53. & 54.

crucis: ideoq; eum quantùm potest auget. illa enim superstitione, & huiusmodi prȩstigijs monachos & fratres multosq; miseros mortales deceptos cateruatim secum in exitium rapit. *Xenaia* autem *Bellarminus Caluino* multò similior est. nam vt ille [1] monachorum caterua stipatus bellum indixit pijssimo *Antiochenæ* ecclesiæ præsuli *Flauiano*, sic monachorum caterua fretus *Bellarminus* & *Caluinum*, & multos pios viros monachali rabie allatrat.

[1] Nicephor, lib. 16.

Quid *Lampetiani* de monasterijs docuerint, incertum est: pauca enim quædam tantùm de illis refert [2] *Damascenus*. sed quicquid senserint nostrâ nihil interest. nam cum illis nos non sentimus. illi enim monasteria probarunt, nos grauissimis inducti rationibus eradicanda censemus. sunt enim vt plurimùm porcorum haræ, lustra libidinum, *Sodomitarum* antra, hæreseôn latibula, latronum & profligatorum hominum asyla, seditiosorum conciliabula, litiúmque & iurgiorum domicilia; nulla lege Christi aut Apostolorum, sed humana tantùm superstitione inuecta. neque quæ nunc per varias Europæ partes habentur, vlla in re antiquissimis in eremo monasterijs similia sunt. ibi olim manibus operabantur; votis non astringebantur; precibus vacabant; spontaneam amplexabantur paupertatem; cum ministerio ecclesiæ nihil illis negotij erat, plangebant, non docebant; & ad pietatem erudiebantur: nunc in contrariam partem monachi palmam obtinent. pessima enim in monasterijs exempla fiunt, vt & *Gregorij*, & *Stiblini*, & aliorum testimonijs euicimus, & ex actis visitationis monasteriorum temporibus *Henrici* octaui clarissimè constat. *Arnoldus Brixiensis* abbatum laxos damnabat penitùs mores; monachosq; superbos, vt inquit [3] *Guntherus*. multisq; viris bonis monachorum displicuerunt sectæ, & superstitiones. eorum circumcursationem reprehenderunt *Augustinus* & *Hieronymus*. fuerint igitur aliqui qui *Lampetianos* inter hæreticos censuerint, quod monasteria libera esse debere docuissent; nos ab ista hæresi diligenter cauebimus. non est enim monachis apud nos tutus locus: nec aut libera, aut vlla sunt apud nos monasteria. hanc autem hæresim *Bellarminus*, vt oculos proprios defendit. erit igitur ipse potiùs hæreticus, quàm nos. neque enim vel contra nos sententiam fert *Damascenus*, nec ab eius testimonio pendemus, nec *Lampetianos* inter hæreticos quia libera vota esse debere docuissent, sed quòd cum *Arrianis* sensissent, numeratos accepimus.

[2] Lib. de hæres.

[3] Gunther. Ligur. lib. 3.

Multa hucusq; hæreticorum nomina, vt videre potuistis, nobis accommodauit *Bellarminus*, nunc quia non suppetunt pro sua in nos malitia verba, duas hæreses nobis impingit sine nomine: nec sine nomine tantùm, sed etiam sine ratione. nam quod nostri dicunt, *sacramentum corporis*

Christi non esse in pyxidibus seruandum, quo nomine nos hæreseôs accusat ille, illud orthodoxum est, & catholicum. Christus enim panem sumendum præscripsit, non seruandum; Apostoliq; secundum Christi institutionem frangebant, & distribuebant: eaq; etiam in prima post Apostolos ecclesia consuetudo seruata est, nec nisi post multos annos omnia obtinente superstitione seruari desijt.

Tantùm autem abfuit, vt *Cyrillus eos qui pro veteris ecclesiæ more sacramentum sumendum, non in pyxide seruandum dixerunt*, in sua ad Calosirium epistola pro hæreticis habuerit; vt nulla ad Calosirium extet inter eius vulgata scripta epistola, nec in vniuersis eius scriptis aliqua huiusmodi sententia. quare nisi manifestò falsi damnari, etiam suorum suffragijs velit: proferat *Bellarminus Cyrilli* verba, & ea argumento colliget, missumq; faciat *Cochleo* illi cui frons Cochlearũ testis perfrictior erat credere. contra *Nestorium Cyrillus* disputabat, nec de alijs quam *Nestorianis* hæreticis videtur ipsi sermo institutus. ne apud *Ignatium* quidem aliquid reperitur, quod contra nos faciat. quod etiam de *Theodoreto* quem contra nos testem producit *Bellarminus* respondemus. nam licet de *Ignatio*[1] asserat, quod apud *Ignatium* non reperitur: contra nos tamen non testificatur. nam non negamus nos, Christum totum præsentem esse, eumq; verum esse Christum, cum diuinitate, anima, & carne (quod contendit *Theodoretus*) sed carnali modo & corporali præsentia corporibus nostris præsentem esse, quod nunquam cogitauit, nedum dixit *Theodoretus*. cur igitur non expedit probationes, quibus *Theodoretum* nostram sententiam condemnasse probet? nisi posthac fortiùs se gesserit; non nostra, sed ipsius sententia, qui veram corporis Christi destruit rationem, vt hæretica explodetur.

[1] Dialog. 3. fol. 222.

Calumniatur etiam, *Caluinum* dicere, *in eucharistia esse tantùm figuram, seu imaginem corporis Christi*. ipse enim contra docet.[2] *dico*, inquit ille, *duabus rebus constare sacrum cœnæ mysterium: corporeis signis quæ ob oculos proposita, &c. & spirituali veritate, quæ per symbola ipsa figuratur simul, & exhibetur*. quare vt hæretici sint, qui in cœnæ actione præter nuda signa nihil dicunt interuenire, nihil tamen hoc contra nos facit, qui docemus cum signis, fidelium animis exhiberi res etiam significatas. multò autem minùs, cum nostra sententia, & *Theodoreti*, & *Ignatij*, & omnium veterum authoritate confirmetur. quod igitur diximus de singulis à *Bellarmino* nobis obiectis hæresibus, illud nunc respondemus simul de vniuersis, nullas à nobis defendi hæreses, aut probari prauas sententias. extant publicè à nostris ecclesijs editæ confessiones, in quibus nihil habet quod reprehendat, ne in *Luthero* quidem aut *Caluino*, nisi vera sint, quæ per calum-

[2] Institut. lib. 4. c. 17. § 11.

niam

niam illis ascripsit quicquam reprehendere potuit. in pontificia autem doctrina, & hoc in loco, & vbi de vera verbi prædicatione egimus, multas hæreses notauimus. desinat igitur deinceps nobis hæreses objicere, cum ipse sit hæreseôn fons, & stabulum nequitiæ, & mendaciorum & hæreseôn thesaurus.

Nec sanè tacente *Bellarmino* causa est, cur *Vlenbergius* loquatur. nam nec sapit, nec fari potest: sed crasso & impolito ingenio causam vtcumq; dedolauit. illum dico qui se *Lippiensem* cognominat: non adeò certè malè. nam quasi lippus esset, ita nihil in ista causa vidit, eáque tantùm quæ lippis & tonsoribus in ore sunt, vulgóque in nos iactantur conuitia, dicit. vos de illo nihil fortasse propter hominis obscuritatem audiuistis, hunc igitur, ne in homine erretis, describam qualis sit. ex genere est eorum qui quæstum pro pietate sectantur; coluitque antiquum diu missificandi quæstum. nunc autem postquam vilescere cœperunt missarum putidæ merces, vidissétque magno in pretio haberi calumniatores, linguam suam ad calumniandum, & mentiendum locauit: homo sanè perfrictæ frontis, & oris duri, quique in nos ebrius plurima euomuit maledicta. multa igitur ille quæ anteà *Bellarminus* ipsi præripuerat repetit conuitia: quædam etiam excogitauit noua, summéque cupit hæreseôs nobis infamiam aspergere, sed argumento sanè nullo. *Simonis*, *Manetis*, *Eutychis*, *Pelagij*, *Vigilantij*, & *Iouiniani* hæreses sicut & anteà *Bellarminus* nobis imponit. quod igitur anteà *Bellarmino* responsum est, sibi etiam responsum putet. asserit prætereà nos cum[1] *Ætio* sentire nullum esse peccatum quod credentem condemnare possit. sed nec *Ætium* aliquid huiusmodi docuisse, nec eo nomine ipsum hæreseôs damnatum fuisse ostendit. quis igitur hunc aduersarium metuat, qui calumniæ suæ nullam affert rationem? aut theologum putet, qui quæ Christus docuit, & Apostolus pluribus in locis inculcat, ea vt hæretica improbauit?[2] *non iudicatur*, inquit Christus, *qui in filium Dei credit, nec peribit, sed habebit vitam æternam. nulla*,[3] inquit Apostolus, *condemnatio est ijs qui sunt in Christo Iesu*, cum igitur Christo ipsi hic insulsus sophista anathema dixerit, quid mirandum est, si nos diris prosequatur?

[1] Cap. 6. lib. de 22. causis.

[2] Iohan. 3.

[3] Rom. 8. & 6.

Objicit etiam *Wiclefo*, *Luthero*, & *Caluino* sustulisse illos libertatem arbitrij, omniáque ineuitabili fieri necessitate docuisse: vnde consequi dicit Deum peccatorum esse authorem: quod ille *Caluinum* sensisse calumniatur. sed nec verba cuiusquam ascripsit, nec vlla ratione accusationem suam confirmauit. nos sanè hæc illos sensisse negamus. nec si ætatem suam in eorum scriptis euoluendis conterat, aliquid eos docuisse probabit, ex quo consequatur Deum authorem esse

 peccati.

peccati. mala enim hominem non necessariò sed liberè sequi dicimus: bona autem hominem æquè liberè ac mala eligere, ne pontificij quidem, nisi planè *Pelagiani* esse velint, dicturi sunt. *liberum arbitrium*, inquit [1] *Augustinus, sine gratia non valet nisi ad peccandum.* hanc libertatem in homine non diffitetur *Lutherus*, sed cum ad mala tanquam captiuus feratur, eam veram esse dicendam libertatem negat. rogo, inquit ille, [2] *quæ est illa libertas, quæ nonnisi in alteram partem potest, eamq; peiorem?* at docuit *Caluinus, hominem non regeneratum necessariò peccare.* hæc enim *Vlenbergius* post multam inquisitionem ex *Caluini* scriptis protulit. negamus tamen propterea omnia illum putasse necessariò fieri. non enim absoluta necessitate illum peccare, sed ex consequenti, quia cor ipsi prauum est, & obtenebratus intellectus. at hoc modo etiam quæ maximè sunt contingentia necessariò fiunt. nam etsi non est absolutè necessarium aliquem moriturum; tamen si cor ipsi ferro traiectum fuerit, necessariò morietur. discat igitur bonus hic sacrificus quæ philosophorum sit de futuris contingentibus sententia: & sic fortasse minùs errabit ipse, aut alijs errores ascribet. *Bezam* autem si alicuius erroris condemnare instituerit, mittat malè loqui, eiúsque verba proferat vnde errorem illum consequi constet. non enim maledictis sed argumentis hoc efficiendum est. ad maledictum autem *Vlenbergij* respondeo, tantùm à Manetis furore illum abhorruisse, quantùm furiosus hic & mendax sophista à veritate abhorret, & pudore.

[1] De spiritu & litera.

[2] Assert. artic. ad Leon. 10. art. 10.

Carnis etiam resurrectionem quosdam apud nos negare criminatur. sic nonnulli sunt etiam qui transubstantiationem credunt, nempe ex pontificiæ ecclesiæ reliquijs aliqui. sunt etiam apud pontificios qui Iesum Christum æternum esse Dei filium, & pro nobis passum esse negant, vt Iudæi, & Turcæ, & Marani.[3] etiam ex Italis multi & disputarunt, & crediderunt animam non esse immortalem. quos tamen pontificij pro suis non agnoscunt. cur ergo nobis sycophanta ille hæreticorum qui ex nobis non sunt, sed è nobis egressi sunt, aut etiam impurorum quorundam Epicureorum sceleratam sententiam quam confessionibus nostris, & tota mente auersamur, ascribere non vereatur? nec contra nos facit quòd ex Anabaptistis nonnulli hanc hæresim sequuti. sint ipsos enim pariter ac *Vlenbergium* hæreticos esse censemus: ipsorumq; sententiæ anathema dicimus. cum istis autem pleriq; summi pontifices Romani & ex pontificum aula cardinales, & illorum sectatores præclarè consentiunt. nam ita viuunt, itaq; moriuntur, vt nec animæ immortalitatem, nedum corporum resurrectionem, aut credere, aut cogitare videantur, vt antea pluribus confirmauimus.

[3] Ex actis concil. Lateranens. sub Leone decimo.

Cum Donatistis idem nos sacrũ chrisma contemnere, & hoc tanquam grauissimæ

grauissimæ hæreseôs argumentum obijcit. Sed toto cœlo errat. non enim sacrum Chrisma, sed omni superstitione fœdatam Pontificiorum vnctionem, & fricationem contemnimus. nec quod in ea sententia fuerint, sed longè alio nomine *Donatistas* ab Ecclesia condemnatos accepimus. cur igitur non docet *Donatistas* hoc nomine habitos fuisse hæreticos? aut cur non refellit nostram sententiam? nisi posthac diligentiùs ista tractarit, homines, non tantùm Chrisma illud Pontificiorum impurissimum, sed etiam omnes Pontificiorum sordes, & impietates cõtemnent, & abijcient.

Obijcit denique nobis (nam cur multùm in istius conuitijs refellendis immorer, nihil est) *Berengarij* illius qui transubstantiationis incunabulis primus restitit sententiam, quàm ipse peruersè hæresim vocat. adeóque nunc de fæce haurit, vt qui contra futilem *Nicolai* illius, qui *Berengario* Palinodiam præscripsit, voluntatem locutus fuerit, huic homini minimè acuto pro hæretico habeatur. sed sub isto iudice nihil est quod speret nos litigaturos. nam & *Nicolaum* ipsum, & Innocentium, & *Vlenbergium*, omnésque transubstantiationis patronos pro hæreticis conuictis habemus: multísque allatis argumentis confirmauimus. cur non idem in nobis tentauit? cur stolidus tacuit? an conuitijs ista effici putauit?

At certè, [1] inquit, *graue crimen est, quod concilia generalia contemnitis. hac enim ratione hæresi viam aperiri, prauásque contra religionem sententias robur accipere, & confirmari. Neque alia re plus inualuisse Arrianos, quàm quòd Synodi Nicenæ actis subscribere noluissent. Iohannémque Eckium magnum scilicet prophetam, vaticinatum esse, maximam ecclesiæ impendere calamitatem, si conciliorum acta in dubium vocarentur.* Sed & in nostra sententia, & in suo de concilijs iudicio toto cœlo aberrauit. nam nec nos vetusta priscæ ecclesiæ concilia repudiamus, nec possunt Pontificij, si ex illis controuersia decidatur, consistere. nec quisquam Pontificibus Rom. maiorem vim attulit concilijs. Præterea prorsus delirat qui Synodum *Constantiensem*, & nuperum hoc *Tridenti* conuenticulum, cum *Nicena* Synodo, & priscis concilijs pari iure veneratur. non enim fides ibidem ab erroribus vindicata, sed oppressa fuit. quare si *Constantiensi* Synodo oblocutus est *Lutherus*, & *Tridentinum* nostri omnes aspernentur conuenticulum, non propterea concilia sancta contemnimus. Nam vt quæ contra fidem peruersè statuerunt taceamus, non locus tutus, non disceptatio legitima, non æqui iudices, nõ iuris ratio habita fuit. Præsidebat summus noster, imò Christi aduersarius, armorum & perfidiæ iustus nobis obiectus est metus. Nihil ex scripturarum sententia, sed ex Pontificis voluntate, cui se plerique sacramento obstrinxerant: nihil ex patrum authoritate, sed ex scholæ corruptis opinionibus omnia decernebantur. non ibi præfuit Christus cum

[1] Vlenberg. Cauf. 16.

Spiritu sancto, sicut in alijs concilijs, sed Antichristus mancipium Satanæ. conuenerúntque non pij Episcopi, sed latrones ad diripiendam Ecclesiæ Christi dignitatem, hæretici ad expugnandam Christi fidem, satellites antichristi ad occupandum Christi regnum, & pios opprimendos.

Huiusmodi cōuenticulis cur non omnem fidem abrogaremus, cùm ipsi non tantum veteribus Synodis, sed & Christo ipsi fidem abrogarint? Parcet itaque nobis deinceps si sapit hæreses obijcere. nam nec hęreticos esse, nec in fide quidem errasse, licèt multum sudarit, vnquam probabit. Imò multùm iam in hoc voluendo saxo elaborauit *Bellarminus*, nec quicquam tamen profecit, ne *Vlenbergius* in medio rure educatus Minerua sua crassa se aliquid profecturum speret. cum igitur nihil habeat quod vltra nobis obijciat, in *Caluinum* & *Lutherum Bacchico* suo furore, quo sæpe corripi solet, inuehitur, & hunc cum *Arrio* filij Dei æternitatem, & cum patre æqualitatem improbasse, illum *Stoicorum* fatum amplexum criminatur. qua in re non miror istum tantis viris oblatrasse. Nam vt ventus cæcias nubes: sic isti omnium scurrarum maledicta ad se propter veritatem, quæ istis odio est defensam attraxerunt. illud potiùs mirandum est, tanta quemquam esse vel impudentia, vel stultitia, vt apertè in rebus clarissimis mentiendo, nihil aliud quàm se calumniatorem esse probet. Fatum enim *Caluinus* verbis disertis [1] damnat, hominémque nusquam non voluntariè agere asserit. Cur ergo non docet vbi fatum hoc probarit, aut omnia in homine necessaria constituerit? Num quia Dei prouidentia omnia certò dirigi putauit propterea necessitate omnia ineuitabili fieri docuit? at prouidentiam & Magister sententiarum docuit, & præter atheos, & Epicureos omnes probant.

Est, inquit *Lombardus*, *scientia siue prouidentia (Dei) non de futuris tantùm, sed de omnibus, de* [2] *bonis scilicet & malis.* Si *hoc tibi persuaseris*, inquit [3] *Chrysostomus*, *quod prouidentia Dei omnia dispensentur, dum alia quidem permittit, alia verò operatur: liberaberis à quæstionibus & solutionis lucrum acceperis.* Non igitur noua docuit, si omnia prouidentiæ Dei subiecerit, & apud ipsum certa esse docuerit. nihil enim est in Deo contingens, nec quicquam ipsum latet, nec aliquid scit quod non certò futurum sit. negamus tamen ideò omnia in homine necessariò fieri. nam propter causarum obscuritatem, & incertum rerum euentum, & voluntatis variam inclinationem in homine multa contingenter fiunt, & voluntariè, licèt Deus certò sciat quid futurum sit. nec pugnant hæc Deum omnia certò scire, & hominem voluntariè, & liberè agere.

Hane

[1] Institut. lib. 1. c. 16. §. 8.

[2] Lib. 1. dist. 35. §. 1.

[3] Chrysost. in act. cap. 10.

Hanc autem sententiam si *Vlenbergius* oppugnare instituerit, caueat ille, ne aut cum *Epicuro* prouidentiam tollat, & Deum in cœlo otiosum includat, aut mutationem sententiæ in Deo ponat, aut Deum omnia prouidere, & scire neget; & denique ne dum alium hæreseôs immeritò reum agit, ipse in grauissimas hæreses, & impietates incidat.

Lutherus de æterna filij Dei essentia, & consubstantialitate nihil non piè docuit. *Arianisque* omnibus anathema dixit, ne quis ipsi hanc labem impingat. *At inquit Vlenbergius ex litanijs vocem* Trinitas *expunxit, & verbum* ὁμοούσιον *quod Arriani ferre non potuerunt, odit ipse: locósque Scripturarum sacrarum quibus prisci patres aduersus hæreticos vsi sunt malè vertendo euertauit, & vt parùm validos repudiauit.* Sed multa hoc loco mentitur *Vlenbergius*. nam nec verum est expunxisse illum vocem Trinitas ex litanijs; nec certè vocem ὁμοούσιον repudiauit, nec aliquod contra *Arrianos* argumentum validum abiecit. quod ad primum attinet, illud inde constat, quod vox illa *sancta Trinitas* in litanijs *Wittenbergensis* Ecclesiæ nunquam fuerit. Qui igitur potuit expungere quod nunquam fuit? nec si alias adhibuerit, quàm quæ in ecclesia Romana vsitatæ sunt preces, propterea aliquid expungere dicendus est. Nam in Symbolis fidei nonnullis multa habentur, similiter & in precibus, quæ in alijs Symbolis & precibus non reperiuntur: deliraret tamen qui articulos aliquos expungi, diceret, aut preces culparet, aut quia aliquid illis deest, authores hæreseôs accusaret. Quid enim adeò perfectè colligi potest, vt omnia complectatur? vocem autem ὁμοούσιον non dicit se odisse, *sed etiamsi odisset, nō tamen propterea se hæreseôs damnandum esse, si rem teneret.* non igitur vocabula ille aspernabatur ab Ecclesiæ more introducta, sed spectandum potiùs dixit, quid in scripturis contineretur, quàm in literarum syllabis.

Nec cum *Arrianis* sentit, qui leuiculis quibusdam argumentis reiectis fortissima quæque contra illos colligit, sed qui pugnare cum illis detrectat, quod de *Luthero* dici non potest. nec versione sua aliud quæsiuit, quàm vt veram scripturarum sententiam quantùm potuit verbis exprimeret. Quare cum nihil aliud habeat, quod in nostrorum hominum sententia reprehendat *Vlenbergius*, etiamsi viginti duas causas attulerit, causa cadat necesse est. Non enim tam causas attulit, quàm causarum inani specie putidas calumnias, & hominum malè sanorum quasdam ineptias.

Bellarmino & *Vlenbergio* in Pontificiorum militum numeris succenturiatur [1] *Rossens* quidam, aut saltem *Rossei* nomine profligatus aliquis

[1] Ad nonnullas Rossei calumnias respondetur.

aliquis ex *Anglia* transfuga; non ille quidem fortis miles: castra enim hæc nuper attigit, & in Theologiæ studijs tyrunculus videtur; sed sanè conuitiator validus, & clamosus, sycophantáque impudentissimus. nuper enim è Romanæ vrbis lustris emersit. lustrorum autem isti mores sunt. hic & quæ superiores in nos collegerunt venena recoquit, & nouas quasdam etiam ipse contra Ecclesiæ nostræ fidem excogitauit calumnias. Religionem enim nostram vt vanam & ineptam [1] arguit, quia nullum putat nobis esse sacrificium. sed quid nobis esset, ille non multùm attendisse videtur. sacrificia enim si attendisset, videre potuisset nobis non deesse Christianorum omnia lege mandata sacrificia. Habemus enim illud æternum Christi sacrificium, quod semel in ara crucis oblatum est, cuiúsque effectus semper durat, & quod omnium sacrificiorum est complementum: habemus præterea sacrificia laudis, & gratiarum actionis, Christianíque quotidie vitia sua mactant & subigunt, & seipsos tanquam [2] *hostias viuentes, & sanctos Deo offerunt, & consecrant.* Præter ista autem nulla sunt, vt antea diximus, sacrificia Christianorum. illud enim propitiatorium pro viuis & defunctis in missa oblatum sacrificium, non est Christianorum, sed idololatrarum ad veri sacrificij memoriam extinguendum à Satana excogitatum cõmentum. cum igitur tot quotidie habeamus sacrificia, cæcum esse oportet *Rossæum*, qui cum tandiu inter nos versaretur, nullum in nostra Ecclesia vidit sacrificium. sed video quid illum deceperit. non audiuit strepitum campanarum, nec voces dissonas canentium, nec vidit deaurata altaria, nec sacerdotum fulgidas vestes, nec reliquum Missæ theatricum apparatum: non vidit deniq; homines pios & innocentes, vt in regno Pontificio mactari. hæc enim sola sacrificia ipsi probantur, & placent. nos autem vt hæc Pontificijs relinquamus sacrificia, non caremus Christianorum legitimis sacrificijs.

[1] De iusta Reipub. Christ. in Reges &c. authorit. c. 4.

[2] Rom. 12.

[3] Negat idem *nos credere animæ immortalitatem.* quod quidem si de suis dixisset, multò dixisset veriùs. nam etsi in concilio *Lateranensi* decreuisset *Leo* decimus animam intellectualem esse immortalem, hoc tamen decretum, nec ipse credidisse, nec alij probasse videntur. Nam ita morati sunt plerique omnes, vt exiguam videantur habere de animę immortalitate cogitationem. *Iohannes 22*, vt diximus, in gurgustium animas ante finale iudicium detrusas esse putauit. Synodúsque *Constantiensis Iohannem 23* ob animæ negatam immortalitatem ex sede exturbauit Pontificia. de *Paulo* autem tertio fidedigni testes qui audiuerunt testantur, *ipsum è vita discessurum se iam tria de quibus in omni vita multùm dubitasset experiundo cogniturum* dixisse; primò, *an esset Deus, deinde an essent inferni aliqua supplicia, & deniq; an animæ essent immortales?* Hic igitur reperire potest animæ immortalitatis

[3] Cap. eodem.

talitatis negata exempla. apud nos licèt multum & diu inuestiget, nullum inueniet huius impietatis vestigium. nam licèt pro defunctis & eorum peccatis & pœnis non oremus, nec sacrificia offeramus: non tamen inde sequitur, non credere aliquos animæ immortalitatem. animas enim hinc euolantes in æternam proficisci putamus aut requiem, aut pœnas. Adeo vt cum nec gaudium augeri, nec pœnæ minui possint, preces omnes superfluas putemus. ne veteres quidem Pontificiorum more sacrificia, & preces obtulerunt. illi enim gratias egerunt pro defunctis, nec putabant sese precibus eorum pœnas minuere posse. isti sacrificijs se pœnarum mitigationem, & remissionem impetrare credunt, quod nec prisca *Iudæorum*, aut prima Christianorum Ecclesia credidit. quare aut magna hæc *de animarum immortalitate negata* remittat conuitia, aut firmiora afferat argumenta: nisi planè insanire instituerit.

Graue idem putat esse scelus, quod quidam nostrûm negent *Petrum* vllo tempore Romæ fuisse. & sanè cum mecum istud reputarem, videbam hoc istis non iniuriâ maximum, & horrendum videri flagitium, & scelus. nam ex hoc vno capite fides pendet ecclesiæ Romanæ, & in Cathedra *Petri* vniuersa fundatur Pontificiorum religio. tolle *Petri* Cathedram, & nega illum Romæ episcopatum gessisse, actum est de Pontificia mitra, & mitratis decretis, & vniuersa Pontificum Romanorum potestate; actum est etiam de cucullatorum qui à Pontifice pendent gregibus, & cuculis impuris, & impurarum auium nidis. Propter hoc vnum dogma concussum, mirum est, ni Monachi omnes vestes mutent. *Roffens* magnas turbas facit. sed hoc quod huic sycophantæ magnum videtur facinus, viris sapientibus res plena ineptiarum videtur. Nam qui potest facinus videri, negare aut saltem dubitare, an *Petrus* aliquando Romę fuerit, cum nulla religione illud credere teneamur? nusquam enim in sacris literis aliquod eius extat documentum, imò in scripturis multa sunt, quę cōtra *Petri* episcopatum Romæ gestum faciunt, quæ antea diximus. nec propterea flagitium est negare, quod multi affirmant. Negant enim nuper Iesuitæ *Ioanna* Pontificis historiam, quàm infiniti credunt, multi authores narrant. credunt etiam Pontificij sui Pontificis primatum, quem nulli prisci authores norunt, infiniti nunc negant. Et si in tempore quo *Petrus* Romæ fuisse dicitur, patres errare potuere: cur non etiam in vniuersa historia falli potuerunt. Pontifices quidem Rom. in multis rebus non credunt patribus, & historijs: nos tamen nec facinus, nec flagitiū exclamamus. nostra sanè vtrum *Petrus* Romæ fuerit, an non fuerit, non multum interest. nam nec à *Petro* quicquam Romani Pontifices hauserunt sanctitatis, nec ab ipso ius habent, vt nos multis antea docuimus.

Cap.4.pag.230. In nos tandem magno impetu fertur *Rossens.* miror quod tandiu nobis pepercerit, qui nobis præcipuè malè cupit. *Anglos* dicit, *religionem alias ad viri, alias ad pueri, alias ad fœminæ voluntatem suspendere.* Multum autem fallitur. nam nos ne ad summi quidem Pontificis, quod Pontificij faciunt, voluntatem religionem suspendimus, aut mutamus. dicit præterea nos fœminam, vt caput ecclesię adorare. cogitauit enim fortasse quomodo Romæ plebs coram idolo illo Pontificio procidit, vbi etiam capita illis qui non procidunt adoraturi fustibus comminunutur: sed malitiosè hæc omnia ipse confinxit *Rossens.* nam neque ex viri, nec ex pueri, aut fœminæ, imò nec ex hominum aliquorũ arbitrio sed tantùm ex diuinis oraculis in scripturis cõprehensis pendemus, & fidem ędificamus. Præterea nec ministerij partem aliquam principibus deferimus, aut in verbi aut sacramentorum administratione tribuimus potestatem, nec licèt reginam vt multorum beneficiorũ authorem amemus, tamen adoramus, aut coram ea procidimus. hæc Romanæ ecclesiæ flagitia sunt, quæ coram suo illo idolo se prosternit, Pontificemque cernua in terram adorat, & ex ipsius ore pendet, & ad eius voluntatem sententiam mutat; eiq; potestatem etiã supra scripturas tribuit. *At summam* (inquit ille) *defertis Regina vestra in ecclesia potestatem*; fuitq; tempus, cum *Henricus 8 Angliæ* rex caput ecclesiæ diceretur. fateor. neq; tamen inde consequitur, aut ex principum nos sententia pendere, aut illos vltra debitum adorare, aut coram illis procidere, quod dicit *Rossens.* Reginæ enim nullum aliud ius tribuimus, quàm quod *Constantius, Theodosius*, & alij pij & Christiani principes antiquitus habuerunt, & in vetere *Iudæorum* ecclesia reges sibi in legibus ecclesiasticis iubendis, & suprema ecclesiæ moderatione vendicarunt. Quod licet Pontifices Romani armis, & hic impurus canis maledictis oppugnet; frustra tamen vtiq; laborant. Nihil enim ea in re fecimus quod quisquam meritò reprehendere possit. nam etsi vocabulum capitis ecclesiæ nonnullis bonis viris displicuerit, tamen quod eo nos intelleximus, nempe reges summos esse in externa ecclesiæ administratione in terris procuratores, nulli iure aliquo displicere potuit. Nam præcipui ecclesiæ moderatores, vt diximus capita ecclesiæ alicuius particularis dicti sunt. quare si in Põtifice Rom. probent capitis nomen, cuius tamen nulla ex sacris literis constat iurisdictio, nihil est quod illud *Rossens* in summis principibus, quibus summa à Deo data est potestas, reprehendat.

Pag.230. Sacras etiam scripturas apud nos non minus bubulcos & suarios, quàm episcopos & sacerdotes interpretari calumniatur. sed calumniæ huic nullus tam stultus est, vt credat. nam licèt apud nos bubulci & opiliones, & porcorum custodes in religionis negotio plus quàm nonnulli apud istos

summi

summi Pōtifices sapiant: tamen nec istis, nec vlli prorsus nisi legitimè vocatis verbi Dei ministris ius sacras literas interpretandi concedimus. imò *Anabaptistarum* & hominū quorundam ineptorū qui illud aggrediuntur arrogantiam legibus coërcemus. non tamen propterea cū Pontificijs sentimus. Neque enim laicis, vt vocant, oculos eruimus, nec quicquid doctores ipsis proposuerint, sine vllo iudicio quod volunt Pontificij, amplectendum dicimus; (nam isto modo cæci cæcos sequentes simul in foueam inciderent) sed facultatem vt vera approbent, falsáque à veris, si possint, distinguant concedimus. quod quidem nisi Pontificij etiam concesserint; non illi hominibus, sed sui similibus belluis digni sunt, qui imperent.

De iustificatione etiam solius fidei multa verba facit[1] *Roffens*, & in re clarissima multis vtitur non necessarijs probatiunibus. nihil enim fortasse aliud habet quòd agat. fuit ille quidem cum apud suos ageret negotiosus: nunc autem re, & fide amissa in nugis ætatem conterit: & licèt non multū soleat esse otij sub pellibus, tamen dum alij bella gerunt, ipse ad malè loquendum otiosus videtur. sed quid opus erat tam prolixa oratione, vt nos sola fide sine operibus hominem iustificari censere doceret? Omnes enim hoc publicè profitemur, & docemus. Neq; sanè nos huius sententiæ quicquam est quod pudeat. nam & Apostoli ea est & Patrum etiam sententia, vt multis allatis ex eorum scriptis sententijs docuimus. Qui autem contra sentiunt, non tantùm Catholicam oppugnant fidem, sed etiam ex lege quæ omnes æterno addicit exitio, qui non perfectè legi parent, contra rationem salutem quærunt. quod autem nos putat dicere *sola & solitaria fide homines iustificari, & nihil prorsus interesse, vtrum bene an male agamus*, non nostra est sententia, sed *Roffei* putida calumnia. Nam bona opera fructus esse fidei necessarios docemus, & signa iustificati, & ad bona opera quantum possumus hortamur, & malè viuentes, ex operibus non esse inter fideles censendos putamus. Atque hæc &[2] *Zanchi* est sententia, & *Caluini*, & *Lutheri*. *Beza* docet, bona opera ad salutem esse necessaria, sed non vt causam salutis, sed vt quiddam cum vera fide necessariò cohærens. In eáque sententia est & *Augustinus*. dicit enim *bona opera non præcedere iustificandum, sed sequi iustificatum*. & *Thomas Aquinas* verba *Iacobi* exponens ostendit, *opera iustificare ostensiuè non causatiuè*. sunt enim signa & effecta, nō causa iustitiæ. nec ad rem facit, quod Deus dicitur vnicuiq; secundū opera tribuere. nam vt inquit *Petrus Eremita*, *Deus reddet vnicuiq; non secundum operū merita, sed secundū operum testimonia*. Neq; cōsequitur quod *Roffens* credit, vlla ex doctrina hac turpitudo. nam licet gratiæ diuinæ nobis in Christo oblatæ, & per fidem solam apprehēsæ salutem acceptam

[1] Pag. 231.

[2] De perseuerantia sanctorum, in Miscellaneis.

feramus: tamen in bonorum operum studio omni studio & contentione currendum censemus. Pontificij autem licèt ex bonis operibus se salutem quærere profiteantur, tamen quasi nulla esset habenda operum ratio, ita colunt mores pessimos, & impietatis, & impuritatis imò etiam inhumanitatis pessima quæque exempla edunt.

Rosseus autem non tantum aduersus fidem Ecclesiæ nostræ, sed etiam sacramenta obloquitur. Quid si etiam aduersus lunam oganniret? baptismum à nostris vt inanem, & superfluam cæremoniam æstimari dicit. sed nihil nouum facit, si mendacium dicit. nostrum sanè nemo est, qui non baptismum, vt sacramentum à Christo institutum plurimi faciat. ideóque Pontificijs non leuiter succensemus, quòd grauissimam hanc religionis ceremoniam ad res inanimatas adhibeant, & campanas baptizent, & non tanti faciant baptismum, quin Chrisma suum illi præferant, baptismíque vim quouis sequenti peccato elidi putent; adeò vt nihil ad sequentia peccata proficiat.

Nos autem vim eius per vniuersam vitam extendi censemus, omnésque baptismum contemnentes damnationi addicimus. nec quia non ponimus salutem in externa ablutione, & negamus sacramenta conferre salutem ex opere operato, propterea vim sacramentorum minuimus. Fatemur enim nihilominus baptismum sacramentum esse salutis, & gratiæ, & eo nobis obsignari promissiones diuinas. At inquit *Rosseus, Caluinus non adeò necessarium putauit esse baptismum quin sine eo seruari possint fidelium liberi ante baptismum morientes.* Quòd miror huic sophistæ nouum videri. ipsi enim innocentes ante circumcisionem quæ baptismo olim respondebat morientes pro martyribus colunt. Et *Innocentius* quendam presbyterum non baptizatum sed etiam placidè mortuum saluum pronuntiauit, vt anteà diximus. *Passio etiam*, inquit *Lombardus*, *pro Christi nomine suscepta supplet vicem baptismi, etiam fides & contritio vbi necessitas excludit sacramentum.* Ipsi etiam docent alium esse baptismum aquæ, alium sanguinis. nec vim minuit baptismi, quod negat *Beza* aspersione aquæ peccatum tolli originale. Nam in infidelibus, vt ipsi aiunt Pontificij, vbi ponitur obex, sacramenta nihil agunt. reatum autem peccati originalis in fidelibus tolli nullus nostrûm negat. non autem hoc propter vim in sacramentis inclusam, sed propter merita mortis Christi, & eius gratiam nobis per sacramenta obsignatam.

[1] Lombard. lib. 4. dist. 4.

Dicit præterea hanc omniū nostrûm esse cōmunem opinionem, *Turcarum* liberos sine baptismo seruari. à qua perfidia tantum absumus, vt nec *Turcas*, nec *Turcarum* liberos sine baptismo seruari credamus. sin autem *Mahometica* deserta impietate, aliqui ad religionem Christi conuersi

fuerint,

fuerint, eos baptismo tingere solemus. huius igitur, quam nobis ascribit blasphemæ sententiæ, cur nullos testes dicit? cur ne reos quidem nominat? cur nos omnes pari reatu inuoluit? ne *Turca* quidē aliquos innocentes sine testibus condemnant: vt etiam *Turcis* inhumanior fuisse videatur hic monachus. dicit ergo, *quosdam affirmare prædestinatos, etiamsi non baptizentur tamen saluos fore*. sed nullum ne huius quidem rei testem profert. nec sanè potest, neque enim fines opponimus medijs, aut salutem censemus Deum sine medijs conferre. prædestinationem autem non tantum finium esse dicemus, sed eorum etiam quæ ad finem referuntur.

Cœnam prætereà dominicam non rectè apud nos celebrari criminatur. sed adeò insulsam affert rationem, vt nullam aliam ego nostræ causæ defensionem desiderem. nihil enim minùs sequitur, quàm propterea nos cœnam non ritè & legitimè celebrare, quia non credimus transubstantiationem. tantùm enim abest, vt cœnæ aliquod afferat ornamentum illa, vt prorsus vitiet sacramentum, & pro cœna Christianorum *Cyclopicas* in ecclesiam induxerit epulas.

In vtróque sacramento, pontificiæ ecclesiæ apparatum magnopere flagitat; sed illo non ornari, sed conspurcari sacramenta credimus. Apostolos rectè celebrasse sacramenta nemo negare potest. nunquam tamen illi vel candidam dederunt baptizato vestem, nec oleo vnxerunt, aut saliua & sale leuerunt. nec desiderarunt illi aut campanulas, aut lumen: nec in sacramento cœnæ habuerunt altaria, aut vestes consecratas, aut missæ operosum apparatum. cur ergo non Apostolos potiùs, quàm hos à Christi doctrina apostatas sequamur? doceat ergo clamator iste, aut has cæremonias à Christo & Apostolis mandatas esse, aut nobis qui illas fœdas sacramentorum pollutiones abiecimus, desinat obtrectare: confirmétque suum illum septenarium sacramentorum numerum. nisi fecerit, nos illi etiamsi millies, nedum septies has nugas inculcârit, fidem nullam adhibebimus.

Libertinorum etiam & Anabaptistarum idem nobis ascribit impuras hæreses. *Versteganus* in tabula illa sua ridicula Anabaptistas inter Euangelicos recenset: nullúsque adeò insulsus est inter istos scriptor, aut pictor, quin nobis velut cum Anabaptistis consentientibus conuitia ingerat. fecit ante istos & *Vlenbergius*: nec *Bellarminum* harum ineptiarum puduit. quibus nos pro istis maledictis sanam mentem optamus. Libertinorum quidem & Anabaptistarum furores, & impuritates non tantùm sententia, sed & vita vniuersa refutamus. nec sanè recusamus, quin omnes nos pro Libertinis habeant, nisi & libidines & lupanaria magis quàm pontificij abhorreamus: & nisi qui apud nos turpissimè viuant, non mul-

tum præſtent ſummis pontificibus: quorum tanta eſt impuritas & impietas vt nec eam ampliùs celare poſſint, nec defendere. ij ergo verè Libertini dicendi ſunt, & libidinum mancipia. quod quidem nos multis teſtimonijs confirmauimus. cur non ipſe viciſſim nos Libertinos eſſe aliqua producta noſtra ſententia, aut argumento confirmat? cur non ipſe qui nobis has etiam obiecit turpitudines probauit *Bellarminus*? nam de hoc *Roſſeo* qui in omni doctrinæ genere tyro eſt, nihil eſt quod ſui ſperent, cum multi veterani milites loco depulſi gradum retulerint.

Quæ de *Arriana* hæreſi, & *Manichæorum* de cauſa mali impia ſententia ſuo more declamauit *Roſſeus*: ea multò fortiùs aſtrinxit *Bellarminus*, & malitioſè conuoluit *Vlenbergius*, quorum tamen nos anteà calumnias refutauimus. quid igitur aliud *Roſſeo* hoc nomine reſpondeamus, niſi hoc vnum quod omnes etiam nobis tacentibus facilè vident, nempe illum audacter & impudenter pro more pontificiorum militum calumniari, & mentiri? *Arrio* enim, & *Maneti*, & qui cum illis ſentiunt anathema dicimus: etiam pontificiorum ſententiæ qui cum *Manicheis* in nonnullis ſentiunt. nec ſanè cauſa eſt, cur ſuis theologicis diſputationibus aliud reſponſum flagitet. nam in theologiam tanquam in alienos fines ſophiſta impudens irrupit, nec quicquam ſuum attulit, niſi fortaſſe ſi aliquid in ſua & noſtra ſententia errauit. hunc igitur cur non vt ſcurram rejiceremus potiùs, quàm vt cum theologo diſputaremus?

Quem enim niſi planè ſcurram & ſycophantam non puderet, noſtram
Pag.184. religionem à diabolo profectam dicere? at, inquit ille, *Lutherus & Zuinglius apertè fatentur, ſe habuiſſe doctrinam ſuam à diabolo.* at huius quod iſte illos confeſſos eſſe, ídque apertè dicit, nos nullum reperimus veſtigium, aut indicium. nec dicit quidem *Roſſeus* aliquod eius argumentum ne librum ſanè legiſſe videtur, vnde leues quidam ſcurræ huius calumniæ materiam deſumpſerunt. eſt enim ſcriptus *Germanicè*, quam ille linguam non intelligit, etiam malè teſtibus iſtis qui iſta narrant conuenit.
Pag.119. profert *Roſſeus* librum *Lutheri* Latinè ſcriptum è tomo ſeptimo librorum eius *Wittenbergæ* excuſorum. *Vlenbergius* tomum ſextum citat, verbáque in *Germanico* libro *Ienæ* excuſo reperiri confirmat, è quibus vnum vos videtis mentitum eſſe: nos vtróſque mentitos eſſe non dubitamus. nam quod cum *Luthero* diabolum collocutum narrant, primum eſt mendacium. nam per ſomnum tantùm diabolum ſecum colloqui viſum (vt eſt in libro) dicit. pungebat enim *Lutherum* conſcientiæ ſtimulus, quòd tot annos miſſas dixiſſet, diabolóque ea in re operam præſtitiſſet. ſecundum autem eſt mendacium quod de vniuerſa religione diabolum cum *Luthero* egiſſe aſſerunt; (nam tantùm de miſſa agere viſus eſt.) tertium

autem est quod *Lutherum* à diabolo, missam rem esse malam didicisse fingunt. (nec enim quicquam didicisse se vel per somnium narrat) contra enim *Lutherus* dicit, sibi qui multò ante missam rem esse pessimam sciret diabolum visum esse objicere, quod tot annos rei malæ operam dedisset, vt vel bonam esse missam fateretur, vel in desperationem abduceret, quod ex re pessima tamdiu vitam sustentasset, quartum est mendacium, quod *Lutherum* diabolo cessisse memorant, nam contrarium ex narratione constat : fortiter nempe illum diabolo restitisse, qui illum ad missæ antiquum vsum retrahebat, aut saltem in desperationem abducere conatus est. sed quid ego reliqua mendacia ponam, cum præter mendacia nihil habeant, quod dicant? quæ, vtcúmque de *Luthero* vera sunt, quæ narrant isti exploratissimum certè est eos à diabolo didicisse, est enim ipse & mendacij pater, & mendax spiritus in ore hominum mendacium. *Lutherus* autē nihil aliud peccauit, quàm quod vt homo *Germanus*, & non ita pridē monachus, qui has de diabolorum apparitionibus monasticas fabulas è mente adhuc non eiecerat, somnium narrat crasso filo, & monachis familiari. quare si nullum aliud habeant huius calumniæ fundamentum præter somnium, quod ipsi etiam malè detorquent : nihil est quod aut *Rossæus* narret, aut pingat *Verstegauus* diabolum *Lutherum* aliquid docentem : nam præter monachos pauci nunc per mundum oberrant diaboli visibiles. ideò pinxit *Verstegauus* diabolum fraterculi habitu, & resti succinctum tanquam bellum aliquem *Franciscanum*. non meminerat ille Iesuitarum. nam si meminisset proculdubio palliatum pinxisset. isti enim maximè strenui sunt diaboli ministri.

De *Zuinglio* autem nihil habet, quod dicat *Rossæus*, vt in illum vel vlla ratione ductus calumniam dixisse videatur. tota enim narratio somnio nititur : nec in somnio vlla diaboli mentio facta est. *Zuinglium* tamen doctrinam suam à diabolo hausisse, vel somnians vel potiùs calumnians narrat ille. mentitur igitur primò, quod à diabolo *Zuinglium* aliquid didicisse commemorat; deinde quod ad vniuersam illud retulit doctrinam, quod ille de vno scripturæ loco sibi per somnum suggesto dicit, tertiò quod somnium tanquam rem gestam narrat. quod nunc plerique in more habent positum pontificij, quorum historiæ plenæ sunt somniorum, imò & mendaciorum. libenter enim narrant somnia, & ex somnijs conflatæ sunt legendæ, & somnians multa deblaterauit *Rossæus* magna mendacia. cum igitur nihil habeant, quo aut *Lutherum*, aut *Zuinglium* ab alio, quàm ex fontibus sacrarum literarum sua dogmata hausisse confirment, quid tam multis hanc de diabolo narrationem persequuntur, præsertim cum ex historijs, & legendis quas ipsi probant; & testibus

fidedignis,

fidedignis, quos nemo rejicere potest certò constet, plurima pontifices Romanos à Diabolo habuisse, & diabolicis artibus vniuersam eorum niti religionem?

[1] Pontificij plurima à diabolo authore acceperunt.

[1]Ab isto enim edocti mendaces monachos, & alios emissarios suos in vniuersum mundum destinârunt, & ab eodem magistro crudelitatem, & scelera nefaria, quæ ad tyrannidem pontificiam defendendam designarunt, didicerunt. Diabolus enim vnicus videtur mendaciorum, & scelerum doctor, & homicida fuit ab initio. ab isto carnem & sanguinem esse in sacramento didicerunt. nam vt testis est *Alexander Halesius*, apparet caro in sacramento quandoq; procuratione humana, quandoq; operatione diabolica. [2] in legenda *Christophori* accepimus, *illum à diabolo didicisse crucis ligneæ virtutes, & quantum ab illa diaboli refugere soleant.* ab illo isti etiam complures de Purgatorio narrationes, & superstitiones diuersi generis didicerunt. à diabolo etiam *Iacobus Clemens* mandata accepit de *Henrico* tertio *Gallorum* rege interficiendo, [3] aiunt *enim Angelum illi quendam apparuisse, & cum illo de cæde illa egisse.* quem sanè nullus non videt diabolum fuisse. nam præter diabolum nullus vnquam vel Angelus vel vir bonus suasisset. neque enim cædes & scelera vnquam Angelos bonos suasisse auditum fuit. in monasterijs etiam[4] familiariter versari solent diaboli, adeò vt nec muscæ crebriores esse solent, cùm calet maximè. Diabolum etiam in templis fingunt, & pingunt. in transitu alpium vidi ego arietinis cornibus magnum in altari iuxta *Bernardum* astantem diabolum. soletq; misera plebs etiam diabolo candelas accendere. *Syluester* secundus, compluresq; alij pontifices diabolo se in seruitutem tradiderunt, de quibus iam diximus. ab istis non dubito illos multa scelera, & superstitiones, & impietates accepisse. ipsi etiam *Franciscani* glorificationem & stigmata sui *Francisci*, quæ plures pontifices Rom. publicis diplomatibus confirmârunt, & super quibus fundamentũ religionis *Minorum* iactum videtur, non ab alio authore quàm à diabolo habuerunt. hęc enim ipsi in suo conformitatũ *Francisci cum* Christo diabolico libro narrant. [5]*diabolus*, inquiunt illi, *dixit quod Christus videns Franciscum sibi datum pro signifero tanti ordinis, ipse suorum vulnerum stigmata impressit, & clauos in manibus & pedibus, & in latere dextro vulnus. hæc diabolus: & quare sit factum diabolus adiuratus à quodam sacerdote de veritate dicẽda post plura, per os mulieris apud Rauennam morantis nomine Xantese, sic inquit: in cælo sunt tantùm duo signati scilicet Christus, & stomachosus Franciscus. sciens igitur Christus se daturum illi stomachoso bullam suorum stigmatum, non permisit illi accipere a papa bullam.* videtis igitur istos nulla circuitione vsos fateri, se à diabolo suæ religionis fundamentum habere. illud verò bellum videtur, quod

[2] In legenda Christophori.

[3] Mercur. Gallobelg. lib. 2. p. 159.

[4] Ex legendis, & Gregorij dialogis.

[5] In libro conformitat. p. 228.

quod à diabolo discunt, quæ in cœlis gesta sunt. cùm igitur tot ipsi diaboli magisterio didicerint, parcent si sapiunt, *Luthero* & *Zuinglio*, diaboli magisterium obijcere. nihil enim ea in re faciunt, nisi quod olim Christo *Iudæi*, qui eum potestate Belzebub dæmonia eiecisse, & diabolum habuisse, dixerunt, cùm ipsi à diabolo incitati illi maledixissent. nihil est igitur quod molestè ferant Christiani se ab Antichristi satellitibus pati, quæ Christus filius Dei ab hominibus nequam passus est. hæresim certè, aut prauam sententiam in vniuersa fidei doctrina, quam nostra profitetur Ecclesia, nullam illi, licèt nomina hæreticorum nobis imponant, ostendere aliquo argumento possunt, vt ex hac nostra ad peruulgatas illorum obiectiones responsione constat.

CAPVT 5.

In quo Sanderi, Bellarmini, & Vlenbergij, & aliorum eius farinæ hominum, qui nos passim Schismaticos, & sectarios vocant, maledicta, & calumniæ diluuntur.



VEtus est, & impiorum sermonibus trita aduersus Christi Ecclesiam, de Christianorum diuisione, & sectis calumnia, eóque telo *Pagani* præcipuè olim aduersus Christi veritatem depugnabant. quò minùs miror *Bellarminum*, & reliquos, qui aduersus Ecclesiam Dei bellum gerunt, eorundem vestigia persequi. hæc enim omnium Ecclesię hostium communia tela sunt. dicit *Bellarminus*, nos & schismate discessisse ab Ecclesia, & eius capite Pontifice Rom. & sectis varijs Ecclesiam Dei dilacerasse. schisma etiam nobis obijcit magno volumine in huius regni contumeliam scripto *Sanderus* transfuga & hostis in patriam, & veram religionem coniuratus. multa etiam iam olim de diuisionibus & sectis nostris fabulatus est *Fridericus Staphylus*, ignobilis quondam nostræ Ecclesiæ miles, posteà verò ignauus abiecto scuto Apostata. *Lutheri enim discipulos primùm in Anabaptistas, confessionistas, & sacramentarios, mox in 34 sectas diuisos, dicit*: eaque in re impudenter & stultè calumniatur, quod *Anabaptistas* qui ante *Lutheri* tempora fuerunt, & quos ille strenuè oppugnauit, inter eius discipulos numerat. *Bellarminus* more Monachorum qui hyperbolici & hyperdiabolici esse solent, hunc numerum multis superadditis ad centum vsque excreuisse, mentitur. hanc autem triplicem à *Staphylo* nobis obiectam diuisionem tribus tabulis adumbrauit trifurcifer ille *Versteganus*, non tribus ille tabulis quidem pingendus, sed tribus patibulis affigendus, omnium denique Pontificiorum, ne singulos nominare necesse sit, hæc

communis est in nos conficta calumnia, discessisse nos à capite & corpore Ecclesiæ Catholicæ, variásque esse inter nos sectas, & contrarias de fide sententias. sed ad prolixam hanc contra nostram Ecclesiam hoc nomine institutam accusationem breuis est, & expedita defensio.

Caput enim vnum Catholicæ Christi Ecclesiæ agnosci mus ipsum Iesum Christum: huius vnius mandatis, vt summo regi obtemperandum, docemus: huic vsquequaque adhæremus: huic vera fide coniungimur. qua igitur fronte nos ausus est *Bellarminus* criminari, quasi à capite Ecclesiæ diuulsi essemus, cùm nec fidem nostram refellere, nec defectionem à Christo ab Ecclesia nostra factam, vel doceat, vel conetur quidem docere? de Pontificijs autem nos multis allatis argumentis vtrunque confirmauimus. vnde consequitur, illos cùm Christum caput, & eius doctrinam abijcientes, nouum caput, & nouam doctrinam, & nouum cultum idolorum asciuerint, verè sectarios dicendos esse, & schismaticos, vtpote qui à Christi Catholica Ecclesia discesserunt. *At*, inquit ille, *à Pontifice Romano desciuistis*. nos verò hoc laude potiùs, quàm vituperatione dignum censemus, nam cur non ab illis discederemus, qui à Christo discesserunt? non est enim Pontifex Romanus caput, imò nec membrum Ecclesiæ, nec dicendus est Pastor, sed prædo, qui legitimo depulso Ecclesiæ domino, & rege, tyrannidem in Ecclesia occupauit. non conuenit illi Christi titulus, nec Christi imperium; nec vllam illi Catholica Ecclesia huiusmodi detulit potestatem: nec ius quod multos annos sibi vendicauit, aut ex Scripturis habet, aut priscæ Ecclesiæ consensu; ne *Petri* quidem iure, aut hæreditaria successione, aut nomen istud, aut ius habet.

Falsò etiam nobis schisma obijcit *Sanderus*, cùm crimen esset tam graue & odiosum, cur illud nullo argumento confirmauit? num satis habuit conuitiari? at hoc scurra quiuis vrbanus potest. (est enim negotium vniuersum scurrile) & maius aliquid libri titulus pollicebatur, videbatur enim nos omnes schismatis accusaturus, at nihil ille quod ad rem facit, protulit. multáque tantummodo in nos effundens conuitia, ne vno quidem argumento nos schismatis reos probauit. nam quod [1] dicit nos à fide, quæ per *Iosephum Arimatheensem* primò in hac insula disseminata est, discessisse, mendacium est, ille rem tantam ne verbo quidem vno confirmauit, nos autem ab illa fide quam *Iosephus* ille hic primùm plantauit, non discessimus, sed quia Pontifex Rom. ab illa discesserat, idcircò longo pòst interuallo desertore fidei deserto ad primam originem redijmus. si igitur qui à *Iosephi Arimatheensis* fide discesserunt, schismatici sint; erunt Pontificij schismatici: erit & *Sanderus* schismaticus, idémque quòd arma contra

[1] In præfat. ad libr. Sander. de schism.

tra patriam gessit proditor, & quia cum hostibus aduersus nos stetit sceleratus transfuga,& scurra maledicentissimus, hunc igitur non nauci hominem, eiúsque discipulum *Rishtonum*, qui quod præcipuum erat in causa non viderant,nec probarant,quis non magnoperè vt leues accusatores irrideat, & contemnat? non defecisse nos à Catholica Christi Ecclesia, sed potiùs ad Catholicam accessisse, hic vniuersus tractatus argumento erit.

Nec sanè causa est,cur dum intestina nostra dissidia commemorant istorum tantoperè exultet oratio, quid enim nostris accidit, quod non in prisca Christi Ecclesia inter domesticos fidei vsu venit? nam & inter Apostolos, & primos Christianos exortæ sunt discordiæ, & mutuis se scriptis veteres Patres oppugnarunt. nec obstant priuatorum contentiones, quo minùs *Anglicæ, Germanica, Scotica, Gallica*, & reliquæ nobiscum sentientes Ecclesiæ vnanimes sint, & concordes. præterea eadem nobis est omnibus quoad fidei summæ articulos professio: summéque omnes Ecclesiæ aduersus Pontificis Romani tyrannidem, & superstitionem consentiunt: omnésque hæreses veteres à probatis Synodis, & vnanimi patrum consensu damnatas,execrantur. Omnes denique communionem inter se inuicem colunt, priuatorúmque discordias sublatas cupiunt. hæc ego primùm ex singularum Ecclesiarum confessionibus publicè editis,deinde ex multorum piorum scriptis, postremò ex hominum fide dignorum testimonio vera esse comperio. huc etiam accedit & aduersariorum tacita confessio, & ille quem ego ex imis eorum cordibus expressum video, gemitus. neque enim quicquam illos peiùs vrit, quàm quod nimiùm nos contra se consentire experti sint.

Nec contrà nos facit,quòd alios vocant ipsi *Caluinianos*,alios *Zuinglianos*,alios *Lutheranos*. hoc enim aduersariorum potiùs calumniæ est, quàm nostræ dissensionis argumentum. non enim se quisquam nostrum his nominibus appellari à suis æquo animo sustineat. cur ergo quisquam hæc aduersariorum maledicta vel flocci faciat?

Quod autem *Lutheri* discipulos in *Anabaptistas*,confessionistas,& sacramentarios; hos autem in alia sectarum nomina partiuntur: faciunt illi vt hostes veræ religionis facere soliti sunt, illi enim veritati nomen mendacij imponunt, & ex hæresis inuidia veritati odium conflare moliuntur. ita etiam *Pagani* antiquitùs hæreseôn variarum sordes Christianæ fidei alleuerunt, vt ex hæreticorum infamia veris Christianis infamiam conflarent. quod itaque responderunt illi, ad se nihil impurorum hominum, & hæreticorum, qui ex Ecclesia egressi erant, impietates & flagitia pertinere; illud etiam nos dicimus. Quæcunque enim est

Anabaptistarum & *Libertinorum* causa: eam à nostra constat remotissimam esse. nos enim & *Libertinis*, & *Anabaptistis*, quorum nonnulli è nobis egressi sunt, eorúmque turpitudini, & prauæ sententiæ anathema dicimus. cur ergo qui nos subinde contumeliosè *Libertinos* & *Anabaptistas* appellat *Bellarminus*, non docet horum peruersa dogmata à nobis probari? aut cùm non possit crimen docere, nomen tamen inculcat hæreticorum?

At, inquit ille, *Cochleus*, & *Staphylus* dixerunt *Lutheri* discipulos statim in tres partes discessisse. quasi verò non multa illi præ liuore & summo veritatis odio mendacia dixerint; aut multùm quid hostes nostri de nobis dixerint laborandũ sit; aut non prorsus insulsũ sit, testes istos perfidos, & profligatos producere, contra quos quæcunq; in testes leues, iniquos, criminosos, inimicos dici solent, rectissimè dicuntur.[1] *Anabaptistarum* hęresis etiam ante *Lutherum* natum in Apostolicis viguit temporibus *Bernardi*; etiam in *Beguardis*, & *Beguinis* temporibus *Clementis* 5, qui in illos edidit quandam [2] constitutionem in Synodo *Viennensi*. si igitur fuerint ante ipsum natum, quî potuerunt ab ipso proficisci? præterea quæ circa eius tempora eruperunt hæręses, nullum habuerunt *Luthero* grauiorem aduersarium: nec quisquam erat, cui ipsi erant iratiores. ab ipso certè nihil habuerunt. quare nisi velint illos alicuius esse discipulos, à quo in rebus maximis dissident, nihil est quod istos inter *Lutheri* discipulos numerent. nec ad rem facit, quòd circa *Lutheri* tempora emerserunt, & in locis multis vbi Euangelij lux propagati cœpit se ostenderunt. nam cum bono semine & malæ herbæ crescunt, & vt Christi discipuli bonum semen serunt: sic & diaboli emissarij zizania spargunt. in ipsa prima Ecclesia multæ enatæ sunt hæreses, etiam viuentibus Apostolis. & inter Pontificios etiam singulis ætatibus suborti sunt homines praua sentientes. quare cùm nec sibi ascribi velint *Iudaeorum* & *Maranorum*, quos tamen ferunt, & hæreticorum quibus non adeò malè volunt, errores; cur nobis aut *Luthero*, aut cuiquam nostrum *Anabaptistarum*, *Antinomorum*, *Osiandrianorum*, *Stancarianorum*, & huiusmodi pestium venena obijciant? quare vt ad lectorum nauseam vsque istorum ineptias persequatur, nunquam tamen labem aliquam nobis ex illorum hæresi asperget *Vlenbergius*. perinde enim nobis sunt *Stancariani*, & *Anabaptistæ*, vt & Papistę, omnes praua sentientes, & pariter hæretici. nec licèt ab istis dissideamus, sectariorum infamia nobis metuenda est. nam orthodoxi semper ab hæreticis dissident. quare vt non tres tantùm tabulas, sed vel mille proposuerit, & ijs sectas hæreticorum multiplices describat *Versteganus*; nunquam tamen Catholica Ecclesia propter eà desinet hæreticorum oppugnare praua dogmata.

Obijci-

[1] In Cantic. serm. 66.

[2] C. ad nostrum Clement. de hæretic.

Obijciunt prætereà nobis contentionem illam circa verba ſacramenti, quæ multis libris,& contrarijs ſcriptis exacerbata animos quorundam diſtraxit; [1] Proferúntque Gallorum contra Germanos, & contrà, & Germanorum etiam inter ſe pugnas. ſumma autem huc redit, acerbè quoſdam in alios ſcripſiſſe,multáque in ſe inuicem contumelioſè,& acerbè dixiſſe.ſed quod inde colligunt,eccleſiæ noſtræ homines in varias ſectas eſſe diuiſos,& de religionis ſumma inter ſe pugnare, non ſequitur. nam de ſumma fide inter omnes conuenit,mutuóque ſe amant,& communionem inter ſe colunt eccleſiæ. nec propter priuatorum contentiones, aut contraria ſcripta, aut Anglicana eccleſia Germanicam, aut Gallicam, aut iſtæ noſtram eccleſiam amare deſinunt. multíſque viris bonis contentiones iſtæ priuato quorundam conſilio ſuſceptæ admodum diſplicuerunt.

[1] Reſcius in miniſtromach.

Nec quæ apud nos intempeſtiua quorundam garrulitate exortæ ſunt de presbyterio & ceremonijs rixæ eccleſias noſtras diremerunt. nam & importunis hominibus fræni iniecti ſunt, legibúſque lites ſopitæ, & vniuerſa contentio ſopita videtur, quo minùs Gallica eccleſia Anglicanam, & viciſſim Anglicana Gallicam coluerit, nulla in cæremonijs, aut externa politeia diſſenſio efficere potuit. quare ſi nihil aliud habuerit *Bellarminus* vnde diſſenſionem, & ſectarum eſſe apud nos varietatem confirmet, nugas agit. nam licet priuato conſilio acriter homines priuati inter ſe contenderint; pacem tamen colunt inter ſe eccleſiæ Anglicanæ, Germanicæ, Gallicæ, & vt huic contentionis flabello Satanæq; miniſtro malè ſit,ſemper colent.

Contrà verò pontifices Romani non tantum odijs & ſcriptis,ſed etiam collatis ſignis inter ſe pugnarunt, neque tantùm de tranſubſtantiatione, & ſacramento, ſed etiam de omni religione inter ſe dimicant. pugnant etiam inter ſe & ſcholaſtici cum ſcholaſticis, & monachorum familiæ inter ſe, nec ita poſtremos eccleſiæ pontificiæ propugnatores externi hoſtis terruit vicinitas,vt nõ acriter inter ſe *Catharinus, Sotus,Caietanus* & alij multi contenderint: cum ſuos reſpiciant, miror non pudere illos de noſtris contentionibus verba facere, neque enim aut armis contendimus, nec mutuis excommunicationibus nos mutuò vulnerauimus, nec contraria edidimus decreta,nec publico conſilio aliquæ ſuſceptæ ſunt lites, at in eccleſia Rom. hæc ſæpe facta fuiſſe oſtendimus, cur non igitur apud nos huiuſmodi contentiones proferunt?

Dicit quidem *Bellarminus*, *adeò omnia apud nos incerta eſſe, vt cui adhærendum ſit ſententiæ, nemo certò ſcire poſſit.* ſed aut ſomnia nobis ſua narrauit,aut aliorum mendacia. nam cum de fidei articulis nulla ſit apud

 nos

nos dissensio,& omnes concorditer pontificis Romani tyrannidem, & superstitionem oppugnemus,scripturarúmque regula stet immota, quî potuit nihil apud nos certi esse dicere? aut cum omnis ex pontificum decretis pendeat Romana religio, quî ausus est ille certitudinem iactare? quare, vt sciat deinceps in quàm lubrico loco versatur,cùm nostræ ecclesiæ contentiones verborum magna acerbitate persequitur; dicimus leues esse nostrorum hominum contentiones, & dissidia, si Romanæ ecclesię dissidia spectes. Pontifices enim Romani à Christo discesserunt, & magnis sæpe se inuicem viribus oppugnarunt. armis etiam crebrò inter se, & pontifices & illorum superstitioni addictissimi principes contenderunt. se ipsos prætereà contrarijs sententijs, & decretis conuulnerarunt. certarunt etiam perfidia,& veneno. maximæ inter illius ecclesiæ membra exortæ sunt non tantùm discordiæ, sed & simultates. at hæc nobis obijcere non possunt. quid igitur obijciunt? discordiam proferunt de sacramenti negotio,& externa ecclesiæ politeia. at de huiusmodi rebus etiam viri boni litigarunt. non parua lis orta est inter *Petrum* & *Paulum*; etiam inter *Paulum* & *Barnabam*. Vniuersáque de obseruatione *Paschatis* in duas sententias diuersas diuisa est ecclesia. contenderunt inter se *Cyprianus*, & *Stephanus* episcopus Rom, & *Augustinus* dissensit à *Hieronymo*, & *Ambrosio*. acerrimè autem contenderunt *Chrysostomus* & *Epiphanius*; itéq; *Hieronymus* & *Ruffinus*: adeóq; creuerunt priscorum patrum lites,vt nec synodis illis modus imponi posset. quare cum nihil apud nos fiat,quod non in veris sæpe acciderit Christi ecclesijs, contenderint autem pontifices Romani, vt ex *Platina* docuimus more planè barbaro & sæuo, eáque non tantùm contra nos, sed inter se etiam designarint, quæ nulli vnquam verè Christiani fecerint; desinant posthac, si sapiant, his suis tritis de nostris dissensionibus obiectiunculis nobis molesti esse.

CAP. 6.

In quo ostendit sanctam esse & efficacem, quæ in ecclesijs nostris habetur, doctrinam; nugaríque non modò calumniari pontificios, qui nec sanctam, nec efficacem esse contendunt.



VT hæreticorum fœdi sunt mores, sic doctrina vt plurimùm fœda est,& impura,oratióq; cum vita pulchrè consentit. De *Simonianis*, *Saturninianis*, *Carpocratianis*, alijsq; multis hæreticis hoc narrant priscæ ecclesiæ historiæ: & ne longiùs abeamus,monachorum, & scholæ pontificiæ hoc docent Sophisticæ, & Philosophicæ disputationes,

& impurissimi & fœdissimi totius illius Synagogæ mores. contra verò ecclesiæ orthodoxæ, & doctrina & mores sancti sunt. est etiam doctrina eiusdem virtutis,& efficaciæ maximæ. quod vt de ecclesiæ doctrina in genere verum est,sic etiam de ecclesiæ nostræ doctrina verè affirmari potest. est enim illa & sanctissima, & efficacissima. authorem enim habet spiritum sanctũ, & à Christo Iesu reuelata, & à prophetis & Apostolis tradita in vniuersum mundum sanctissimorum virorum ministerio peruenit. nullam enim pro fundamento fidei nostræ probamus doctrinam præter eam, quam prophetæ & Apostoli, viri sanè sanctissimi primùm prædicarunt, posteàque scriptis consignarunt ; martyrésque sanctissimi, & viri doctissimi testimonio suo confirmatam ad nos vsque transmiserunt. traditiones superstitione plenissimas, ineptissimásque Romanæ ecclesiæ legendas, & pontificum epistolas decretales, cœnúmque pontificiæ scholæ, quod fontes verbi diuini conspurcauit, abominamur, & repudiamus. cum ita fundata sit, & ex principijs tam sanctis exædificata nostra doctrina, nihílque humanæ labis admixtum habeat, sanctam esse necesse est. est enim lex domini pura, & immaculata, omnésq; eius sermones instar auri purgatissimi. nec sanè si verè existimare volueritis, quicquam in fidei nostræ doctrina reperietis, quod non verbo Dei scripto respondeat, & verissimum,& sanctissimum sit.

Nam quod obijcit *Bellarminus*, vulgò apud nos doceri, *homines sola fide iustificari, quo ille dogmate nullum putat esse vel stultius, vel turpius :* non nostræ sententiæ arguit turpitudinem, aut errorem, sed propriam ipsius stultitiam, & inscitiam. non enim dicimus nos sola fide homines iustificari formaliter, vt ipsi loquuntur, aut quia illis fides inest & inhæret, sed quia nihil aliud habent, quo iustitiam Christi,qua sola iusti dicuntur, apprehendant. salutem enim consequimur non propter fidem, vt in nobis est, sed per fidem propter Christum. nec iusti sumus,quia legem implemus, sed quia condonatis peccatis propter fidem , iustitia Christi imputatur. quam sententiam si *Bellarminus* turpitudinis alicuius accusat, Christum ipsum ipsiúsque sanctissimos Apostolos, non nos tantùm accusat.

Hanc enim ab illis profectam esse doctrinam, nos multis iam antea allatis probationibus confirmauimus; nostrámq; interpretationem patres confirmasse ostendimus. imò ne ipsi quidem pontificij, si aliqua sit in hac sententia turpitudo,ab ea immunes erunt. doceat enim primam nostram iustitiã in fide sola esse positam. nec alia apparet in infantibus iustitia,qui statim post baptismũ moriuntur; quos tamẽ saluos iri nõ dubitãt põtificij, licet opera nõ faciant secundum legem. cur non igitur sint ipsi turpissimi?

Iustitia

Iustitia autem hæc nostra non est temporalis, nec inhærens, aut habitu acquisita, sicut morales virtutes, quod fefellit pontificios, sed ab æterno ex decreto promissa, & quo tempore credere homines incipiunt, declarata. at *qui incipit credere*,[a] inquit ille, *vel est iustus, vel iniustus: si iustus, ergo iustificatur per fidem, qua est posterior eius iustitia: si iniustus, ergo non iustificatur fide*. quod nec pertinet ad negotium quod ipsi in manibus erat, nempe vt turpitudinem nostræ sententiæ ostenderet, nec sententiam nostram de solius fidei iustitia refellit. iustitia enim qua iusti sumus coram Deo, non ex temporali hominis actu, sed ex æterno Dei decreto pendet, & tum demum reuelatur, cùm homo credere incipit. ita vt fides hanc iustitiam apprehendens, in tempore etiam cum iustitia concurrat. nec tam contra nos, quàm contra pontificiorum sententiam hoc dilemma facit. Dicunt enim ipsi ex prima iustitia hominem iustum esse. at hoc si verè conclusit *Bellarminus*, fieri non potest. sequeretur enim hominem aut ante iustitiam infusam iustum esse, aut qui primam habet iustitiam, non esse iustum. Prætereà in eo errat quod putat nostros docere, ideò homines iustificari quia se iustos putant; & iustificari solitaria fide. quorum neutrum docent. non enim ideo iusti sunt, quia putant se credere, sed quia verè credentibus peccata remittuntur: nec solitaria, aut mortua fide, quæ nulla profert bona opera iustificari homines credimus, sed viua & efficaci fide, quæ bonos profert fructus. Nec aliter docent aut sacræ literæ, aut prisci patres. sancta igitur, & vera est nostræ ecclesiæ disciplina. nam quod ex solius fidei iustitia tolli affirmauit orationem dominicam, delirauit potiùs, quàm vlla illud probabili ratione ductus affirmauit. qui enim non magis nos oremus *remitte nobis debita nostra*, qui in remissione peccatorum iustitiam collocamus, quàm illi qui ex merito sibi vitam æternam donari flagitant? imò si vera sunt quæ isti dicunt, *posse renatos perfectè satisfacere legi Dei*, nihil est quod remissionem peccatorum postulent. est igitur pontificiorum de operum iustitia doctrina turpissima. nam si ex operibus formaliter homines iustificentur, tollitur orandi studium: prætereà tollitur legis sanctio, nempè *maledictos esse qui non in omnibus operibus legis permanent*. confirmantur deniq; homines in peccatis. nam si peccata non tollunt operum iustitiā, cur metuant homines peccare? hęc itaq; sententia & flagitiosa est, & etiam falsa. Deus enim pronuntiat illos maledictos, qui nō in omnibus perfectè legem implent, & vita illis promittitur qui faciunt opera legis; & *Iacobus* eos qui in aliquo delinquunt reatui subijcit. sunt igitur miseri pontificij qui ex lege quæ omnes transgressores æterno exitio addicit, salutem quærunt. nam non tantùm legem Dei concupiscendo, sed etiam mentiendo, & veritati obloquendo, & sceleratè viuendo transgrediuntur.

[a] De notis eccles. c. 88.

Contra

Contra *Lutheri* discipulos (ita enim appellat christianos, hic pseudochristianus & Christianorum calumniator monachus) nouum crimen exorditur; criminis enim loco obijcit, ipsos docere, *Infantes dum baptizantur vti ratione, audire verbum Dei, credere, & diligere.* quod quidem etiamsi docuissent, tamen falsum est potiùs, quàm turpe, nisi si, quæ falsa sunt, etiam turpitudinis aliquid admixtum habent. sed nisi tabulas protulerit, nunquam ego credam nostros aliquid huiusmodi docuisse. valdè sibi sanè assentatur, qui sibi toties mentienti sine testibus, aut tabulis credituros aliquos putauit. sententia ecclesiæ nostræ se aliter habet. nam licèt credamus infantes fidem habere propter sacramentum fidei, & quia inclinationem habent, & potentiam ad credendum, & quia spiritus sanctus in ijs operatur sua mirifica efficacia, tamen non dicimus eos vti ratione, aut actu audire verbum Dei, aut credere, aut diligere. quod autem nos dicimus non puto pontificios negaturos, nisi fortè sine fide aliquos saluos fore crediderint.

At turpis est eorum sententia, qui Deum causam peccatorum faciunt, & omnia absoluta necessitate fieri contendunt: addo etiam & turpissimã esse. nam Deo sanctissimo nemo sine summo scelere peccata sua accepta ferre potest. sed quod *Bellarminus* nobis hanc sententiam ascribit, turpissima illud fecit inductus mentiendi libidine. cur non ergo tabulis illud, & testibus confirmauit? an satis putauit esse malè loqui? vt deinceps ergo fortiùs dicta sua confirmet, sciat nos illis, qui Deum peccatorum faciunt authorem, & omnia fieri absoluta necessitate contendunt, non minùs aduersari, quàm qui maximè. etiam huic mendaciorum authori, qui quasi absoluta necessitate astrictus teneretur, veritati obloquitur, aduersamur. de nostra autẽ sententia diximus iam anteà satis, vt & ijs qui scire cupiunt satisfactum esse, & ijs qui aduersus veritatem oblatrant, fauces obstrictas teneri non dubitemus.

[1] *Rosseus* autem nulla re putat nostram religionem videri impuriorem, quàm quòd nulli apud nos publicè cœlibatum voueant. mirificè enim cœlibatus ipsi res sancta videtur. sed & *Huldricho Augustano*, & priscæ ecclesiæ patribus, multísq; viris pijs aliter videtur, quibus omnes qui aliquid sapiunt plus credunt, quàm *Rosseo*; cuius sanctitatis, licèt alioqui cœlebs sit, nõ adeo fecunda est fama, neq; alio nomine peiùs multos iam annos audiuerunt pontificij, quàm quod sublato honorabili ministrorũ coniugio publica permittunt lupanaria, suorúmq; sacrificorũ, & monachorum scortationes súsq; dẽq; habent. nec sanè quicquã est monasterijs aut monasteriorum cœlibatu impurius aut inquinatius; ibi enim Massiliensiũ coluntur mores, pudicitiæ autem & pudori nullus relinquitur locus, súntque

[1] De iusta reip. Christ. aduers. reg. imp. author. c. 4.

steria non sanctitatis scholę,sed pædiconum,cinædorum,& calamistratorum,vnctorum,& pulchrè rasorũ lustra.cœlibatum autẽ libido furens,fœdi amores,stupra,abortus mulierum,infantum cędes,omnésq; sequuntur turpitudines. contra igitur quàm facit *Rossens* concludimus,ideò sanctiorem & castiorem esse ecclesiæ nostrę doctrinam,quia cogimus nullos ad cœlibatum, coniugiúmq; sanctum esse & honorabile inter omnes credimus, hanc igitur impuram belluam, (quid enim hominem appellem,qui in cõiugio nullam putat esse sanctitatem ?) sed illum ego,& eius non dissimilem scriptorem *Versteganum*, qui maximi probri loco nobis coniugia verbi ministrorum obijcit, vxóresque castas contumeliosè pinxit moneo, ne aut casta coniugia condemnent, aut impuro suo cœlibatu superbiant. hoc enim nihil impurius , nec castitate coniugali quicquam sanctius. nisi monitis obtemperent, & dicta contumeliosa & picturas missas faciat, duos ego illis pictores apponendos censeo,qui corium ipsis pingant virgis vlmeis.

Cum nullam in doctrina nostra turpitudinem, aut prauitatem animaduertere possunt,Anabaptistarum & Libertinorum nos inuidia apud suos opprimere conantur. quasi verò non in media ecclesia Romana multi sint Anabaptistæ & Libertini, imò & Epicurei, quorum tamen errores nihil ad se pertinere contendunt.cur ergo nobis istorum hæreticorum impuram sententiam,quam & scriptis diligenter refutauimus, & legibus seuerè coercuimus, & confessione publica ecclesiæ execramur & detestamur,& mente & animo auersamur,nobis imponant ? auferat igitur deinceps *Bellarminus* has suas de Libertinis, & Adamitis, & huiusmodi hæreticis ineptas fabulationes, & si aliquam esse in nostra fide turpitudinem dixerit,verba confessionum nostrarum proferat,& argumentis confirmet. nam nisi acutius,& accuratius in accusatione sua deinceps disputarit: omnes nos æqui iudices ab hac calumnia liberabunt,eritque omnium iudicio doctrina nostra sancta quam acerrimus eius hostis nullius turpitudinis, aut labis conuincere potest.

1 Hebr.4. Est etiam doctrina nostra efficax. sermo enim Dei,quem nos pro fundamẽto habemus doctrinę nostrę,viuus est,& vsq; ad medullas, & intima cordis penetrat, & vt gladius anceps omnes & superstitiones, & prauas cordis affectiones amputat. quam primùm se euãgelij lux diffundere cœpit,& Iudæorum cæremoniæ,& Paganorum superstitiones cessarunt, nec tanta fuit vnquã hominũ pertinacia, quin maior fuerit diuini verbi ad hominũ frangẽdas in libidinẽ efferuescentes volũtates potentia. quod quidẽ etsi satis potentiam,& vim doctrinæ nostrę ostendat, (verbũ enim diuinũ vt æternum est,sic eiusdẽ est semper potentiæ,& virtutis)tamen idẽ etiam nostrorum

nostrorum temporum historiæ, & res gestæ clarissimè demonstrant. nam licet multiplici hæreseôn, & errorum pondere grauíque pontificum Romanorum tyrannide religio, & veritas patrum nostrorum temporibus aut obruta, aut oppressa fuisset, tamen quamprimùm lucis quasi ex tenebris emergentis aliquem radium homines conspicere cœpissent; incredibile est, quanta contentione & studio, imò quanto cum periculo, populi Christiani ingens multitudo ad eam confluxerit. In Germania vt primùm discussis pontificij dogmatis tenebris clarè lucere cœpit euangelij veritas, statim per amplissima terrarum spatia se diffudit. nobilissimas enim totius Germaniæ partes occupauit, nec ita multò pòst in vicinam Daniam, Heluetiam & Pomeraniam eius sonus transiuit. Posteà verò traiecto mari in Angliam, & Scotiam peruenit, nec licet acerbissimis pœnis deterreri potuerunt Galli, quominus multi ex illis euangelio crederent, multum quidem armorum metu, & pœnarum acerbitate vis repressa est veritatis; nunquam tamen ita opprimi potuit, quin in clarissimis Galliæ, & Belgij vrbibus clarè luxerit, & multa eius semina & in Hispania, & Italia iacta sint, fructúsque magnos ediderint. Cum itaq; tot támq; illustres nationes, & vrbes ab ecclesia Rom. discesserint, neq; aut legum aut armorum vi cohiberi potuerint quominus ad veritatem amplectendã accederent; quam aliam huius rei causam esse putatis, nisi incredibilem quandam doctrinæ ecclesiæ potentiam & efficaciam? propter huius doctrinæ defensionem multi in Anglia flammis absumpti, innumerabiles per Galliam, & Belgiũ trucidati sunt, & varijs casibus interierunt. multi è patria extorres exilium patriæ, egestatem opibus prætulerunt. atqui nisi fidei illis, & veritatis ratio antiquissima esset, nunquam illi tot incommoda & labores perferre potuissent. sed quid alia opus est ad nostræ doctrinæ efficaciam comprobandã ratione, quam aduersariorum confessione? nobis enim tacentibus aduersariorum gemitus & querelæ frustra illos laborare ostendunt, nec nisi armis & fraudibus occurrissent, tamdiu stare potuissent. si aliter sentiãt, missas faciant calumnias & mendacia, & armorũ amoueant terrorem, agántq; non fidiculis, boijs, & equuleis, sed argumẽtis: videbũt statim nihil esse Christi quam nos profitemur veritate potentius. cõparate nunc quas nos diximus pontificię doctrinę ineptias, fraudes, & turpitudinem, & quanta dimicatione suscepta est, & propagata, cum doctrinæ nostræ sanctitate, & virtute, multò nostra illustrior videbitur. ostendimus enim probari illis lupanaria, & scortationes, publicéque exerceri vsuras, nec quicquam esse Roma illa, aut ecclesia Romana quæ sancta vocatur, aut ipsis pontificibus Romanis qui sanctissimi dicuntur patres, impurius. Vt summi sunt magistri, ita discipulos moratos esse docuimus, multásque eius ecclesiæ

& in doctrina & moribus labes ante oculos vestros constituimus: adeò vt non alia ratione quàm primùm armorũ potentia, deinde perfidia, fraude, & crudelitate: & deniq; calumnijs & mendacijs nunc stare illa superstitio videatur, nos autem præterquam sermonis potentia, & causæ innocentia contra perfidiam, periuria, & crudelitatem nulla re depugnauimus: quod satis & religionis nostræ sanctitatem, & virtutem demonstrat.

CAP. 7.

In quo ostendit deliramenta esse potiùs quàm argumenta, quæ Bellarminus *& alij nostri aduersarij contra nostram ecclesiam à miraculis, prophetijs, confessione nostrorum hominum, & rebus prosperis, aut aduersis collegerunt.*



ECclesiam verè catholicam non posse ex miraculis, aut prophetia, aut hominum authoritate, aut denique ex rebus prosperis, aut aduersis demonstrari, satis nos antea diximus [1] libro superiore. adeò vt si vel vt puer bimulus saperet *Bellarminus*, frustrà se ex his rebus multa aduersus nostram ecclesiã collegisse argumenta intelligeret. imò tacitè ea in re confessus videtur, scripturas, & ecclesiæ veræ consensum contra se facere; séque honestè potiùs cessurum tempori, quàm aperta acie de re summa dimicaturum. nam vt qui arce regni deserta, ad extimos eius fines & loca difficilia se confert, non tam acie congressurus, quàm locorum opportunitate se defensurus videtur: sic qui doctrinæ contentione deserta, ad hæc à rebus externis subsidia confugit, pugnæ potiùs speciem, quàm veram pugnam editurus videtur. sed vt fuerit aliqua ex istis à *Bellarmino* collectis signis de vera ecclesia facienda coniectura, nihil tamen illa contra nos faciunt. nam nec miraculis, nec prophetijs destituta est ecclesia nostra, nec reliquis quidem ab ipso collectis signis. hæc enim quam profitemur fides, & prophetica & apostolica doctrina nititur: & primis ecclesiæ temporibus, multis confirmata est miraculis: doctrinámque hanc nobis tradiderunt, non quales in pontificio regno esse solent famelici vates, qui de re [2] culinæ suæ, & abdomine suillo, & caulibus vaticinati sunt, sed veri Dei prophetæ.

[1] Cap. 6. part. 1.

[2] ὡς κυὼν μαντεύεται ἄρτους. Theocrit. eidyll.

Nec obstat quod hæc miracula, & prophetiæ longè à nostris temporibus remotæ sunt, non enim aut miraculorum & prophetiarum tempore amissa est vis, nec qui vna coniunguntur fide, licet locis & temporibus disiungantur ex alia sunt ecclesia. nec sanè exspectandum est, vt singulis lustris, aut seculis nouæ edantur prophetiæ, & miracula. Vnum enim est

Ecclesiæ

Ecclesiæ fundamentum, & vna doctrina & fides, quæ varijs miraculis & prophetijs confirmata, non vlterius eget miraculorum & prophetiarum continuatis adminiculis. nam nec Ecclesia de nouo fundanda, nec quod semel positum est fundamentum continuò nouis adminiculis suffulciendum est. nec sanè, si quid hoc ad rem faceret, Deus destitit magnos viros in media Ecclesia nostra excitare, qui & futura prædixerunt, & miracula fecerunt. *extant*, inquit [1] *Sleidanus, in Lutheri libris multa passim vaticinia de rebus grauissimis, quorum nonnulla iam comprobauit euentus*, multæque narrantur prædictiones à [2] *Caluino* factæ, quæcunque *Iohannes Hussius* prædixit, ea [3] *Bohemi* suis temporibus singula euenisse confirmant, vatésque fuit [4] *Vesselus*, qui multa quæ iam acciderunt Pontificibus Romanis mala præuidit, optimus, multa denique gloriosissimi Ecclesiæ nostræ Martyres *Crannerus, Ridleius, Latimerus, Tindallus, Barnesius*, & Spiritu sancto illuminante, præuiderunt, & prædixerunt. multa etiam nostri digito Dei fecerunt miracula. nam & sanitatem ægris, & vires infirmis, & spes bonas desperatis precibus suis impetrarunt. sed nullum maius extat miraculum, quàm quod munitissima multis præsidijs Pontificia potestas ab [5] vno quodam, eóque non admodum magno viro valdè concussa, & multis in locis euersa sit, & quod nec eum vi armorum, nec veneno, aut perfidia Pontifices Romani impedire potuerunt, quo minùs ad senectutem perueniens placidè moreretur. nec sine miraculo quidem Serenissima nostra Regina ad instaurandam religionem reseruata, & è faucibus luporum crudelissimorum erepta fuit. plenæ quidem sunt huiusmodi miraculis Ecclesiæ nostræ historiæ, multóque fiunt quotidiè plura quæ pauci animaduertunt, & quia in miraculis nostrorum temporum non multum spei ponendum [6] multis allatis testimonijs ostendimus, nulli narrant.

[1] Lib.16.
[2] In vita Caluini.
[3] In histor. Bohemic.
[4] Catalog. test. veritat.
[5] Luthero.
[6] Lib.1. cap.6. part.1.

At dicent fortassè Pontificij, nullam hominibus nostris qui hæc narrant miracula, & prophetias fidem adhibendam. homines sanè lepidi qui legendis suis ineptissimis & fabulis *Indicis*, & scriptoribus omnium qui fuerunt, aut sunt, aut posteà erunt, mendacissimis credi postulent, & viris bonis & doctissimis fidem abrogent. sed si nec nostris credant, missas faciant ineptas suarum Legendarum, & *Bozij*, & *Bellarmini* stolidoloquas fabulas. nam licèt multa narrent miracula, & mirificas prædictiones, nos tamen ex illis omnibus nihil aliud nisi hoc credimus: nempè illa omnia magna esse & insulsa altè stertentium Monachorum somnia, & mendacia.

At multa, inquit *Bellarminus*, vestri prædixerunt, quæ tamen non euenerunt. quasi verò non multa etiam & dixerint, & prædixerint Pontifi-

cij, in quibus apertè falsi sunt. bellas sibi ipsis prædixerunt, vt audio, nuper Monachi & Prophetides in *Anglia* & *Belgio* victorias. *Hispani* tamen vbique cæsi,& classe amissa,fugati falsissimas esse illas prædictiones, experti sunt. præterea prædixit etiam [r] *Gregorius 7*,in Consistorio sedens, vbi minimè erraturos credunt Pontifices mortem Imperatoris, vatésque fuit ea in re falsus. multæque [s] *Ciaconis* extant ineptæ prædictiones de Pontificiorum vbere in *Anglia* præda, in quibus vt vates diaboli mendaci spiritu actus nihil verè prædixit. quod autem narrat de *Luthero* ille, *prædixisse illum si ei vita ad duos annos suppeteret, fore vt Pontifex Romanus & vniuersa missa pompa euanesceret*; nec vnquam videtur dixisse, nec si quid simile dixerit,multùm falsus esse videtur. maximas enim in Pontificia Ecclesia & nostra,& Patrum nostrorum ætate ruinas factas videmus, & ipsi Pontificij non sine maxima animi molestia sentiunt. sed qui scit ille *Lutherum* quæ narrat ille,prædixisse ? narrat,inquit ille *Cochleus*.quasi verò huic minimi pretij homini, & pro cochleæ testa periuro *Cochleo* fides vlla habenda sit. ne Pontifici quidem Romano de se testanti, non modò huic non vrbano,sed rustico scurræ credo.

[r] Beno Cardinal.

[s] In libro de signis crucis.

At,inquit,*certum est Anabaptistas multa falsa prædixisse*. quasi verò quòd *Turca*,& diaboli spiritu inter Pontificios multi exagitati falsa prædicant,illud ad nos pertineret, nos sanè & *Anabaptistarum* & *Turcarum* pariter execramur furores.

Pluribus præterea exemplis probare conatur *Bellarminus*, *nostros homines miracula facere tentantes spe excidisse. Lutherúmque è quadam sua discipula diabolum eijcere conantem,ab ipso grauiter multatum non sine periculo è loco aufugisse*. sed si rogem vnde illud sciat,nihil habet quod respondeat,nisi ex *Staphylo* quodam se illud accepisse. quo sanè homine nullus vnquam fuit magis erga *Lutherum* maleuolus, aut magis vanus, aut ridiculus scriptor, aut qui plura propter sua mendacia præmia tulit, quid ergo non audactèr mentiretur ? nam qui vera loquens, vt homo nullius pretij obscurè latuit, vt primùm mentiri cœpit ad honores maximos peruenit. sed vltio diuina non diu passa est illum iniquitatis pretio frui. nam morte infœlice post paucos menses miser à mendacij patre raptus & mentiendi, & viuendi finem fecit. in narratione sanè nihil est quod lectores probabilitate aliqua alliciat. nam apud nos haud scio an vnquam acciderit aliquos à diabolo possideri: nec si quid huiusmodi apud nos accidere videatur, solent nostri homines se diabolos eiecturos polliceri; nec cum fœminis alienis tanta est viris familiaritas, vt aliàs illas doceant, quàm publicè; nec denique verisimile videtur, *Lutherum* adeò imprudenter ad mulierem rabiosam accessurum, vt non satis sibi ab

illa

illa caueret, sed quid ego à circumstantijs quæ plerunque fingi possunt, hanc fabulam refutem; cùm auctoris leuitas, & insania pro omnibus argumentis sufficiat, eámque satis refellat?

Nec verisimilius est, *Cochleum de Neseno quodam, quem in Albi submersum, narrat, & licèt eum Lutherus in vitam reuocare conatus sit, nihil tamen profecisse,* quàm *Staphylum* de illa dæmoniaca verum dixisse. vtrique enim fratres gemelli sunt, ex eodem patre mendaciorum geniti. qui vnum nouit, vtrumuis norit. ingenio vtrique duro, & acerbo, ambo calumniatores, ambo veritatis hostes, ambo leuissimi sine mente, & cerebro scurræ. si fuisset *Cochleus* Apostata, esset idem alter *Staphylus*, aut saltem *Staphyli* gemellus frater. cur alterutri quisquam credat, ne *Bellarminus* quidem causam aliquam afferre potest. hanc enim de *Neseno* fabulam ne probabiliter quidem *Cochleus* finxisse, aut *Bellarminus* narrasse, videtur. *dicit enim iste Lutherum Nesenum in Albi submersum vanis immurmurationibus in vitam reuocare, tentasse.* sed nihil magis incredibile, aut à *Lutheri* prudentia, & grauitate alienum, quàm vt se hominem iam defunctum vitæ restituere posse speraret: nec certè carminibus aut murmurationibus vsum esse verisimile est. magicas enim illas susurrationes, & murmurationes magna verborum acerbitate in sacrificulis, & missis, & exorcismis Pontificijs persecutus est. nec quicquam mihi videtur verisimilius, quàm vt ex legenda quam auream vocant, & sacrificorum & huiusmodi impostorum more hæc vniuersa narratio ad *Lutheri* calumniam per bellam quandam imitationem, & monasticam *aliquam* traducta videatur. preces enim sacrificuli stolidi supra mortuos demurmurant, & se Pontificij mortuos multos in vitam reuocasse gloriantur, & ex istis miraculis pendent. *Dominicus,* inquit [1] *Antoninus, tres in vrbe Roma resuscitauit mortuos, 40 etiam peregrinos naui euersa submersos, postquam sub aqua diu stetissent, viuos & saluos eduxit.* sed valdè dubitat ille, vtrum in aqua isti, vt pisces conseruati sunt, an post mortem vitæ restituti. nos, vt nodum hunc soluamus, neutrum credimus. neque enim verisimile videtur, nec probabile. nam nec summus Pontifex, cuius maior dicitur esse potentia, vel vnum nunc fraterculum mortuum, licèt in bello pro causa sua ceciderit, vitæ restituere potest.

[1] Antonin. hist. p. 187.

Narrat etiam aliud mendacium *Bellarminus*, de tetro ex *Lutheri* corpore post mortem exhalante odore: quod licèt ad miraculorum hoc argumentum non pertineat: commodè tamen hoc loco, vt illius viri optimi memoriã homo teterrimus calũnia peruerteret, quod omni loco facit, positũ videtur. sed si illius tetri odoris, qui multos iam annos ex fœdis monasteriorũ moribus exhalauit, aut putei illius fœtidi vnde locustę *Iesuiticæ* ad

perdendas

perdendas Christianorum animas egressę sunt, meminisset. nunquam ille huius putidi mendacij de (nescio quo) fœtore, ex *Lutheri* corpore mentionem fecisset. fabulam prætereà affert *de quodam ministro, qui dum mortuum quendam excitare vellet, viuum pro mortuo supposuit, qui reuera mortuus est.* nec pudet eum quæ *Bolsecus* homo turpissimus de *Caluino* confinxit mendacia, in librum suum transtulisse, nempè vt ex multiplici mendaciorum instrumento librum suum consarcinasse videretur. adeò autem omnia narrantur ineptè, vt ex ipsius narrationis circumstantijs hæc mendacia deprehendantur. *Corpus Lutheri stanno inclusum propter odoris in media hieme fœditatem in via relictum dicit*, sed nec stanni tanta est in *Saxonia* copia, vt ad hunc vsum parari posset, nec ex stanno solent thecas pro mortuis facere; nec si in plumbo aut stanno corpus eius inclusum fuisset, potuit odor per plumbum penetrare & perspirare. nec ille media hieme, sed sub Februarij exitum mortuus est. hanc verò fabulam [1] *Sleidani* & multorum aliorum scriptorum testimonia refellunt. omnes enim vno ore consentiunt, eius corpus sepultum fuisse honorificè sequente funus vniuersa ciuitate *Wittembergica*, multis autem, lachrymis eius memoriam prætereà prosequentibus: adeò vt nec summi Pontifices tam splendido funere efferri soleant.

[1] Lib. 16.

Ministri autem eius quem, dum mortuum quendam excitare conaretur, illum reuera mortuum exhibuisse criminatur *Bellarminus*, nomen non extat. imò nullus erat fortassè huiusmodi. sed si fuerit minister huiusmodi aliquis, non ille nostræ erat Ecclesiæ, sed Satanæ minister. aliquis fortassè *Iesuita* erat, aut ex sacrificorum numero impostor. illis enim hominibus huiusmodi imposturæ familiares sunt, solentque *Iesuitæ* ex mortuorum excitatione gloriam aucupari, apud nostros huiusmodi ineptiæ ne tentantur quidem.

Stultissima verò est *Bolseci*, seu *Bellarmini* de *Caluino* & *Brulei* excitatione narratio. nam quòd magna amicorum caterua stipatus prodijsse dicitur *Caluinus* ad illius miraculi operationem, omnes falsum esse norunt. non enim erant tantæ *Caluini* facultates aut opes, vt posset. sed isti quasi de summo Pontifice ipsis sermo esset, ita illum satellitio stipatum prodijsse dicunt. prętereà pugnant hæc, *Caluinum* voluisse videri omnia illa quasi casu facta, & amicos illum tot ad visendum miraculum conuocasse. neque sanè verisimile est, si quid huiusmodi in tam seuera vrbe inter tot inimicos admisisset, pœnas eũ effugere potuisse. quis autem crediderit, si aliquam huiusmodi imposturam tentasset, vt inter tot ipsius & domi, & foris aduersarios nullus hoc Caluino in vniuersa vita obiecerit, aut putarit ante *Bolsecum*, qui multos annos posteà scripsit, nullum tanti sceleris, si quod huiusmodi

huiusmodi fuisset, rumorem emanaturum fuisse? vt insignem huius fabulatoris impudentiam cognoscatis, nec aliquis vnquam *Geneuæ* ita mortuus fuit *Bruleus*, nec quod scire potui, vel mortuus est *Geneuæ*, vel ad vrbem illam accessit. contra istos denique testes proponimus vulgatas exceptiones, quas nec pontificij [1] iuris interpretes legitimas esse negare possunt. dicimus enim homines esse leues, & inconstantes, & periurijs delibutos, & ab hostibus conductos, & ab eisdem subornatos, & nobis veritatíque inimicissimos, sine fide aut religione sycophantas, qui nisi scelere isto caput obstrinxissent, fame iampridem perijssent, quibúsq; de iure nulla fides adhibenda est. Mendacia autem ista & actis publicis, & hominum etiam viuorum memoria teste refutantur: merúmque olent monachismum. nam in legendis & monachorum fabulis multæ huiusmodi narrantur ineptiæ. Dominicum à missa redeuntē myrrham oluisse aiunt. Fratre verò [2] Iunipero contendunt nihil fuisse suauius. nam cum præ summa humilitate, vt est in legenda, in lecto aluum exonerasset, reliquias illas illius sancti iuniperum odoris suauitate superasse narrant. à nostris autem omnes huiusmodi fabulæ alienæ sunt. non enim ex miraculis ecclesiam sicut *Bellarminus* facit æstimamus. *si argumentum documentumq́; religionis* (inquit [3] *Iustinus Martyr*) *esset miraculorum editio, nunquam eos dominus quos improbabat, & qui indigni sunt ipsius contubernio & familia, dicturos pronuntiasset, domine, domine, non in nomine tuo, &c. quibus responsurus est, non noui vos.* nihil est itaque quòd miraculis, aut prophetijs contra nos pugnet *Bellarminus*.

Habemus etiam aduersariorum & contra seipsos, & pro nostra ecclesia testimonia. Veteris bibliorum interpretis infinitos esse errores confessi sunt *Isidorus Clarius*, *Valla*, & *Arias Montanus*, aliíque ex pontificijs viri doctissimi. pontificiæ Theologiæ [4] corruptelis nisi obuiam eundū indicasset *Gregorius decimus tertius*, nunquam ille ius canonicum corrigendum suscepisset. etiam in *Breuiario* multa *Pius Quintus* mutauit. multa enim erant & in iure Canonico, & breuiario quorum istos pudere cœpit. si igitur omnibus alijs fidem detrahunt: at certè summorum pontificum fides istis suspecta esse non debet. Theologiam scholasticam multo cœno oblitam esse nec ipsi negant pontificij. errores magistri sententiarum discipuli reprehenderunt. [5] *Iohannes de Seisello, Romanæ curiæ grauiter taxat iniustitiam, idémque & papatus perpetuitatem, & legendas, & leges de ingressu religionis reprehendit, & ordinem sancti Antonij prorsus tollendum censuit.* Canonum etiam quorundam iniquitatem non leuis author notauit [6] *Iacobus Petrus de Ferrarijs*. displicuerunt & [7] *Budæo* grauiter constitutiones pontificiæ. etiam in missam ipsam nonnullos abusus irrepsisse fate-

[1] De testibus, & attestat. per totum.

[2] In libr. conformitat.

[3] Iustin. Mart. libr. quæst.

[4] Præfat. in ius Canonic. à Gregorio 13. correctum.

[5] In apost. Petr. Iacob. de Montepessul. de statu cur. Rom. Rebuff. practic. cancell. p. 571.

[6] Practica.

[7] Annotat. in pandect.

[1] Controuers. de miss. priuat.
[2] Ad Leon. 10. in conc. l. Lateranens.
[3] Dialog. p. 115.
[4] In præfat. concil. Coloniens.

tur [1] *Pighius.* [2] Picus mirandula & cæremoniarum multitudinem minuendam & legendas resecandas, & preces quasdam Romanæ ecclesiæ corrigendas censuit. infinitam pontificis iurisdictionem ex æquo & bono corrigendam censuit & *Alanus Copus*, neque ea in re [3] vt in reliquis dialogis nugas egit. *tantamq́ luem* [4] *vniuersam ecclesiam fatetur inuasisse Hermannus Archiepiscopus Coloniensis*, ut multa ipse ex consilio quorundam episcoporum & cleri sui contra ecclesiæ Romanæ stilum communem correxerit. nullam differentiam [5] *Ludouicus viues* inter cultum imaginum à Christianis adhibitum, & idolorum venerationem à Paganis præstitam videre potuit. & sanè rectè æstimanti parum differre videntur. [6] *Catherinus* fatetur, *eos qui negant cultum imaginum argumentis, non futilibus moueri.*

[5] In lib. de ciuitat. Dei.
[6] Libell. de imaginibus.
[7] In lib. sapient. lect. 158.

[7] *Robertus Holcot* dicit planè idololatriam esse cultum imaginum. nec sanè difficilè est in singulis pontificiæ religionis capitibus aliquos proferre ex illa ecclesia viros non indoctos, qui nobiscum sentiunt. primatum & infinitam pontificis Romani ambitionem nemo ex nostris acrius taxauit quàm ipse *Bernardus.* multi etiam viri docti postquam pontificis aulam ingressi sunt, vt *Cato* olim theatrum cum peragaretur Floræ sacrum, statim pudore subacti egressi sunt. nihil enim illa videre potuerunt turpius. sed quid opus est alios contra pontificios ex media pontificia secta testes producere, cum [8] *Marcellus* secundus pontifex Rom. quem *Bellarminus* non posse errare credit, fateatur, *se non videre quomodo qui locum illum Papatus altissimum tenent* seruari possent. tantam ille vidit in ecclesiæ Romanæ fide & moribus labem. [9] *Rainerius* acerrimus quondam *Albigensium* qui in multis nobiscum rectè senserunt hostis, præclarum tamen de eorundem pietate, & probitate tulit testimonium. *eosdem coram hominibus iustè viuere, & bene omnia de Deo credere testatur* [10] *Orthuinus Gratius.* *Æneas* verò *Syluius* licet multum inuestigaret, plura tamen (vt ipse dicere solitus est) in *Bohemis* pietatis, quam hæreseôs reperit argumenta. *Wiclephi* pietatem Academia *Oxoniensis* licet præter pontificiam religionem nullam tunc temporis nosset, publico diplomate testificata est. De *Hussio* & episcopus [11] *Nazarenus* hæreticorum quæsitor, & *Conradus* Archiepiscopus *Pragensis* testimonium dixerunt, *non fuisse illum hæreticum.* multa quidem acerbè dixit ille contra pontificem Romanum: nullum tamen eius dictum contra fidem licet multum inuestigarent *Parisienses* reperire potuerunt. *Sigismundus* se propter hominis iniustissimam cædem *Bohemis* diligenter purgauit. animam agens *Latomus* non aliam ob causam se damnatum vociferatus est, quàm quod nostram religionem oppugnasset. quo nomine etiam cancellarius

[8] Onuphr. in vita Marcell. 2.
[9] In quodam inquisitor. libell.
[10] Fascic. rer. expetendar.
[11] Ex actis con. Iohan. Hus.

cellarius *Pratensis* qui in pijs persequendis cardinali *Lotharingo* strenuam operam nauauit voces emisit desperationis plenissimas, nostræq; religioni conscientia intus stimulante testimonium præbuit.

Sed quod ego aliud aduersariorum luculentius testimonium flagitem, quàm quod diligentissimè omnium nostrorum hominum scripta, & mores ipsi peruestigantes, nullam tamen in doctrina hæresim, nec in moribus crimen, aut scelus reperire potuerunt? hæreses enim omnes execramur, perfidiámque erga principes, & vagas libidines, omnémque morum impuritatem fugimus, & odio habemus, nec vel *Bellarminus* diligentia, vel *Roffens* & *Sanderus* perfidia quicquam profecerunt, aut vllum vel in religione vel moribus crimen probarunt. nam quæ *Staphylus* ille impudens Apostata, aut ineptissimus ille scurra *Coehleus*, aut sceleratissimus transfuga *Sanderus*, aut calumniatorum illa turba qui istis ducibus nobis maledicunt *Roffens*, *Stapletonus*, *Bozius*, *Alanus*, & vernacula lingua qui tam multa in nos effudit maledicta *Personius*, & reliqui huiusmodi latratores aduersus nos confinxerunt, nihil lectori præter authorum singularem quandam impudentiam, probarunt, cur non ergo missis leuissimorum istorum hominum ineptijs, & calumnijs testes proferunt viros graues, aut argumentis agunt? hoc nempè ostendit, si calumnias & mendacia auferas, *Bellarminum* quasi sine armis nudum destitutum nihil contra ecclesiam nostram afferre posse. sed hoc alio loco pluribus demonstraturi sumus.

Nunc autem, quod superest ex ijs quæ hoc loco probanda suscepimus, docebimus & in grauissimas incidisse calamitates, qui nostram religionem oppugnarunt, & perpetua vsos esse fœlicitate, qui eandem propugnarunt. non quod multum his argumentis ad ecclesiam veram demonstrandam confidendum censeamus, sed vt importuno & impuro huic monacho qui eisdem fretus nostræ ecclesiæ obloquitur, has ineptias, si modo illud fieri possit, eripiamus. dicemus igitur primùm de principibus, & viris strenuis qui manu nostram ecclesiam aut opppugnarunt, aut defenderunt, deinde de scriptoribus & doctoribus, quorum etiam ingenijs & laboribus nostra ecclesia, aut defensa est, aut oppugnata, neque sanè res longa disputatione eget. vniuersa enim hoc docet ecclesiæ historia. *Pharaonem* enim Deus vnà cum vniuerso exercitu, quo ecclesiam Dei in seruitutem retrahere instituerat in maris rubri transitu deleuit, in populo Israelitico & *Pharaone* & ecclesiæ, & eius hostium descriptam videmus imaginem. fugit ecclesia tyrannos, tyranni ecclesiam persequuntur: eos tamen tandem perdit Deus. perierunt etiam & qui Israelitas in deserto bello aggressi sunt *Amalecita*. Captique sunt *Sihon*

& *Og* in insidijs illis quas populo Dei posuerunt. diu oppresserat ecclesiam Dei *Sisara*, tandem tamen ipso interfecto populus Dei se in libertatem vindicauit. percussit Angelus Dei *Senacheribi* exercitum; pœnásque Deus ab *Antiocho* repetijt ecclesiæ suæ vexatæ iustissimas. qui primus Christianam religionem persecutus est *Nero* in ipso ætatis flore interfectus est, senatu populóque Romano in eius necem consentiente. nec passus est Deus tyrannos illos qui ad ecclesiæ interitum viribus suis & potentia vsi sunt diuturno imperio frui. *Diocletianus* abdicato imperio, priuatus aliquod tempus vixit, & posteà morte ignobili perijt. *Deciumque* & *Maximinum* sæuissimos ecclesiæ persecutores ob sanguinem innocentem fusum, Deus iusta ira sua persecutus est. etiam post Euangelij lucem oppressam, qui ecclesiæ instaurandæ authores persecuti sunt graues pœnas dederunt. exercitus ille ingens quem *Ludouici Gallorum* regis filius contra *Albigenses* & [1] *Comitem Tholosanum* duxit in obsidione *Tholosana* fame, peste, frigore & ferro deletus est. ipse verò rex cum bellum instaurasset, in obsidione *Auinionis* pestem oppetijt. *Sigismundus* Imperator pugnauit sæpiùs cum *Bohemis*, sed semper infœlicissimè. simili etiam clade, & alij qui pontificum Rom. auspicijs contra eos pugnarunt affecti sunt. qui autem primus post *Lutheri* tempora lucem exorientem Euangelij armis & sanguine opprimere conatus est *Carolus Quintus*, licèt in omni vita anteà fœlicissimus fuisset, nihil tamen post expeditionē *Germanicam* laude dignū gessit. in obsidione [2] *Diuoduri* exercitu amisso, non sine ignominia discedere coactus est. in *Africa* infœliciter pugnauit, classeq; magna ex parte amissa fuga celeri sibi salutem quæsiuit: è *Germania* virtute *Mauritij Saxonis* expulsus est. fructum autem victoriæ *Germanicæ* nullum tulit. post fugam è *Germania* in *Hispania* se abdens tantum dolorem ob superiores clades & calamitates cepit, vt non ita multò post abiectis imperij insignibus, mente amissa in monasterij gurgustiū quoddam correpserit; vbi etiam ingloriùs mortem obijt. grauis fuit & *Franciscus* primus *Gallorum* rex Christianorum aduersarius, nam duce *Minerio* multos ille pios viros trucidari passus est. sed multò ille grauiorem in se sensit Christum aduersarium, infœlicissimè enim cum *Caroli quinti* copijs pugnans captus est. idem amissa Insubria, & agro omni quem in *Italia* armis acquisiuerat, in *Galliam* redire coactus est: rex infœlix autem post datam à bellis respirationem mortuus est. *Henrico* secundo *Gallorum* regi postquam pios persequi cœpisset nihil successit. odio tandem in nostros elatus, quum oculos se suos satiaturum morte *Antonij Burgensis* vouisset, accepto in oculo vulnere ante *Martyrium Burgensis* ipse morte suis omnibus luctuosa sublatus est: documentóque fuit quanto

[1] Matthias Parisiens.

[2] Mets.

tyranni

tyranni periculo aduersus Christum, qui sol est iustitiæ, tenebras regni Pontificij propugnant. immatura etiam morte perijt filius eius primogenitus *Franciscus*, qui quod ad piorum gemitus obsurdesceret, ex auris apostemate mortuus est: fœlicior fortasse futurus nisi sæuis *Guisiæ* familiæ consilijs paruisset. Huic qui successit in regno & erga veritatem odio *Carolus 9*, cuius fraudulentia, & perfidia horrenda & infamis illa piorum per *Galliam* facta est strages, cuiúsque sub infœlici regno tantùm fusum est Christiani sanguinis, ex sanguinis vndique erumpentis fluxu mortem obijt sanguinariæ suæ crudelitati consentaneam. similiter mortem oppetierunt crudelitatis regiæ ministri violentam. *Henricus* tertius *Gallorum* rex quo duce, cædes illa piorum *Lutetiæ* miseranda administrata est, dum *Lutetiam* obsideret à nefario quodam Monacho confossus est, prout ipse multos pios viros confodi iusserat. Quíque multos fideles trucidauerat *Henricus Guisius*, ipse etiam rege mandante trucidatus sanguine suo iustas persoluit pro tot ab ipso cædibus administratis pœnas. Eodem etiam mortis genere extinctus est eius frater Cardinalis, qui prauis consilijs multis pijs exitium attulerat. Eorundem verò pater dum pios *Aureliæ* obsideret, ijsque insidias strueret, ipse insidijs *Poltrotij* exceptus in foueam incidit, quam alijs parauerat. Sed quid nos externa vlteriùs quæramus, cum domi tot exemplis abundemus? *Maria Anglorum* regina mulier fuit in omni vita nullo sanè alio nomine quàm ob odium erga veram religionem infœlicissima. Patri fuit inuisa, ciuibus ingrata, hostibus despecta & contempta. paucos annos imperauit, in illo tamen exiguo tempore agri quòd nobis reliquum erat in *Gallia*, vnà cum *Caleti* vrbe munitissima, quę non sine summo labore & post annuam obsidionem expugnari potuit, amisit. Habuit quidem maritum, sed illo frui non licuit. nullos certè ex illo suscepit liberos. discessu autem eius, & rebus aduersis in ægritudinem primò, & mox in morbum incidit: quo non ita multò post confecta est.

Multò autem grauior fuit *Mariæ Scotorum* Reginæ casus. cuius nec sine fletu *Rossius* meminisse potest. multa ipsa in hospitam, multa in religionem molita est. sed incidit in plagas quas viris innocentibus dolosa mulier tetenderat. *Northumbriæ* & *Westmerlandiæ* comites qui aduersus Reginam exercitu comparato arma tulerunt fusis tumultarijs copijs turpiter fugere coacti sunt. è quibus ille paulò post retractus è fuga securi percussus est: hic per mundum oberrans homo sine re & spe, suis miserandus, ignotis ridiculus, omnibus contemptus miserè vitam ad miseriam, & senectutem morbis varijs & egestate obsitam producit. *Desmondius* comes ob patriæ, & religioni bellum indictum in grauissimas calamitates incidit. domo enim propter regiorum militum metum profugiens cum armis non

 possct,

possét, locorum opportunitate salutem suam texit. in syluis igitur & montibus oberrans & latens, cum frigore, & fame multos ex suis amisisset, multáque ipse passus esset, à quodam ex suis obtruncatus est, familiamque illustrem mala secutus *Sanderi* consilia euertit.

Similiter & infœliciter vixerunt & obierunt hostes Christi, & nostræ Ecclesiæ infestissimi Pontifices Romani, quique eorum partes sequuti manu, & lingua aduersus nos bella gesserunt scurræ impudentissimi, hominesque profligati. Qui primus armis nos persecutus est, & sanguinarium inquisitionis tribunal contra *Mauros* primùm institutum postea aduersus Christianos conuertit, *Paulus Tertius* infœlicissimus fuit. domi omnibus exosus, foris infœlix: vnico quem vnicè amauit amisso filio notho propter doloris magnitudinem impatiens in morbum incidit. [1] *Natalis* comes ex ira illum turbulentissima in febrim incidisse memorat. non enim adeo fuit sanctus, vt iræ moderari posset. sed siue ex ira, siue ex dolore in morbum inciderit: corpus ipsius libidinibus & curis exhaustum diutius morbo resistere non potuit. Nam post paucos dies cum has furibundas voces, [2] *peccatum meum contra me semper*, emisisset, mortuus est. populus Romanus ipsius odio inquisitionis [3] carcerem euertit. qui Pontificium iugum à nobis reiectum iterum imposuit *Iulius Tertius* scelus illud viri, hominúmque qui vnquam fuerunt sceleratissimus, vindicem tandem Dei iram ob tanta scelera sensit. Nam ex edacitate & turpiore intemperantia contracto morbo decubuit, & non sine suspicione dati veneni à voluptatibus, quibus per omnem vitam deditissimus erat abstractus, si *Pasquillus* vera cecinit, ad inferos descendit. Nec sanè fœlix dici potuit *Pius Quintus*, qui maximis fractus animi & corporis doloribus, quorũ nullam sensit alleuationem extinctus dicitur. Neque quicquam ei profuit *aut* [4] *lac quod bibit asininum*, aut alia medicorũ cura. hunc enim lupum vbera sugentem asinina propter multas Christi laceratas oues Christus summus Ecclesiæ pastor, etiam in hoc mundo perdere voluit. sed quid nos alia quæramus infœlicitatis Pontificiæ argumenta, quàm quod tot nuper summi Põtifices exiguo temporis interuallo perierint? vno enim quadriennio *Sixtus 5*, quique ei successerunt tres alij Põtifices extincti sunt. *Hispani* illos ad Papatus euehunt fastigium, detrahunt *Itali*; euehuntur, & detrahuntur pro hominum quorundam arbitrio miseri Pontifices. Sunt igitur qui tot casibus subiecti sunt, & qui aduersus Deum pugnant miseri. Si mihi non credit *Bellarminus*, audiat saltem summũ Pontificem hæc eadem dicentem. *Romano Pontifice* ([5] inquit *Marcellus 2*,) *nemo est miserabilior, conditione eius nulla miserior, totius eius vitæ lætitia, & fœlicitas, amaritudo est: Cathedra Romani Pontificis est spinosa*. Si cathedram illam cathedram esse pestilẽtię dixisset, nihil huic

[1] Natal. histor. lib. 4.

[2] Ibidem.

[3] Onuphr. in eius vita.

[4] Girolam. Caten. in vita Pij Quint.

[5] Onuphr. in Marcell. 2.

huic negotio cogitari potuit accommodatius. De *Stephani Gardineri*, & aliorum episcoporũ *Marianorum* misero exitu jam diximus. cum ijs cõiungendus est in pari causa *Polus* Cardinalis. Legati enim honore ab ingrato Pontifice exutus, & morte *Mariæ* res desperatas gemens mortem sibi cõsciuisse dicitur. Adeo certè opportunè accidit, vt aut vna cũ *Maria* vt missam illi in Purgatorio cantillaret mortuus sit, aut quia quæ consecuta sunt videre noluit, mortem sibi accelerârit. iustitia vindice vt patriæ proditor *Storeus* in patibulo Tiburnẽsi situs est: ibi etiã & multi eius maiores, & discipuli condi meruerunt. putruit in carcere *Bonerus*. alij religionis per *Mariana* tempora persecutores extorres acti in externo solo egestate & dolore macerati mortui sunt. *Alanus* tantùm ex omni numero qui fugerunt habet vnde caules & cepas emat. reliqui aut iam mortui sunt, aut paupertate graui conflictantur. *Sanderus* hostis ille patriæ teterrimus, partim vulneribus, partim fame, partim rabie mortuus est in locis *Hiberniæ* desertis miserrimè. & sanè merito. nam vt canis reges allatrârat, & vt miles arma aduersus principem tulerat. Cum ipso etiam qui vnà profectus est *Alanus* à militibus nostris in cœno hærens deprehensus cæsus est. vitam enim lutulentam egerat, & pro cœno Pontificio strenuè depugnârat. De misero *Latomi*, *Guarlaci*, *Iohannis de Roma*, *Crescentij*, *Cancellarij Pratensis*, aliorúmque Ecclesiæ nostræ hostium misero exitu iam diximus satis. Cardinalis ille *Scotus* qui nonnullos è nostris viuos comburendos curauerat, domi suæ confossus iustas illis persoluit pœnas. qui autem regi *Gallorum* primus author erat iudices quosdam quæsitores constituendi, qui pios cremarent, archiepiscopus *Turonensis Ponchetus*, is febri ardentissima correptus tanto calore exarsit, vt exteriora illi membra putrescerent: nec membris articulatim dissectis sedari potuit calor ille ingens, qui vstorem istum combussit. ita tandem calore perijt, qui igne alios cremarat. In ipso ætatis flore extinctus est *Iohannes Austriacus*, qui si vixisset, nobis erat bellum propter religionem illaturus. Qui autem ante ipsum *Belgio* præfuit *Albanus* rebus turbatis discessit, successoríque multas reliquit molestias, in patriam inglorius reuersus, suis & omnibus exosus mortuus est. Quod præmium tulerit *Parmensis* propter insignem *Hispanis* aduersus pios nauatam operam omnes norunt, eum aiunt nunc nuper non sine suspicione veneni mortuũ. caueant igitur qui aduersus Christũ bella nũc gerunt tyrãni, ne quemadmodũ facta istorũ imitantur, sic etiam in pares incidant calamitates. Qui autem religionẽ nostram propugnârunt insignes illi de inimicis suis reportarunt victorias, & triumphos. collatis cũ Põtificis copijs signis *Zizca Bohemus* illustres aliquot fusis, & cęsis hostibus adeptus est victorias. aduersus *Gallorũ* regis florẽtissimas opes *Raimundus* comes *Tholosanus* ab omnibus propè humanis

* Histor. Eccl. Scotic.
* *Histoires de nostre temps.*

humanis consilijs,& auxilijs destitutus multos annos inuictus stetit. *Turcas* à *Vienna* importato præsidio fœlicissimè reiecit comes *Palatinus*. *Carolum Quintum* quem vt *Germaniæ* domitorem *Hispani* laudibus efferunt, *Mauritius Saxo* ex *Germania* expulit. Nec aliam ob causam fœlicem habuit *Henricus Octauus* bellorum exitum, quàm quod euerso Pontificis apud nos iniustissimo dominatu, eius quæ sequutæ est instaurationis Ecclesiæ fundamenta posuit. hostes fudit, vrbes eorum cepit, eius vt plurimùm arbitrio pax inter illus temporis principes facta est. qui Euangelij veritatem amplexi sunt *Hollandij*, & *Zelandij* Mediterraneis populis qui sub Pontificis viuunt iugo, ad summam egestatem redactis, florent opibus. Nulla per vniuersam *Galliam* vrbs, aut opulentior, aut propter rerum maritimarum vsum clarior est *Rupella*. ciues tamen *Rupellenses* has opes suas diuinę benignitati, quòd vrbem suam tanquam asylum hominibus pijs aperuissent, acceptas ferunt. multis illa vrbs insidijs petita sæpiùs etiam obsessa, & oppugnata, nunquam tamen vinci potuit. Sed quid ego externa, aut superiorum temporum exempla quæram, cum fœlicitatis quæ nostræ religionis defensoribus obtigit, præstò sint duo clarissima exempla *Elizabetha Angliæ* Regina pacis bonis cumulatissima, & *Henricus 4, Gallorum* Rex belli artibus florentissimus? nam è luporum faucibus erepta, & è carcere ad regium solium euecta *Elizabetha* annos triginta quatuor iam fœlicissimè regnauit, subditos collocupletauit, regnum auxit, *Hispanica* classis minas illas ingentes fregit, inuictámque illam classem Diuina ope adiuta facilè vicit; socios comiter adiuuit, miseros fideles è patria sua eiectos & extorres in regnum recepit, Ecclesias Christi hæc vna plus quàm alij omnes à tyrannide Antichristi vindicauit, hostiúmque submissis subsidijs impetum variè fregit; ciues rebelles deuicit, coniuratorúmq; consilia diuino auxilio freta detexit. Eius igitur potentiam & vires hostes metuunt, ciues summam beneficentiam amant, fœlicitatem omnes mirantur. nam nec in annalium omnium memoria aliquod aliud huiusmodi exemplũ reperiri potest. quis igitur non hanc Dei summam clementiam, & benignitatem prædicet? aut alio nomine hæc in eam collata bona, quàm propter veritatis susceptam perpetuam defensionem putet?

Henricus autem *Gallorum* rex licet propter hominum perfidiam iure suo frui non possit, exiguásque opes, & vires habeat; ab hoste tamen opulentissimo, & potentissimo vinci non potuit. imò aperta sæpe acie hostes vicit, & nisi ipsius clementia nimia ipsi obstitisset, fortasse debellasset, aduersus Pontificis odium, & *Hispani* opes idem nunc inuicto animo depugnat.

Similiter qui Pontificias verbo veritatis à Christi Ecclesia discusserunt

tenebras

tenbras *Lutherus, Caluinus, Bucerus, Oecolampadius, Martyr, Melancthon*, aliíque Ecclesiarum nostratum clari & illustres viri, & vitam egerunt satis beatam, & placidè mortui sunt. Multas quidem *Lutherus* pro veritate sustinuit dimicationes, ea autem semper fortuna, vt qui semel eius vires & lacertos expertus esset, non adeò libenter aleam pugnæ iterum subire vellet. Principes illum summo amore complexi sunt; viri docti illum amarunt; hostes veritatis grauiter vltus est; ciuibus autem ita charus fuit, vt sæpiùs pro eo capita sua discrimini offerrent. Cum amicis coniunctissimè vixit; in munere obeundo ita diligenter versatus est, vt exiguo sibi tempore ad corpus curandum sumpto semper ferè aut scriberet, aut doceret, aut suis aliquid vtile & salutare præciperet. tandem verò cum iam ætate grandis esset, nec laboribus corpus sufficeret, postquàm perpetua fœlicitate vsus esset morbum contraxit, ex quo postquam aliquot dies decubuisset, multáque grauiter suis præcepisset, & amicos monuisset, & sapienter etiam elocutus esset, nec eo omni tempore de vlla re magis, quàm de veritatis causa & gloria diuina cogitasset, aut locutus esset, [1] *animam tandem piam post ardentissimas & pijssimas preces* in manus creatoris reddidit, & in Domino obdormiuit. Corpus eius iussu principis electoris *Wittenbergam* delatum honorificè conditum est. quæ partim grauissimorum authorum historijs & scriptis, partim viuorum memoria & testimonio confirmantur. ex quibus etiam constat mendacia esse quæ dixit *Bellarminus, illum & repentina morte sublatum, & ex crapula postquam non sine risu, & iocis cœnasset, mortuum esse.* Sed quòd ita plerumque mori soliti sunt summi Pontifices, credidit scriptori omnium ineptissimo Cochleo huius fabulæ authori. *Leo* decimus ex crapula, *Pius 4* ex alia turpiore voluptate mortuus est. [2] *Iulius Tertius* carne suilla & caulibus replens stomachum ex edacitate diruptus est: solebátque ille crebro iocari. *Alexanderque Sextus* in morte quorundam nobilium virorum quos filius insidijs ceperat, & necauerat, profusè risit. De *Luthero* autem nihil istorum ne probabiliter quidem fingi potuit. erat enim ad grauitatem magis, quàm ad iocos natura factus. neque præterea nasci solet illis qui morbi doloribus summis franguntur iocandi libido, neque verisimile videtur, qui ex pectore doleret, opiparis cœnis operam daturum. denique nihil minus probabile, quàm qui grauissimis doloribus multos dies torqueretur, eum aut voluptatibus se oblectasse, aut repentina morte occubuisse. solent enim huiusmodi dolores mortis esse prænuntij. Sed adeo Monachis istis suauis res videtur opipara cœna, vt etiam animam agentes cœnent opiparè, alióśque ex moribus suis metiantur. moríque solent etiam ipsi repentinè. Nam aut vi & veneno, aut vt lepidos decet conuiuas in mensa distenti moriuntur.

[1] Sleidan. lib. 16.

[2] Onuphr. in eius vita.

Cur *Bellarmino* qui post tot annos putida hæc refinxit mendacia, aut Cochleo, qui æquè quæ in *Anglia*, quàm quæ in *Saxonia* gerebantur scire potuit, fides adhibeatur, licet cupidè mentiantur, nullam tamen probabilem rationem Pontificij dicere possunt. testes enim sunt falsiloqui, & homines leuissimi, quos iam antea sæpe mentitos esse deprehendimus: mendaciáque illa grauissimorum hominum testimonijs refutantur.

Caluinum verò vt in omni vita, sic in morte nullus est qui, si verè existimare voluerit, non beatum dixerit. eum enim ciues sui & reuerebantur, & amabant: exteri propter maximos in Ecclesia Dei instauranda susceptos labores summo in honore habuerunt. nec quicquam ei defuit, quod in illa ciuitate qui amplissimi essent habere consuessent. post vitæ autem peractum cursum ita placidè mortuus est, vt sopore potiùs oppressum, quàm mortuum præsentes putarent; cum antè mortem nihil nisi piè, & grauiter vsque ad extremum spiritum loqueretur. Hoc autem testantur non tantum amici qui in morte hominis præsentes erant, sed vniuersa ferè ciuitas *Geneuensis*, ciuésque plurimi qui vt viuum amabant plurimùm, sic morientem videre, & extremùm illi valedicere cupiebant. Eadémque, quæ nos diximus dicent multi qui intererant testes iurati viri graues, & quantiuis pretij.

Contra quos nisi offa moneret, & venter has suasisset calumnias, nunquam sanè *Bolsecus* contendisset, homo nullius pretij, nec tam medicus quàm mendicus, imò & homo mendacissimus qui his mendacijs stipem ab Episcopo *Lugdunensi* emendicabat, cui nullus vnquàm sanus fidem habendam censebit. Nam & inimicitijs incitatus in *Geneuenses* publicè, & priuatim in *Caluinum* plura maledicta euomuit: & quò studiosiùs illud faceret, ab inimicis conductus est homo leuis, & infamis, & stolidus.

Neque enim ita multùm sapiebat, vt probabilia fingeret. narrat enim quæ non vidit, narrátque post mortem *Caluini* quæ ante multos annos gesta finguntur, neque tamen ab vllo vnquàm antea audita sunt; neque alia in scena hanc fabulam egit quàm *Lugduni* apud religionis & piorum capitales hostes: fingítque eum blasphemias effudisse, quo authore ciuitas illa pœnam irrogauit blasphemijs capitalem. Multò igitur potiùs *Pasquillo* credendum est quàm *Bolseco*. ille enim multa sæpè de blasphemijs, & impietatibus & sceleribus Pontificum vera narrare solet: hic licèt non adeo ingeniosè, studiosè tamen mendacia finxit, nec quicquam magis veritus est, quàm veritatem.

Bellarminum igitur ego nisi quid aliud docere possit, quàm quæ mentitus

citus est *Bolsecus*, vnà cum teste suo sibillis potiùs eijciendum, quàm longa disputatione refellendum censeo. Nec sanè verisimile est, qui toties de nostris mentitus est, Cochleum de *Oecolampadio* vera dicturum. omnes enim nostros stolidus scurra pari odi prosecutus est.

Hunc igitur narat ille, *quum sanus vesperi decubuisset, repertum esse mane mortuum*. Narrátque solus. est enim testis singularis, contra quem viri grauissimi testimonium dixerunt. nam mendacium hoc vniuersa ciuitas *Basileensis* refellit. cum igitur nec Pontificis credamus instrumentis, nec annulo piscatoris, nonne hic Monachus insulsus & indoctus, fuit qui testi periuro, qui multos læsit suo testimonio, quiq; non tam testimonium edidit, quàm libellum famosum, credi postulat? De *Oecolampadio* autem testatur ciuitas vniuersa *Basileensis*, quíque illum optimè norunt, virum fuisse doctum, & pium, & in munere obeundo impigrum, eúmque & aliquot dies ægrotasse, & post piè fusas preces astantibus amicis multis placidè defunctum esse. Quod de *Bellarmino* futurum, nisi à mendacijs istis abstinuerit, non facilè credo. maleficia enim huiusmodi persequi solet grauis pœna.

Zuinglius autem postquàm boni Episcopi officio aliquot annos strenuè functus esset, omnibúsque quasi signum aliquod pietatis, & probitatis diu prætulisset, pro patria pugnans gloriosè mortuus est. in vita ciuibus maximè charus erat: moriens autem triste post se reliquit pietatis suæ, & eruditionis desiderium. Huius tamen mortem mortuíque memoriam bustuarius hic canis, qui laruas allatrare solet, insectatur. Planeq; ostendit, licèt lingua & impudentia fretus multa in nos ingesserit maledicta, se ex illorum numero esse, qui fugere potiùs quàm pugnantes pro patria occumbere constituerunt. Imò ad eum iam impudentiæ, & sceleris gradum peruenerunt Pontificij, vt multi contra patriam, & reges legitimos pugnantes moriantur; pro patria nulli. Sed quid habet impudens hic canis cur tanti viri memoriam allatret? *videtur, inquit ille, infœliciter mortuus esse*. Sed omnibus rectè existimantibus sanè gloriosè. Neque enim quicquam gloriosius quàm pro patria cadere. sed si hoc ipsi infame videtur pugnantem pro patria in acie mori, quomodo ille suos purgabit pseudomartyres qui propter sceleratas in patriam molitiones, & proditiones in patibulis mortui sunt? Quomodo suum *Rossemm* & omnes illos Monachos & sacrificos qui contra Canones Pontificios militant, & neglectis legibus diuinis & humanis contra principes legitimos pugnant, excusabit? desinat itaque viri fortis, & pij Monachus hic ignauus aut officium hoc necessarium, aut mortis genus vituperare.

Nam vt officium coluit diligentissimè, ita officio pertractus cum ciuibus in aciem, mortuus est pugnans fortissimè. fuitque & ciuis fortis, & vir bonus, & magno cum ciues etiam mortuum honore prosecuti sunt.

Erat etiam *Bucerus* vir per omnem vitam pius & probus, non tantùm laboriosus,& doctus. hoc autem nullus omnium meliùs scire nobis potest. nam apud nos vixit, & animam Deo reddidit. verè beatus qui & bonis omnibus charus erat, & ad Patrem cœlestem vt æterna cum eo frueretur beatudine profectus est. pietatis autem & probitatis eius publicè pro concione testimonium reddidit locupletissimum vir illis temporibus illustris & magnus *Redmannus*; summæ eius patientiæ per tempus morbi omnes qui interfuerunt testes sunt. Iidem etiam eiusdem pietatis quæ tunc temporis maximè enituit testes sunt.

Contra tot hominum fide dignorum, & grauissimorum testimonia,si cuiúsquam vnquam rei illos puduisset, sat scio Pontificios istos homines, nec graues,nec fide dignos,sed leues,& insulsos,& ineptos,& qui præsētes non erant puderet obgannire. sed frontem perfricuerunt. ergo quæ summa cogitare potuerunt scelera,ea de pijssimo viro narrant, dicúntque eum abnegata Christiana religione ad *Iudæos* transijsse, à quorum scelerata sententia semper alienus erat. sed vt de Pontificibus Romanis credibile sit abnegato Christo non ad *Iudaismum* tantùm, sed ad diabolum transijsse, de tam pio tamen viro hoc prorsus incredibile est. nunquam certè licet oblatrando insanire instituerint impudentes isti & odiosi molossi, labem aliquam aut *Buceri*, aut reliquorum apud nos piorum virorum famæ aspergent.

De *Carolostadio* autem quo genere mortis perierit, non multùm scire laboramus. nam quicquid ipsi acciderit, nihil hoc ad nos pertinet, à quibus discedens, varias hæreses effutiuit. cur autem credam *Bellarmino*, aut de hoc aut alio quoquam, nisi alias rationes attulerit, nihil video. ex nostris sanè nullus est cuius singularis in instauranda Dei Ecclesia enituit industria, cuius non meritò prædicanda est fœlicitas. si quæ igitur ex rebus prosperis aut aduersis duci possit ad Ecclesiam cognoscendam coniectura, ea sanè non dubitamus nos Pontificijs esse, sicut in rebus etiam cæteris, superiores. Multi ex nostris doctoribus glorioso coronati sunt Martyrio, reliqui vitam à turbis forensibus egerunt remotam, & in officij cursu consenescentes placidè tandem mortui sunt. Principes qui authores religionis instaurandæ primi sequuti sunt, in hac vita bonis externis cumulatissimi fuerunt, post hanc vitam ad æterna gaudia profecti sunt. qui autem contra veritatem pugnarunt, vt Deum in omni vita sibi

aduersum

aduersum senserunt, sic morientes ad illud quod in poculo iræ Dei reliquum est hauriendum profecti sunt, homines sanè miserrimi, & vitæ, & mortis modo infœlices, sed post futuram hanc vitam, nisi ipsos pœnitentiæ gratiam dederit Deus, futuri longè infœlicissimi.

CAP. VIII.

Vbi ostenditur nostra Ecclesia homines pontificijs longè meliùs esse moratos, crebraq́, & variæ Sanderi, Bellarmini, Rossei, Verstegani, Alani, aliorúmque huiusmodi conuitiatorum, & latratorum contra principes & alios illustres apud nos viros calumniæ, & mendacissimæ accusationes refelluntur.

HActenus de Catholicæ ecclesiæ signis, quæ ad fidem spectant, dictum sit. nunc restat, vt de Signis ijs disseramus, quæ pertinent ad externos mores. argumentis enim pontificij cùm à fide, tum à moribus nostris ductis, multisq́; etiam à rebus externis petitis coniecturis, omnibusq́; machinis nos non esse orthodoxam, & catholicam Christi ecclesiam contendunt. Hoc autem loco à moribus nostris ducunt argumenta. Argumenta (inquam) propter summam & portentosam authorũ impudentiam stupenda. quis enim, qui ista videbit, non vt portentum mirabitur, homines religionis expertes, ventrisq́; & veneris seruos, & mancipia, ganeones turpissimos, patriæ euersores & incendiarios, atque (vt vno verbo absoluam) ex Epicuri & Catilinæ scholâ homines impurissimos hoc nomine alios accusare? quis ferre potest *Rosseum* & *Bozium*, aliosq́; similes impuros scurras, & seditionis ministros, de castitate & obedientia, & morum probitate declamantes? num Gracchos & Catilinas de subditorum erga principes officio, Epicurum de temperantia, istas ecclesiæ & Rerumpub. pestes de ecclesiæ catholicæ & Reipub. moribus audietis? nihil sanè hac vniuersa istorum contra nos instituta actione impudentius aut ineptius. nec vnquam (credo) vel verbum de hac re fecissent, nisi hominum imperitorum credulitati nimium confidissent. apud suos declamant, qui omnia credunt: absentibus crimina imponunt, qui nihil respondent. omnes nostras defensiones, imò & libros nostros maximis propositis pœnis prohibent. ne deprehendi possint suæ calumniæ, cauent ne veritas ad suos per libros nostros perueniat. at perueniet tandem, omnesq́; istorum aduersus veritatem machinationes perrumpet, nam nullo fundamento nixæ ex meris calumnijs substructæ sunt. neque enim vllum vnquam aut in vitâ aut moribus turpitudinem, quam toties nobis incul-

 cant,

cant, probabunt. nulla sunt apud nos publica Lupanaria, hæc Rom. religionis sunt ornamenta. mores *Massylienses* & *Cinædicos* detestamur: isti diligenter colunt. apud nos magistratus abominanda ista flagitia maximis coërcent pœnis. ijdem stupra & adulteria magna legum acerbitate persequuntur; quæ isti aut non curant, aut vna dispensatiuncula condonant. imò ex lupanaribus & vsuris sub nomine montium pietatis magna vectigalia habent. nulli apud nos licet aliena rapere, nec in alienas possessiones invadere. hoc non tantùm apud istos licet, sed summo honori est, maximè enim laudantur, qui pontificis hostes vlciscuntur; eorúmque fines latissimè igne & ferro vastant. nec vllo alio iure *Hispanus* regnum Nauarrenum, aut Siculum possidet. nec præter pontificis donationem vllum in Indijs ius prætendit. nullos nos sicarios ad hostes nostros trucidandos emittimus, nec conducimus, nec probamus. hæc omnia pontificiorum aut propria sunt, aut cum barbaris & sæuissimis tyrannis communia. veneficia diligenter inuestigamus: maleficij huius conuictos supplicio afficimus. isti veneficijs *Ioannam Nauarrenam*, principem *Condensem*, *Saxonem*, & *Lantgrauium*, multósque nuper illustres & bonos viros; imò & se inuicem tollere solent. non solemus nos indemnatos trucidare, nec ad infantulos innocentes patrum apud nos noxiorum extendimus pœnam. isti hostes non iudicio, sed latrocinio tollunt, vnáque infantulos & senes: virósque inermes æquè, ac armatos, imò innoxios trucidant, frustatímq; more barbaro conscindunt. fidem nos datam seruandam docemus; isti perfidiam docent: nos fidem sanctissimè colimus, illi turpissimè violant. nam, præterquam suis, nulli (imo vix suis) fidem seruant. nam si seruassent, *Philippo Hispano* patriam perduelles *Galli* prodidissent, sicut sæpius promiserant, & iurauerant. non agimus nostram causam mendacijs, nec nitimur calumnijs aut conuitijs: isti in omnes passim debacchari solent. eæque artes & maximæ vulgatæ, & quæstuosæ apud istos esse solent. nihil apud istos blasphemijs familiarius: apud nos nihil odiosius. nusquàm plura, quàm apud istos, reperiuntur auaritiæ, & *Persici* fastus exempla. apud nos nihil huiusmodi. nolo reliqua persequi. hoc tantùm dixisse sufficiat; *Romam, vt olim superstitionis; sic nunc sceleris & flagitij esse Epitomen, omniúmque malorum sentinam.* cuius vrbis si quæ apud nos similis esset; non negarem illam dignissimam esse, quæ cum vrbe Rom. Sodomorum instar incendio conflagraret. Libertinorum & Anabaptistarum spurcitiem animo auersamur. isti licet verbo simulent se odisse, vitâ tamen Sybaritarum, & Libertinorum referunt mores.

Audacter igitur concludo; licet non omnes ita sunt apud nos morati, vt volumus; multíque sint vt in magno populo aut apertè scelerati, aut

qui nequitiam & scelera sua externâ pietatis laruâ tegunt, bonáque ecclesiæ sacrilegio aperto rapiunt : vulgò tamen nostros pontificijs meliùs esse moratos : immò, nec ipsos summos excipimus pontifices, nec cardinales, nec monachorum insulsorum greges. istis enim omnibus nostri multò sunt magis fideles, pij, modesti, pudici, erga magistratus morigeri. nec, si ista legerint & nostros mores probè cognouerint, repugnabunt pontificij. quid enim per Deum verum illum iudicem, & cordis intimi scrutatorem habent, quod aut nobis verè objiciant, aut pro pontificiorum causa respondeant ? vocant nos quidem vulgò Libertinos & Anabaptistas, eóque nomine religioni inuidiam apud suos conflant. at nihil iniquius, quàm vt hostium credatur conuitijs, tanquam testimonijs. Si nos cum Libertinis coniungunt, cur non illud argumentis euincunt ? an satis esse putat *Verstegamus* tabulis pictis illud ostendere? at hac ratione, si quis ipsi aures asininas affingeret, & rostrum caninum, linguámque instar proserpentis bestiæ duplicem ; credendum esset: multóque sanè veriùs. nam multis mendacijs & rumusculis falsis credit, linguâq; maledicâ & latratu bonos viros insectatur. nos tamen non credimus hæc ita se habere, quia pinguntur. quare, si credi sibi postulent, non pictis istis tabulis nec fabulis; sed authenticis tabulis & testimonijs pugnandum est. Possúntne igitur hoc ex scriptis aut dictis nostris confirmare ? ne conantur quidem. hoc tantùm dicunt, *hos inter nos & primùm ortos esse, & passim nunc volitare.* sed frustrà sunt, si hoc argumento nos Libertinos esse probari putent. nam in Apostolicâ ecclesia exorti sunt hæretici, & pseudoapostoli, horum Iesuitarum similes, qui nunc zizania vbique disseminant lucri aut honoris gratia, in media etiam Rom. ecclesia nec ipsi negant hæreses exortas esse. num igitur se hoc nomine fatebuntur hæreticos esse ? non facient, sat scio. nomen enim hæreseôs valdè se abominari simulant, vtcúnque hæresim amplectuntur. cur igitur nos Libertinos, & Anabaptistas appellant, præsertim cùm & scriptis refutauerimus eorum sententiam, & legibus eorum libidines & hæreses coërcuerimus ?

Nec sanè verum est, apud nos istos aut ortos esse (nam prisca est eorum origo) aut passim volitare : (nam pœnis coërcentur.) apud istos autem & orti sunt, & impunè sunt. nec mirum. nam non tantùm hæreticos, sed etiam hostes Christi professos Iudæos pontifices Romani in vrbe mediâ sinunt. quid dico sinunt ? imò priuilegijs ornant : ijdémque Mauros soluto vectigali tolerant, ipsiq; pontificij vt Libertini, quasi legum excussis habenis magno impetu ad omnem nequitiam procurrunt, & vnà cum Iudæis & Mauris ad extinguendam Euangelij lucem pulchrè consentiunt. apage igitur hanc Libertinorum & Anabaptistarũ hæresim :

apage

apage *Cochlei*, *Staphyli*, & *Bellarmini*, qui eam nobis hæresim tribuunt, conuitia, in pontificios ista rectiùs contorquentur.

[1] In lib. de Notis ecclesiæ.

Profert etiam [1] *Bellar*. *Erasmi* contra nos testimonium, cui nos non vereremur fidem adhibere contra nos loquenti, si ipsi vicissim eum contra pontificios loquentem audirent. loquitur enim de Anabaptistis quibusdam, qui falsò sibi nomen Euangelicorum tribuebant, de nobis nihil dicit. nec vnquam in mentem illi venit, vt nos impuritatis morum accusaret, cum quibus familiariter vixit. idem pontificum luxum & fastum, fraterculorum ineptias, multaśq; Rom. ecclesiæ impietates & impuritates perstrinxit. si igitur huic nihil credunt, cur vt nos credamus isti postulent? aut si crederemus, quid aliud ex eius dictis consequitur, quam nonnullos fuisse in *Belgio* homines improbos, qui falsò nomen Euangelicorum ementirentur? at hoc vel in media ecclesia accidere solet.

Ex *Lutheri* etiam concionibus & *Wigandi* libris de bonis & malis *Germaniæ*, locos quosdam contra nostros mores, comessationes & potationes *Germanorum*, nobiliumq; rapinas & iniustitiam descripsit *Bellar*. passimq; reliqui inculcant. quasi verò non solerent pontificij etiam potare, aut pontifices solerent ita viuere; vt nullius iniustitiæ, aut rapinæ accusari possent. Faciunt igitur isti, quod aranei solent. nam ex floribus & herbis illi odoriferis lethale venenum exugunt: si quid boni sit, illud pro relicto habent. nam quæ in pontifices Rom. & corruptum ecclesiæ Rom. doctrinam & mores multis in locis prolixè disputarunt; ea isti surdâ aure prætereunt; ex reliquis venenum hauriunt malitiâ propriâ. neq; enim aut *Luthero* aut *Wigando* vnquam in mentem venit, vt vniuersam ecclesiam reprehenderet, aut nihil ex Euangelij prædicatione profectum diceret: nec, quæ isti more oratorio in mores quorundam inuecti amplificarunt, tanquam testimonia accipienda sunt: nec deniq; adeò grauia sunt, quin multo grauiora ex concionatorum pontificiorum libris contra ecclesiam Rom. dicta reperiri possint. magnâ libertate *Ferus* & *Royardus*; imò, & *Hispani* fraterculi, in suos inuehuntur. *Braidenbachius*, *Bernardus*, multique alij ecclesiæ Rom. corruptelam & vastitatem passim deplorant. nuperq; quasi è cælo testis malitiam vbiq; inualuisse, & iniustitiam interijsse nuntiauit [2] *Mercurius Gallobelgicus*. Fateantur igitur aut non omnibus conuenire, quæ dixit *Lutherus* & *Wigandus*: aut ecclesiam Rom. esse nequissimam, contra quam tot declamant monachi & fraterculi.

[2] In præfat. ad Dettenum.

Solent etiam ex *Cochleo*, *Staphylo*, *Genebrardo*, *Surio*, *Lauueo*, *Bolseco*, & huiusmodi authoribus testimonia dicere: iisque tanquam Iouis tabulis credi postulant. Et sanè cum cogito, ex huiusmodi Sycophantis constant illæ omnes legiones, quas aduersus nos instruxerunt. tolle istorum

istorum sycophantias, in angustum videbis redactas hominum copias. Quin tollendæ sint, nihil dicere possunt. Nam & ipsi [1] Pontifices, testibus aut ex aduersariorum subsellijs productis, aut inimicis, aut in propria, aut consimili causa deponentibus, aut denique leuibus & conductitijs, nihil credendum dicunt. Quare, si vllam suis maledictis fidem haberi cupiant; missos faciant leues istos scurras, & sycophantas, proferantque testes graues & fide dignos. Proferant acta publica, non singulorum dicta. Illis nos non plus credimus, quam *Bellarmino*, *Rossæo*, aut *Bozio*, cui nullus, qui quicquam sapit, quicquam credit. Neque enim veritatem, sed mendacium propugnant. Cum *Lutheri* & *Caluini* contra se testimonia repudient; quid illi domesticos nobis testes producunt,

A testimonijs & maledictis ad facta quædam & exempla, ne prorsus sine causa male loquuti viderentur, dilabuntur. *Rossæus* multis exemplis nos rebellionis, perfidiæ, sacrilegij, intemperantiæ, & aliorum scelerum conuincere conatur. Eandem viam & reliqui fere omnes nunc Pontificij ingrediuntur. *Bozius* quidam nuper magnum calumniarum volumen in nos edidit. Nec quisquam est adeo minutus, vel magnus auctor apud illos, qui non ex hac nostra infamia honorem quærat. Parum verecunde *Bellarminus*, reliqui prorsus impudenter aduersus nos declamant. Quid probarint, vestrum ex nostra ad singulas eorum criminationes responsione, esto iudicium.

[2] *Rossæus* nobis rebellionem obijcit aduersus Principes. Auctor sane grauis, qui ea nobis obijcit, quæ ipse libro integro recte facta contendit: Populo qui arma in manus tradit aduersus legitimos Principes, legitimam piorum aduersus Regios Ministros, qui eius nomine tyrannidem exercebant, defensionem; qui bella aduersus Regem gerit, eos qui nunquam arma aduersus Regem, sed Regios tantum ministros sumpserunt, quique nunc arma posuerunt, accusat. *Verstegarus* etiam, qui ex [3] pictis exercitibus nostram seditione religionem creuisse subindicat, nobis idem crimen imponit. Homo plane stolidus. Quæ enim inscitia erat alios rebellionis accusare, cum antiquos illos rebelles, qui arma aduersus Principem & leges in aciem produxerunt, quique subditos ipsi concitarunt, pro [4] Martyribus aut saltem confessoribus honorandos doceat? Nihil hac istorum vniuersa disputatione aut impudentius, aut ab eorum causa alienius cogitari potuit. Quæ enim ipsi probant, & actis publicis defendunt, ea nobis vitio vertunt; quæ tamen nec nos probamus, nec defendimus. Regibus enim nos omnibus a subditis præstandam obedientiam docemus; idque ex mandato Christi, & Apostolorum auctoritate, & Patrum etiam priscorum testimonijs confirmamus. Christus enim *Cæsari* redden-

[1] De testib. & attestat. per tot. & ibi doctores vna voce omnes.

[2] De iusta reip. Christ. aduersus reg. imp. auctor.

[3] Specul. Versteg.

[4] Theatr. crudel.

da mandat, quæ sunt *Cæsaris*: nec soluendum censuisset ille *Cæsari* à se &
Petro tributum, si solui possent subditi sacramento propter Principum in-
fidelitatem. *Paulus* Principibus [1] exhibendam obedientiam docet. Tan-
túmque à fœda Pontificum rebellione abfuit *Petrus*, vt nec [2] *dominatum* si-
bi in populum arrogarit; multò minùs in Principes. Honorandos Aposto-
li, non deponendos Reges esse, dicunt. Quod ipsi docuerunt, hoc etiam
exemplis suis confirmarunt. *Augusto* enim & *Tiberio*, & reliquis Impera-
toribus, imò & *Iudæorum* magistratibus, licèt impijs, paruerunt. [3] *Orige-
nes*, [4] *Ambrosius*, [5] *Chrysostomus*, neminem à Principum obedientia, absol-
uerunt, nec absoluendos quidem censuerunt. Nec alio nomine magis Pon-
tifices Romanos accusamus, quàm quòd & ipsi Imperatoriæ Maiestatis
nexus inciderint, & subditis aduersus Principes rebellandi auctores fue-
rint & adiutores. De Pontifice igitur verbis *Gregorij* [6] *Heimburgensis* dici-
mus. *Qua conscientia præsumit quis sacerdos, etiam Papa, absoluere fideles
imperij vasallos à iuramento fidelitatis, & ab obedientia, ad quam Christus &
Apostoli vnumquemque astringunt, potissimùm salua fidei pietate?* Cùm se-
ipsos à rebellionis crimine purgare non possint; nonne pudet eos homi-
nes innocentes huius grauissimi criminis reos peragere?

At, (inquit *Rossæus*) arma aduersus *Carolum* nonum in *Gallia*, aduersus
Philippum in *Belgio*, aduersus *Mariam Scotiæ* Reginam in *Scotia*, ve-
stræ Ecclesiæ homines induerunt. Sunt etiam, qui *Germanos*, quòd pa-
triæ libertatis oppressori *Carolo* quinto repugnarunt, eiusdem criminis
reatu inuoluunt. Obliuiscuntur isti veterum Pontificum Romanorum fa-
cinorum, qui toties de imperio cum Imperatoribus decertarunt. Nec
mirum. Parùm enim videntur memores se aduersus *Henricum* tertium in
Gallia olim pugnasse; & nunc aduersus Regem *Henricum* quartum stre-
nuè pugnare, illúmque armis & insidijs (quantùm possunt) oppugnare.
Nostri autem nunquam armis suos Reges, quod isti faciunt, oppugna-
runt; sed armis se iustis & pijs à Pontificis Romani sæuitia & eius mini-
stris, qui Regio nomine in omnes pios grassabantur, defenderunt. Pri-
mis quidem temporibus huius contra nos inceptæ persecutionis, morti
se obtulerunt ex nostris plurimi. Sed postquam in *Anglia* vltra qua-
dringentos magno cruciatu combustos, & in *Belgio* infinitos à sæuissi-
mis *Hispanis* cæsos, & in *Gallia* & *Scotia* non minorem hostium reli-
gionis crudelitatem experti essent, cœpissentque religionis nomine ad
supplicium nonnulli homines Nobiles, nullius criminis rei, præterquam
quòd crescenti Pontificis tyrannidi, & *Hispani* & exterorum iam conspir-
ratæ potentiæ se opposuissent: non ampliùs cunctandum rati, pugnan-
do potiùs pro libertate, quàm sub manu carnificis cedendo, mori volue-
runt.

1 Rom.13.& Tit.3.
2 1.Pet.5.
3 In Matth.17.
4 In Epist. contra Valent. ad plebem.
5 In Matth.22.
6 Vixit circa tempora Concil. Basil.

runt. Quid enim facerent? num Regi parendum erat? At nihil est minus Regium, quàm subditos perdere: nec vnquam Reges hanc carnificinam mandarunt. Num religionis hostibus, qui Regis nomine latrocinium exercebant, ceruices præbendæ erant? durum hoc quidem; sed tamen fecissent hoc propter Regij nominis speciem nostri, si modum vllum cædendi illi fecissent. Sed cùm animaduertissent adeò inexhaustam esse Pontificiorum crudelitatem, vt nec sanguine nostro satiari, nec bonorum nostrorum direptione expleri posse, nec nisi extincta vnà cum Euangelij luce fidelium sobole quieturi viderentur; intelligerent præterea multis periculum sub nomine religionis creari: erupit tandem libera hominum indignatio; & nostros & alios ad armorum licitam defensionem, non tam propter religionem, quàm propter oppressam à Pontifice & exteris libertatem; licèt renitentes & omnes pacis rationes tentantes, compulit. Non esse arma sumpta contra Regem, sed pro Rege aduersus peregrinos & homines nouos, qui Regis nomine armati, & fidissimos Regis subditos iugularunt, & se Pontificis Romani satellites præbuerunt; & acta publica, & sæpiùs repetitæ nostræ Apologiæ, etiam edictum Regium 13 Martij Anno 1563 editum indicat. Disertis enim verbis Rex Principem *Condensem* & reliquos, qui ad suam defensionem arma sumpserant, à rebellionis crimine absoluit. [1] *Fatetur enim illos fideles esse suos subditos, & quæ ab illis gesta sunt, pro Imperij dignitate suscepta esse.* de fide etiam à nostris hominibus diligentissimè culta *Catharina Medicæa* regum trium mater, grauissimum moriens tulit testimonium. dixit enim nusquam non fore nostros fideles, qui tot bellis à Rege propter religionem lacessiti, nunquam tamen à fide qua regi erant obstricti, defecerunt. quod etiam in historiam suam transtulit, [2] *Merc. Gallo-Belgicus.* Contra minutos tyrannos, & Pontificiæ aulæ lupos rapaces, quorum fauces fratrum nostrorum sanguine redundarunt, quique nulla pœna nostra satiari poterunt, cur non vitam nostram defenderemus? Hanc defensionem & natura feris, & ratio hominibus doctis suasit, legésque & diuinæ & humanæ & docent, & suadent. Nihil in Principes molitos esse nostros, multis argumentis docere possumus. Nam pace facta, continuò semper arma posuêre. Nec (licèt sæpiùs decepti) vnquam arma susceperunt, nisi maximis iniurijs prouocati, & propè necessitate coacti.

At ciuitates quasdam (inquit *Rosseus*) *occuparunt, & vectigalia Regia interuerterunt.* quasi verò non necessitate summa, & iure illud fecerint. primum hostium factum est perfidia, vt qui regijs legibus non satis tuti essent, ijdem se vrbium præsidio aduersus hostium impetus munirent. Secundum verò belli postulabat necessitas. Neque enim se satis tueri

[1] *Nous reputons le Prince de Condé pour nostre trescher cousin, obeissant subiet, fidele seruiteur, et tous ceux qui sous luy ont prins les armes: auouans tout ce quils ont fait, comme faict pour nostre seruice. Edict de pacific. le 13 de Mars, 1563 deuant Orleans.*

[2] Mercur. Gallo-Belgic. lib. 2. p. 88. & 89.

pote-

poterant, si aduersariorum arbitrio pecunias persoluissent. Dicant illi, qui nobis sunt inimicissimi; cùm in Regiâ fide nullum esset præsidium, nec in pace tutamen; & in vrbibus & agris cœpissent homines innocentes ad supplicia conquiri; & in sceleratis illis & funestis nuptijs tanta piorum carnificina perpetrata esset, quanta nullo vnquam in seculo: qua alia ratione aduersus Lupos Romanos corpus, vitam, & libertatem, nostri tueri poterant? Et, si nullam viderint aliam euadendi rationem; fateantur hanc & necessariam fuisse & licitam. Illud enim iustum, quod necessarium: illud necessarium, sine quo salutem obtinere non poterant. Neq; enim vlla alia via patebat, qua famam, bona, corpora, liberorum & vxorum pudicitiam, aut vitam defenderent, quàm armis. Neque hanc Reges ipsi improbarunt. Nam & ciuitates ipsis concessere munitas; & cùm Pontifex Romanus fideles excommunicationis telis persequeretur, instrumenta in *Galliam* importari, aut publicari, vetuêre: coniurationémque denique *Guisianorum* contra ipsos anno 1585 factam, quantùm potuere, impediuêre, *Guisianósq;* hostes esse regni *Gallici*,[1] editis publicis diplomatibus declararunt.

[1] Anno 1588. Mercur. Gallo Belgic, lib. 1. p. 81.

Cur autem *Belgæ* à *Philippo* defecerint; non religio, sed grauis *Hispanorum* dominatus in causa fuit. Quo enim tempore primùm se Nobiles aduersus *Hispanos* fœdere coniunxerunt; Regiam dignitatem & iura se salua custodituros professi sunt, réque ipsa declararunt. Illud ex[2] fœderis constat formula: hoc ex actis illius temporis. Nusquam enim aut Regis vectigalia minuerunt, aut Maiestatem violarunt, aut leges (si illas nouas & sanguinarias & iniustas excipias) sustulerunt. *Albani* exercitum, licèt copijs abundarent, non impediuerunt. Posteà verò quàm priuilegia *Belgij* nulla habita[3] iuramenti Regij ratione violarentur, tributúmque non tantùm centesimæ & vigesimæ, sed & decimę etiam rerum venalium sine ordinum consensu, & contra leges auitas, & à *Philippo* iuratas imponeretur; multíque supplicio afficerentur alijs legibus, quàm patrijs; (nam supra 1700 paucis diebus supplicio publicè affecerat *Albanus*;) præsidiáque externa in vrbibus imponerentur, & arces tanquam argumenta seruitutis in locis opportunis ædificarentur; Iudicésque constituerentur non ex indigenis, sed *Hispani*; raperentúrque libera corpora in seruitutem, & ad supplicium vi potiùs, quàm legibus: excitauit rei indignitas homines non socordes, ad auitæ libertatis defensionem. Cuius tot legitimas causas protulerunt; vt nec *Hispanus* negare; nec præter iniquos iudices, quisquam eorum factum condemnare possit. Non est enim *Hispanus Belgij* Rex aut Dominus; sed *Brabantiæ* Dux, & *Hollandiæ* & *Zelandiæ*, *Artosiæ* & *Henaldiæ*, & *Flandriæ* Comes. Neque potest ille

[2] Dinoth. de bell. Belg. lib. 1. p. 15.

[3] Belgij duces imperium auspicantes iurare solent se leges patrias seruaturos, iurauitque Philippus, vt auctor est Ludouicus Guicciardinus.

quicquid

quicquid voluerit, pro arbitrio facere; sed secundum leges patrias, quas iuramento se obstrinxit seruaturum; & quibus violatis, ius in illis regnis amittit. In Gheldria, Traiectensi regione, & Phrysia, nisi armorum vi, ius nullum aut valdè exiguum habet. Cum igitur nullam ille pactorum & legum rationem haberet; quid nouum fecerunt, si præstantes viri se communi consensu opposuerint. Neque enim nostri tantùm, sed & Pontificij Hispanicæ sæuitię restiterunt; vt ex fœderis Gandauensis constat articulis. Si quis igitur officio defuit, is fuit Hispanus, qui fidem violauit, Non ordines Belgici, qui patrias leges defenderunt. Nec culpandi sunt Phrysij, quòd armis libertatem recuperarunt: Nullum enim aliud ius præter armorum, *Philippus* in Phrysia & ditione Traiectensi habet. Anno 1576.

Germani etiam non tantùm legitimam, sed & honorariam habuêre causam, cur se *Carolo* quinto opponerent. Aduersus enim hostes externos (Italos & Hispanos) lares, vxores, liberos, libertatem patriæ & suam defendebant. Nec illi quidem aduersus Principem suum, sed aduersus Imperatorem, cui præter vectigal aliquod, & obedientiam quandam ex pactis, nihil debebant. Cur ipsi Imperatoris facta improbarent, iustas habuere causas: Cur Germanorum fœdus condemnaret, nullam ille habuit. Nec legibus ille, sed armis superior fuit: Isti armis victi causâ fuêre superiores.

Scoti autem nihil se dicunt, nisi ex ordinum regni autoritate, aggressos esse. Cur igitur dicuntur Rebelles, si ex Reginæ consensu leges condiderint, & ad earum defensionem se obligarint? Si qui autem vel apud Gallos vel Scotos, aut gladium in priuatorum manus tribuerint, vel Regiam dignitatem oppugnarint, vel violarint; vel hæc licita esse scripserint: non putamus illud publico consilio aut factum, aut scriptum. Priuatos autem populi furores semper & Principes nostri, & docti viri summoperè detestati sunt. Frustra igitur aut *Buchanani* libertatem, aut Gilbei, hominis parum sani, aut aliorum furiosas voces commemorat. Non enim publica sunt nostratum rerum testimonia, sed priuatorum stultitiæ argumenta. Nec causa est, cur priuatorum hominum dicta aut facta singularia debeant causæ vniuersæ præiudicium afferre.

Comparemus nunc vicissim aduersariorum causam cum nostra. Mirabimi quenquam tanta fuisse impudentiâ, vt quibus in rebus Pontificij nocentissimi sunt, eas alijs & innocentibus ascribere ausus sit. Sed *Rossæus* ex *C. Fimbria* genere esse videtur. Nam vt ille *Quinto Scæuolæ*, quem telo occidere non potuit, diem dixit: sic hic nefarius patriæ proditor, & veræ religionis hostis, quos ferro tollere non potest, calumnijs peruer- Cic. pro Sext. Ross. Amer.

 tere

tere conatur. Sed malo sanè auspicio hanc telam exorsus est. Nam & Romanorum pontificum, & illius sectæ eas proferam Rebelliones, & aduersus principes perfidiam; vt nostram tacuisse legitimam defensionem præstitisse, vel ipse hæc legens fassurus videatur.

Quid enim habent Romani pontifices, quod non armorum vi, & perfidiâ acquisiuerunt? Ex rebellione fundata est Romana ecclesia, rebellione creuit, rebellione & perfidia nunc tyrannidem suam Pontifices muniunt & tuentur. Romanus enim Pontifex illa est bestia, Apocal. 13. quæ primæ vitam dedit. [1] *Machiauellus* ex ruinis imperij primò enatum pontificatum, deindè armorum potentiâ creuisse testatur. Multum potuere armis, plus tamen valuere pontifices perfidiâ. Ex proprijs fraudibus & alienis donis ad maximam amplitudinem peruenerunt. Primi enim episcopi Romani, vsque ad *Gregorium* primum, Imperatoribus paruere. Is *Mauritium* vt dominum salutat: stilum posteriorum pontificum non norat. *Leo* primus non armis, sed precibus, Gothorum ferociam molliuit. *Syluerius*, & [2] *Vigilius* imperatoris mandatis obstinatè renitentes è sede detracti sunt. *Martinus* primus relegatus est [3] Imperatoris mandato. Posteà verò fractâ Imperatorum Orientalium potentiâ, adeò vt ius suum in Italia obtinere non possent; commutata ratio est. Paulatim enim pontifices Romani à iugo collum subducere, deindè apertè rebellare cœperunt. *Gregorius* secundus [4] ob imaginum cultum à *Leone* Imperatore sublatum, subditos eius ad defectionem sollicitauit. Rebus turbatis & Imperatore aliàs impedito [5] reliquias imperij Italici eidem eripuit. Eodem pontifice autore Rauennæ cæsus est [6] Imperatoris exarchus vnà cum filio. *Gregorius* tertius [7] eundem simul & sacris, & imperij iure priuat. Nec per istum *Longobardis* quietis esse licuit. *Carolum* enim *Martellum* contra illos in Italiam euocauit. *Stephanus* secundus [8] contra eosdem *Pipinum* concitauit, cuius ius in regno Galliæ legitimis eiectis possessoribus confirmauit. *Zacharias Childerico* de regni sede deturbato, verisque deiectis hæredibus [9] *Pipino* primùm regia tribuit iura, magnorúmque in Gallia motuum causa fuit. Omnem, quæ supererat, autoritatē in Italiæ regno [10] *Stephanus* secundus imperatori Græco deripuit. Illud ius *Leo* tertius [11] in *Carolum magnum* transtulit: nec iam ampliùs quæsito colore, ipse à Græcis ad Gallos apertè defecit. Contra *Berengarium Agapetus* 2 ne vnquam Italia pace frueretur, *Othonem* è Germania [12] euocauit. [13] *Crescentio* turbas concitauit *Ioannes* 16. & Romanos variè vexauit armorum non minus, quàm librorū peritissimus. Subditos [14] imperatoris *Henrici* à sacramētis soluit *Gregorius* 7. Idémq; *Rodolpho* imperatoriū contulit diadema, armorúmq; strepitu & Germaniā & Italiam repleuit. Adeò autem perfidus & impius fuit [15] *Paschalis*

[1] Hist. Florent.
[2] Volater. & Eutrop. lib. 16.
[3] Plat. & Eutrop. lib. 19.
[4] Blondus lib. 10. & Plat.
[5] Onuphr. in annot. in Constant. 1.
[6] Plat. in Greg. 2
[7] Plat. in Greg. 3
[8] Vrsperg. & Eutrop. lib. 22.
[9] Fascic. tempor.
[10] Ibidem.
[11] Plat.
[12] Volat. & Sabellic.
[13] Volat. & Fasc. tempor.
[14] Plat. Volater. Blond.
[15] Plat. & Blond. lib. 8.

chalis 2,vt nõ tantùm subditos in principem, sed filium in parentem concitarit,idémq; in *Henricum 5*,quem prius armarat, bellũ acerrimum mouit. *Fridericum 1*.[1] *Adrianus 4*,& *Alexander 3*.variè exercuerunt.Per istos [1] Blond.l.5.dec.2
imperij iure illi frui nõ licuit.Hic etiam per occasionem cædis *Thomæ Cantuariensis* magnos in Anglia contra *Henricum* regem motus fecisset, nisi maturè ille occurrisset. [2] *Innocẽtius 3*.¡cũ *Philippo* imperatore maximas ex- [2] Vrsperg.
ercuit simultates,belláq; multa gessit. Hic aut diadema se regium *Philippo* ademptur ũ,aut mitrã se suã amissurũ minatus est.Adeò iam rebellio gloriosa erat.*Othoni* idem rebellanti contra *Philippũ* fauit.Contra *Othonem Fridericum 2*.excitauit.Hunc cruce signatorum exercitu stipatus adortus est *Gregorius 9*. bellúmq; capitali odio contra imperatorem gessit. *Clemens 5*. & *Ioannes 22*.*Henricum 7*.& *Ludouicũ Bauarum* expugnarũt: illum veneno,hunc tàm armis, quàm dolis & perfidia summa.Ab istis vexatus est *Ioannes* Angliȩ rex,& *Philippus* rex Gallorũ.Per istos & Galli ex Italia eiecti sunt,& rex Nauarrenus tẽporibus *Ludouici 12*.de regno depulsus. nec vlla ferè subditi aduersus principes gessère bella, quorũ pontifices non aut authores,aut magna pars fuere.Illi magnos per Liguriã temporibus *Friderici Ænobarbi* tumultus excitarũt, Per illos Europa hos multos annos vexatur,Turcarũ potentia aucta est. Sed quid opus est vetera conquirere, quum recentia habeamus huius perfidiȩ tam multa exẽpla? In *Henricum 8*.Angliȩ regem debacchatus est *Paulus 3*. eúmq; regno deiecit sententia sua,subditósq; sacramento soluit:hostibus huius regni capitalibus ad patriȩ nostrȩ interitũ classicũ cecinit,Eius vestigijs insistens impius ille & stolidus fraterculus,qui se *Pium 5*,dixit,similẽ tulit in nos sententiã. Fontésq; isti omniũ rebellionum aperuère,quȩ nostra memoria Angliã,& Hyberniã cõcusserunt.A *Pio 5*.missus est in Angliã *Mortonus*,in Hyberniã *Sanderus*, à *Gregorio 13*.*Fitzmoritius*,in Scotiam *Vincentius Laurus*,seditionũ faces: nec aliquo facto magis ille gloriari solitus est, Ex illa sententia Hispanus ius nos inuadendi nactũ se putat. *Sixtus 5*.in regẽ Gallorum nefariã editã Bullã,hunc per vniuersã penè Galliã tumultũ contra legitimũ principem cõcitauit. Qualésq; ipsi sunt põtifices,tales esse solent omnes,qui illis sacramẽto astricti sunt episcopi pontificij,sacrificuli,monachi,& huiusmodi pontificũ vilia mãcipia, Isti,quȩ ille facit,& scriptis defendũt,& armis exequũtur. *Reges à consensu populi eorũ habere regia iura*[3] *dicit Roffens*.Idéq; *regni originẽ ab hominibus nõ à fide fluxisse affirmat. Huic astipulatur et Hardingus* [3] Cap.1.lib.de iusta reip. in reg. impios autoritate.
nostras,qui regnũ potestatẽ ex populi suspendit voluntate.[4] *Plenitudinẽ regiæ potestatis ille ex cõsensu reipub. & inauguratione solẽni tantùm duci cõtendit. Hinc* [4] Pag.527.
sequitur imperiũ principũ esse arbitrariũ.[5] *Nullã regi permittit potestatẽ, nisi le-* [5] Roff.pag.34.
gitimè electo,et post electionẽ[6] *legitimè imperãti. Cuius rei iudiciũ populo tribuit.* [6] cap.2,

Reges

[1] Ibid. 85. & sequen. [1]*Reges nec Christianè* (hoc est vt ipse putat more Pontificio) *nec legitimè imperantes, à subditis iustè deponi & interfici; eosdémque reges suos vel armis, vel legibus coërcere posse docet. Quæ subditi aduersus Iohannem Angliæ regem seditiosè egerunt, ea hic* [2] *seuerus iudex probat. Omnes illos tyrannos esse decernit, qui missam aut decreta pontificum tollunt. Henricum 3. Gallorum regem perfidiosum Apostatam* [3] *vocat; eumq; à monacho quodam confossum affirmat.* Idem *deniq, Reges*[4] *& excommunicari & deponi posse non solùm à pontificibus Rom. sed etiam ab alijs episcopis contendit.*

[2] Pag. 86.
[3] Pag. 170.
[4] c. 7. & 8, & c. 2.

Neq; hæc istorum solùm, sed etiam summorum est pontificum sententia; *Se posse Reges deponere & regna transferre,* [5] *gloriantur: tantúmque pontificis potestatem præstare dicunt Regia, quantum*[6] *aurum plumbo. Colla summorum principũ flectenda esse*[7] *voce magna pronunciãt. Pontificam potestatem Soli; Imperatoriam Lunæ* [8] *comparant. Se ad extirpandos & deponendos reges*[9] *à Deo constitutos prædicant.*

[5] c. ad Apostolicam de sent. & re iudic. in 6.
[6] Dist. 96. c. duo.
[7] Ibidem.
[8] Ibid. & c. solitæ ext. de maior. & obed.
[9] c. vnam sanctam, ibid.

His dictis consentanea faciunt. Isti subditos in principes concitarunt, Ab istis conducti, & submissi sunt Iesuitæ, & sacrificuli qui res nostras turbarunt: nec alio ex fonte prodijt ille sicarius *Balardus*, reliquiq; coniurati; qui Reginam serenissimam trucidandam non ita pridem in se susceperunt. Sceleratissimum etiam illum parricidam *Parrium*, Cardinalis Comensis consilijs ad principis optimæ cædem impulsum, & viatico instructum, ex actis publicis, & Cardinalis ad ipsum datis literis constat. *Henricum 3.* Gallorum regem à nequissimo quodam fraterculo cæsum omnes audiuerunt, quod licèt multum miremur, istis tamen nouum non est; sunt enim istæ priscæ pontificum Rom. artes. *Henricum* enim Imperatorem *Gregorius 7.* conducto sicario, ad necẽ destinauerat, & fortasse negotium confecisset, nisi moles saxi, quod in ipsius in ecclesia sedentis caput librandum erat, trabem frangens vbi in summo laqueari collocabatur, cædis machinatorem ante perfectum negotium in pauimentum templi secum attraxisset, scelúsq; prodidisset. *Clemens 5. Henricum* Lucemburgensem veneno in calice dato tollendum curauit: similique proditione perijt *Ioannes* Anglorum rex. isti denique sunt qui Germaniam turbarunt, & Italiam in [10] partes lacerarunt, quique nunc pacem christiano orbi bellorum incendijs ademerunt, virésq; communi Christi religionis hosti addiderunt, & viam aperuerunt, Europámque Hispano conculcandam præbuerunt.

[10] Machiauel. histor. *florent.*

Imprudenter igitur *Roffensis*, ne dicam impudenter nobis rebellionem aduersus principes obijcit; cuius nullum dicit argumentum: quis enim illi sine argumento quicquam crediturus est? at de pontificum rebellione nos multa diximus. ipsa enim aula pontificia officina est rebellionis

lionis, vniuersáq; horum religio nihil aliud spirat, quàm rebellionē, & perduellionem. isti subditos aduersus principes, liberos aduersus parentes excitarunt; imò fratres cum fratribus, vxorésque cum maritis commiserunt, omniáque naturę vincula soluerunt: iura reump. dissiparunt. nos nihil huius facimus, aut probamus. nos enim obedientiam docemus, & suademus: isti armant subditos aduersus legitimos principes. nos parendum docemus: illi rebellandum. quare si nostram doctrinam cum sua comparare instituerint; doceant vbi nos legitimos principes de solio deturbandos, & regijs insignibus exuendos docuerimus; doceant qui ferro, veneno, perfidia tollendos existimarint. nec nobis vnum aut alterum œstro presbyterali percitum homuncionem, aut populi effrenati furores proferant; sed ostendant vbi hæc doctrina publicè ab ecclesia recepta fuerit, aut eius doctrinæ publico cōsilio suscepta proferāt exēpla, si non possint apud nos ista reperire; fateantur hæc, sua propria esse facinora, & scelera. fateantur etiam hoc suum esse, *tumultus excitare, perduellionem scriptis*[1] *publicis defendere, principes optimos veneno, & assassinamentis* (vtendum est enim Italo, cum nullum huius sceleris nostrum habeamus vocabulum) *tollere*, orbem christianum turbare, cœlum terrę miscere, principes pedibus proterere, excommunicare, bullis, & sententijs execrabilibus, & diris deuouere, regia diademata ad tyrannos, & Guisianæ familiæ similes ascititios, & surreptitios aduenas, imò à legitimis principibus ad hostes transferre. omnia enim hæc pontifices Rom. factitant. *Rossæus* igitur vbi nos rebellionis accusauit, nihil aliud, quàm sui pontificis narrauit virtutes, & laudes.

[1] De iusta reip. Christ. aduersus reg. imp. &c.

At Admirallius Galliæ, regnum nouum in Gallia fundauit, & tyrannidem exercuit, hoc enim multis impudenter persequitur *Rossæus*, idémque Scotorum aduersus *Mariam* motus maximè auget, & amplificat. sed nihil minùs sequitur, quàm quod ille expetit. nam si quid aliud quęsiuisset Admirallius, quàm vt veram religionem impunè profiteri liceret: nunquam illę toties deceptus, reddidisset hostibus perfidis quas sui occuparant vrbes: nec miserè se suósque à perfidis Pontificis Romani sicarijs iugulari passus esset. Quod metuentes Scoti prudenter sibi à sanguinarijs lupis cauerunt: Regij certè iuris nihil sibi vsurparunt.

At contrà Pontificij qui in regem in Gallia nuper arma sumpserunt, Regem *Henricum* tertium trucidarunt, ciuitates complures occuparunt, *Henricum* quartum legitimum regem vi armorum à iure regio depulerunt, aliò regnum sententia suą transtulerunt, cum hostibus denique

 illius

illius regni perpetuis Hispanis aduersus patriam coniurarunt: adeò vt omnia in illos quadrent, quæ in rebelles, & perduelles dici possunt. Reges itaque Gallorum, licèt pontificiam religionem ipsi profiterentur, nostros tamen pro fidelibus subditis amplexi sunt: istos qui eadem religione coniunctus erat [1] *Henricus* tertius, vt publicos hostes proscripsit, & persequutus est. quare si aliquod perduellionis quærat exemplum, nihil est quod in *Caluino*, aut *Beza*, aut nostris inuestiget. ne in scriptis quidem nostris, aut rebus gestis aliquid huius criminis affine est. capiat igitur speculum *Rossæus*, & speculetur vultum illum suum caninum; ibidem perduellem contuebitur: respectétque sodales illos suos, qui arma aduersus Henricum quartum Gallorum regem ferunt: sunt enim hostes patriæ & rebelles. Legat etiam pontificum Romanorum res gestas. ibi enim luculenta sunt perfidiæ & rebellionis exempla. & ab illis tanquam à perenni perfidiæ fonte in vniuersam Europam redundauit rebellio, & scelus. illi regiam maiestatem protriuerunt, & pedibus diadema regium conculcarunt, & reges non tantum contumelijs affecerunt; sed etiam per suos emissarios, & sicarios iugularunt. neque enim satis habuerunt, regnum per iniuriam eripere, nisi vnà & vitam per scelus ademissent.

[1] Annales Gall. & Mercur. Gallo-Belgic. lib. 2.

Vigilate igitur Christiani principes, & hanc infinitam pontificum Romanorum ambitionem, vnde tot manarunt seditiones, & rebelliones maturè coercete. videtis quid doceant, quid moliantur. num planius aliquid proloqui possunt? se iudices constituunt & arbitros vestri iuris. nisi his quæ postulant omnia concesseritis: aduersus vos paratum est excommunicationis telum, & subditorum rebellio. Videant itaque non tantùm qui pontificum iugum reiecerunt, vt se aduersus has molitiones muniant: sed etiam qui nunc pontifici aduersus alios militant. erant olim imperatores, regésque Gallorum, & Angli pontificiæ religioni addictissimi: non tamen liberauit aut imperatores *Henricum* quartum & quintum, aut & *Fridericum* primum & secundum, aut *Philippum* pulchrum, aut *Ioannem* Angliæ regem religio à pontificis inexplebili cupiditate: quæ aduersus alios nunc parantur arma, eadem si alios subiugare poterunt, aduersus vos etiam distringentur; si nihil aliud cauere volueritis: at cauete venena, & sicarios similes monachorum istorum, qui perniciem optimo cuíque machinantur. túque etiam *Philippe* caue. nam licèt senectus te ferè extra aleam periculi constituerit, magnáque pontifices Rom. circumstantia pericula, nunc ne quid in te, tuósque moliantur, deterreant: magnum tamen tuis posteris impendet periculum, ne aut regnum Neapoli-

politanum, aut Ducatum Mediolanensem amittant, Prouincias enim istas ne nunc quidem secundis pontificibus ipse tenes: sin aduersi venti flare inceperint te mortuo, cogita quam facilè istis erit, qui transferendi regna sibi ius postulant, hæc tua regna à tuis posteris, aut ad alios transferre, aut sibi tanquam dominis legitimis vendicare.

A rebellionis crimine ad perfidiæ accusationem delabitur *Rosseus*, perfidiámque principibus optimis transfuga perfidus, & sceleratus obijcit. crimen sanè meritò magnum, & detestandum. quis enim non singularem pontificiorum perfidiam, & eo nomine etiam ipsos pontificios execretur? à nobis certè nihil est quod faciliùs amoliri queamus. quis enim non nouit & serenissimam nostram Reginam, & Regem Gallorum, quos perfidus hic patriæ hostis perfidiæ accusat, fidem semper religiosè coluisse? nam & à pontificijs decepti, in fide illi perstiterunt: nec fide quicquam habuêre antiquius. pari etiam religione & princeps Auraniensis, & Truchsesius, & alij etiam nostri homines fidem coluerunt. neque enim leuiter vlcisci scimus hominum perfidiam, & nominis sui abusum & contemptum Deum; præsertim verò vbi multi mortales ea circumueniuntur. quo grauiùs pontificijs metuendum est, ne eorum sanguis, qui eorum perfidia decepti indignissima, sæpiúsq; instaurata cæde occubuerunt, ab illis cum larga pœna repetatur.

Sed videamus quibus argumentis fretus, maximum hoc perfidię scelus principibus integerrimis homo impurus obiecerit. neque enim leuia esse debent, quæ tanti sceleris eos conuincere possint. Reginam *Elizabetham* fœderis illius quod sibi cum Hispano, Gallo, & *Maria* Scotorum Regina intercesserat violati, & rupti accusat; eámque non tantum erga *Philippum* perfidiæ, sed & ingratitudinis & officij neglecti insimulat. nihil enim in prçteritis habet, quod vel *Philippo* laudi, vel reginę nostrę crimini esse posset. sed nec quæ gesta sunt, nec causas rerum gestarum, vel leuiter cognouisse videtur, multa certè quæ ab omnibus cognosci potuerunt peruersè omisit. nam quod fœdus violatum fuisse dicit, nec vllum fuit, nec quæ fuerunt pacta conuenta, ea regina violauit, nec vllum officium amantissimæ erga illum sororis omisit, etiamsi à *Philippo* in maximis sæpe angustijs ipsa deserta fuisset. quod nullum dixi fuisse inter Reginam Angliæ, & *Philippum* fœdus, etiam ex *Rossei* constat testimonio, ne vlteriùs quærēdum sit. nam quod dicit ille fœdus inter illos initum [a] *Samarobriga*, [a] Cambresi. nullum fuit, actum est enim inter Gallum & Hispanum de pace inter Angliam, & Hispanum nec actum est quicquam, nec controuersia erat: nec

 denique

denique in omnibus articulis fœderis, vlla *Elizabethæ* mentio facta est. Præterea testatur [1] Natalis non obscuræ notæ apud istos scriptor, *Elizabetham* propter religionis causam planè pro relicta habitam. Postremò si vlla ab Hispano ipsius ratio habita fuisset: nunquam illa tanto suo incommodo cum Gallo transegisset, sed [2] verita ne, quod factum fuit, ab illo destitueretur, per *Caualcantium Florentinum* pacem cum Gallo fecit, nec sanè verisimile est, vllum inter eos intercessisse fœdus, nam fœdera [3] aut ex discordijs aut bellis oriri solent, aut saltem ex communis hostis metu, at inter Reginam nostram, & *Philippum* nec bellum erat, nec lis aliqua; nec ea erat tunc temporis, cum hoc fœdus factum fingitur, aut Anglorum, aut Hispanorum conditio, vt Gallum metuerint. quid igitur erat? intercedebat amicitia, & necessitudo inter eos ex nuptijs sororis *Mariæ*; sed multum interest inter amicitiam, & fœdus. hoc enim multò sanctius est, amicitiam autem, aut necessitudinem si quicquam *Philippus* curasset, nec ille Caleti, quod dum se eius bellis *Maria* immisceret à Gallis interceptum fuit, redditionem in articulis Fœderis cum Gallis icti neglexisset; nec vxorem tanquam à [4] grege aberrans taurus deseruisset; nec tam citò quod cum Anglis illi intercesserat amicitiæ vinculum in obliuionem tradidisset.

[1] Comes Natal. lib. 12.

[2] *Dubitando di non essere lasciata indietro haueua conclusa separatamente la pace per se col re di Fräcia. hist. Ludou. Guicciard. de paesi bassi. lib. 3.*

[3] Liu.

[4] ἀτιμαγελὼν.

Pacta etiam quædam inter reges nostros, & Burgundicam familiam ante multos annos inita erant. sed ea partim vetustate obsoleuerant, partim Albani in Belgio, & *Philippi* ipsius in Hispania in mercatores nostros iniurijs obtrita iampridem iacuerunt. nec licèt *Champinio* legato, anno 1575. regis mandato renouata essent, vnquam ab Hispano seruata sunt, nam quod in articulis præcipuum fuit, vt libera essent mercatorum inter vtrósque populos commercia, illud captiuitate, & morte multorum Anglorum, & multiplici bonorum nostrorum hominum direptione & publicatione & in Hispania & Belgio facta violatum est.

Sed esto: fuerint inter nos aliqua pacta de mercatorum negotijs, & huiusmodi rebus: (nam illud antiquum fœdus nobiscum cum Burgundis contra Gallos initum iampridem antiquatum est) qua in re pacta illa violata iure dicere quisquam mortalium potest? nos certè ab Hispanis violata multoties, & in maximis rebus probare possumus.

Quod dicit *Rossæus, pecuniam Philippi ad stipendiorum militum solutionem in Belgium transmissam à nostris, anno 1568. interceptam fuisse*; nihil ad rem pertinet, neq; enim aliquo articulo cautum erat, ne fieret, nec illam ad

ad *Philippum* pertinuisse pecuniam, constabat. veheménsque suspicio erat, nonnullam eius partem in *Angliam* ad conducendos contra Reginam [1] milites, ad perduelles quosdam *Anglos* missam fuisse. nam vehementer illud cum *Hispano* tunc contendisse Pontificem constabat: nunc etiam ex euentu impetrasse, [2] constat. hæc enim apertè præ se ferunt, qui *Pij 5* vitam descripserunt. verùm, fac pecuniam illam ad *Albanum* missam fuisse, cur non illa eadem ad belli sumptus vti, & ne hostis *Albanus* qui cum rebellibus consilia [3] communicauerat vteretur, impedire debuit? nihil certè habent *Hispani* quod querantur, nam nec contra pacta factum est aliquid, nec à nobis vel teruntium eius pecuniæ petere possunt: nec rauci huius patroni, qui aliena negotia tantoperè curat, patrocinium postulant.

Obijcit prætereà, maximas negotiatoribus *Hispanis* ipsíque Regi per pyratas *Anglicos* factas iniurias. quasi verò vel Regina, vel Rex ipse præstare possit, ne quis pyrata maria nauiget. satis est quod in pyratas, & latrones captos, & conuictos lege agant: cur eorum facta principibus ascribantur, nulla ratio facit. si quandiu inter nos, & *Hispanos* intercedebat amicitia, aut pax, aliquos ille pyratas nominare posset, in quos non sit animaduersum, aliquid fortassè probabilius diceret. sed nullos habet, quos eo nomine accuset. nam qui ante annum Domini 1586 in *Indiam* nauigarunt, mercatores erant, non pyratæ: nec eos quisquam quod se contra *Hispanos* defenderent, culpare potest. non dubito quidem hostes huius regni, & inter eos transfugas *Anglos* ægrè ferre *Francisci Dracij* nobilitatam illam circa orbem nauigationem, & rebus illius prosperè gestis inuidere: sed contra pacta conuenta quicquam ab eo factum criminari non possunt. nam *cùm vltra insulas Asorias* pacta sua extendi nollet *Hispanus*, sibi acceptum ferre debet, si quid à nostris factum fuerit in *Indijs* contra voluntatem suam. si hoc Reginæ potestatis fecisset, ipsa contra pacta venientes pœna affecisset. cùm autem pro hostibus habere voluerit, qui vltra *Asorias* nauigassent, cur non ille vsus est pro arbitrio, captósque ipse castigauit? Reginæ fidem nihil est cur incuset. ne illos quidem, qui in *Indiam* nauigant, iure reprehendere potest. cur enim ille maria nauigantibus clauderet, aut vacuas insulas alijs prohiberet, aut quæ natura cōmunia sunt maria & terræ, eas sibi soli vendicaret? nam quod Pontificis donationem allegat, ridiculum est. neque enim Pontifex aliquod in ijs rebus iuris habet: nec licet habere se iactet, potest quæ natura communia sunt, priuata reddere.

Qui autem post violatam ab *Hispano* fidem, & publicationem bonorum, quæ mercatores *Angli* in *Hispania* habebant, & oram *Indicam*, &

[1] *Sborsò (Pio v) 12 mille scudi, & diede ad esso Ridolfi i denari. Armil. Mar. Manoless. della congiura del Duca de Norfolk.*

[2] *Promise parimente il re di Spagna dieci mille fanti, le quali gente fossero state menate da Sheruaro ad Arwiche. Armil. Mar. Manoless.*

[3] *L'orator Spagnuolo portaua le lettere del Duca nel suo plico indrizzato al Duca d'Alba, & lo certificò che quelle eran' lettere del Duca di Norfolk, le quai lettere il Ridolfi appresentò al Duca, che 'l raccomandò molto questo trattato promise d'operar col suo re. Armil. Mar. Manoless. ibidem.*

mare *Hispanicum* infestum reddiderunt, non illi vt pyratæ, mercatores; sed vt viri militares hostes prædabantur, iuréque belli res ab *Hispano* raptas repetebant. quo nomine nostri etiam & *Dominici Fanum*, & *Carthagenam* diripuerunt, nauibúsque *Indicis* insidiati sunt, faciendum quidem erat apparatu multò maiore, & pluribus nauibus, & copijs. nam illud rei militaris ratio postulabat, & nobis multò vtilius, & magis honorificum fuisset. hæc enim repræsaliarum (vt vocant) ratio multis viris doctis & rerum peritis displicet. vt bellum inferatur illis, qui aduersus nos extrema moliti sunt, nemini displicere potest, nihil enim æquius, quàm vt inueniant hostem, qui [1] quærunt: & vt eorum ardeat ager, qui ignem in tecta nostra illaturi veniebant. præstat tamen isto modo hostium copias carpere, quàm prorsus eorum clandestinas molitiones negligere. *Rossew* autem qui *Hispani* causam agendam in se suscepit, planè præuaricatus videtur. nam quod *Philippi* rebus maximè conducit, nobis verò nec vtile, nec honestum est, illud reprehendit, nempè quod paruis copijs, & disiectis nauibus oram *Hispanicam*, & *Indicam* populamur: quod autem *Philippo* maximè pertimescendum est, illud omni contumeliarum genere efficere conatur, nimirùm, vt classe instructa, & cum exercitu iusto, pœnas ab ipso & bonorum direptorum, & ciuium occisorum, & expeditionis contra nos susceptæ, & totius Europæ ab illo perturbatæ iustissimas repetamus.

[1] Ab anno 1568 vsque in hodiernum diem, nunquam nos destitit Philippus & coniuratione occulta, & armis publicè motis, quantùm potuit, oppugnare. Æmil. Mar. Manodell. histor. p. 79. & Girol. Catena. in vita Pij 5, & Petrus Galesinius.

Audite interim viri fortes, quibus gloria *Anglici* nominis chara est, hic nos pyratas appellat, quod paucis nauibus contra hostem rem geramus, liberate nos, & vosmetipsos ab hac contumelia, & perfidos istos hostes sibi non cum pyratis, sed cum viris fortibus negotium esse docete. olim nos pacta impediuerunt: nunc post tot molitiones hosticas, & fœderum violationem, nihil est quod amicitiam, & fœdera obtendant.

A Regina etiam motus *Belgicos* & primò excitatos, & posteà auctos causantur. sed & facta publica, & historiæ, & multorum qui rebus gerendis interfuerunt memoria, non modò hoc crimen, sed omnem eius suspicionem delet. fundamenta enim huius belli ab ipsis *Hispanis* anno 1560 iacta sunt, quo tempore *Elizabetha* nuper regno suscepto, vix domesticas res satis constituerat. nam dum illi contra [2] leges *Belgicas* nouos Episcopatus, & leges etiam nouas, & nutricem illam omnium turbarum inquisitionem *Hispanicam* introducere conati sunt, cœperunt ordines *Belgici* molestè ferre, posteà cum Rege per literas & Legatos egerunt. demùm verò, cùm nihil æquum ab *Hispano* impetrarent, anno 1564, multi [3] Nobiles iuramento se ad patriam libertatem defendendam

[2] Dinoth. lib. 1.

[3] Ibidem.

dam obstrinxerunt. ab his initijs profecti, cùm aliter non possent; armis se defenderunt, interim verò nec nomen quidem suum Regina vniuerso hoc tempore interposuit; nec posteà quidem *Albano* [1] Duce prouincias illas administrante auxilio hostes eius adiuuit: imò cum Regio consilio suspicaretur *Hispanus* milites ad *Auraniensem* submissos; publico edicto, vt se purgaret, *ne Angli, Auraniensi, aut Belgis militarent,* Regina vetuit, *diligentérque cauit, ne naues aliqua Belgica in huius regni portubus reciperentur.* si qui autem sponte profecti ad *Auraniensem* fuerint, cur illud magis reprehenderet, quàm si ad *Hispanum* profecti essent? nihil sanè vsitatius, quàm vt milites vndique ad stipendia vbi bellum geritur, confluant. vniuerso igitur hoc tempore quid non amicè, & honorificè erga *Hispanum* factum fuit? imò dum socios iuuare nimis anxiè veremur, hostis clandestini vires augeri passi sumus. secutum est fœdus quod *Gandaui* initum est contra externos milites, & libertatis *Belgicæ* hostes, quo tempore si aliquot *Anglorum* signa ad ordines *Belgicos* profecta sunt, quibus illi se aduersus hostes muniebant, non potuit eo nomine Regina reprehendi. nam huius fœderis articulis Rex [2] *Hispaniæ* etiam subscripserat. neque ordines regni aduersus *Hispanum*, sed aduersus hostes publicos pugnabant. neque tamen hoc omni tempore cessauit *Elizabetha* Legatos ad *Hispanum* mittere, & amicitiæ mutuæ inter populum *Hispanicum*, & *Anglum* conseruandæ gratia, & vt *Hispano Belgicum* populum conciliaret; illúmque denique moneret, ne desperatione adducti *Belgæ* ad *Gallos* deficerent, cùm verò nec monitionibus, nec precibus locus vllus esset, viderétque ipsa nisi caueret, fore, vt maritimæ omnes vrbes *Belgicæ* in *Galli* hostis huius regni perpetui concederent potestatem, præsidijs illas præoccupandas, aliquáque auxilia concedenda, censuit, ne illæ necessitate adactæ ad *Gallum* confugerent. interim verò, nec vt dedentes se reciperet, nec vt ius Regis *Hispani* minueret, licèt maximè hoc sibi conduceret, belliq; contra nos agitans consilia ille meruisset, vlla ratione adduci potuit. quis igitur ei conflati belli ciuilis culpam ascribet, quod ipsa semper fugit? imò licèt nunc hostes [3] experiatur *Hispanos*: tamen nec ius illius sibi vendicare, nec reliquas eius prouincias aggredi, licèt maximè ille meruerit, & maximam *Galliæ* motus illi præbeant facultatem, constituit. nunquam sanè si eadem *Hispano* concessa esset opportunitas, nos infestissimo animo aggredi dubitaret. Bellum igitur *Belgicum* non Regina, sed *Hispanica* perfidia, barbaries, sæuáque tyrannis conflauit.

[1] Hispano & Albano duce hostilia moliente contra Elizabetham, ipsa tamen in amicitia perstitit. ex histor. Belgic. & Gallic.

[2] Diotham.

[3] Belli ratio & militaris disciplina postulat, vt hosti agros auferamus, & quacunque re possumus, incommodemus.

At, (inquit Rosseus) auxilia Regina ad Regis rebelles misit, oppidáque iuris Regij, præsidijs occupauit, & aduersus Regis copias defendit, & per

eam

eam nunc stat, quominus ipse rebelles castiget, quod quidem si contra fœderis leges factum, ostenderet; multùm ille *Hispani* causæ commodaret, sed hoc nec conatur quidem. nam ante hoc tempus multa contra nos *Hispanus* [1] hostilia molitus erat, fœdúsque violauerat: multos mercatores nostros captiuos detinuerat, bonáque *Anglorum* per totam *Hispaniam* inaudito exemplo publicarat: rebelles [2] idem Reginæ & copiis adiuuare constituerat, & postquam profligati essent, ipse in regnum suum recepit. cùm ista, multóque grauiora designasset *Hispanus*; cur non nos vtilitatem, imò salutem huius regni eius voluntati anteferremus? neque enim nostræ salutis satis explicata ratio fuisset; si vel *Belgium* occupassent *Galli*; vel subiugassent *Hispani*. cur igitur his superioribus annis *Belgij* ordinibus auxilia miserit Regina, grauissimæ causæ erant. primò, nos mouebat periculum nostrum: neque iniuria. neque enim quisquam est, cui non *Hispani* potentia, & ambitio suspecta sit. *Italiam* aut armis possidet, aut auctoritate administrat. ex eius [3] nutu Romani pendent Pontifices. nunc per *Galliam* latè fert signa militiæ suæ. in *Germania* magnas habet [4] clientelas: præter *Belgium* quid illi deest? quis autem eo deuicto modum eum positurum autumet, & non potiùs metuat, ne deuicto *Belgio*, & subactis legibus patrijs illa victoria ad nos aggrediendos gradus sit? serpit enim ambitio instar ignis, & proxima quæque primùm complecti solet. nec quicquam sapit ille populus, qui non appropinquanti malo occurrit, & antequam vires nactum sit, illud medica manu tollit. *Romani Pyrrho* in *Italiam* ingresso, licèt ignis procul arderet extra fines suos; ad eum tamen extinguendum quàm primùm concurrerunt. quibus illi consilijs si in secundo bello *Punico* vsi fuissent, bellum procul à patria sua remouissent, *Annibalisque* cruentam in *Italiam* expeditionem celeritate sua præuenissent. hac malorum experientia edocti posteà, *Antiochi* magni, & *Philippi Macedonis* apparatum belli maximum in *Græcia*, & *Asia* occurrentes discusserunt. videbamus nos nisi cum *Belgis* aduersus *Hispanos* pugnaremus, pugnaturos nos non ita multò pòst solos. hæc in causa fuêre, cur mutuis auxilijs communem hostem propulsaremus. Idque & iure, & more maiorum, virorúmque prudentium exemplo. cùm enim magna esset olim *Caroli* quinti in *Italia* potentia; mutuis se fœderibus principes, & populi ad eius reprimendos impetus muniuerunt: nec aliter nunc *Italiæ* Principes aduersus *Hispanum* pares esse possunt, cùm *Burgundica* familia consensêre maiores nostri aduersus *Gallum*. planè igitur desperemus, si socios, & amicos tam vicinos appropinquante periculo repudiaremus; Romanorúmque trita vestigia

1 Coniuratos contra Reginam & consilio & copijs adiuuare constituerat. Girol. Catena.

2 *Acconsenti il re volentieri di fauorir l'impresa di congiurati d'inghilterra, non potendo assicurare i suoi stati di Fiandra col meglior mezzo, che con l'abbattimento di quella reina. Girolam. Catena in vit. Pij v. p.* 114.

3 De Gregorio 14. Pasquillus cecinit. sol re mi fa.

4 Bauarus & Ernestus Coloniensis ipsi sunt deuinctissimi.

gia, qui Campanos aduersus Samnites non obstante fœdere cum illis inito defenderunt, desereremus.

Vetus prætereà nobiscum cum *Belgis* intercessit ante multos annos contracta necessitudo & amicitia, quæ cunctantes periculi nostri sensu, honoris nos cupiditate accendere potuit. nihil enim turpius quàm amicos, & vicinos deserere, nec quicquam eorum defensione gloriosius. hanc rationē falsè rident *Rishtonus* & *Rossens*. nam cum aliorum principum subditis fœdus ineundum esse negant. sed errant, si aut *Hispanum* regem esse *Belgij*, aut *Belgas Hispano* vt regi subditos aut seruos esse putent: aut si cum hostili animo nos *Philippus* aggressus sit, æquum censeant hostis consilia aut in amicitijs iungendis, aut in nobis muniendis, aut socijs recipiendis sequi. *Philippi* maioribus ex pacto se populus *Belgicus* dedidit. his pactis violatis, quis non eos liberos esse videt? atque vt peccassent ea in re aliquid *Belgæ*, quid hoc ad reginam pertinet, quominus posset illa socijs se aduersus hostem perfidum firmare? imò nisi eos adiuuisset malè suis rebus cōsuluisset, belliq; disciplinam neglexisset. si dubitassent *Romani Siculos* aliosq; populos malè tractatos defendendos suscipere: nunquam illi tantam gloriam adepti fuissent. nec quicquam vsitatius fuit, quam vt [1] *Athenienses* à *Lacedemoniorum* imperio deficientes reciperent, & vicissim *Lacedemonij Atheniensium* subditos. neque enim verisimile est vllum liberum populum se in seruitutem cuiquam traditurum, aut diutiùs quàm secundū leges illi imperatur, se ad obedientiam prǽstandam obligaturum. [1] Thucid. histor. 5. & 6.

Postulabat etiam hoc à nobis officij nostri ratio, & *Anglici* nominis gloria. neque enim vicinos sine summæ turpitudinis nota deserere, nec gloriæ nostræ nationis consulere potuissemus, si tyrannorum contra vicinos sæuitiam non propulsassemus. tam enim in [2] culpa est qui non propulsat iniuriam, si possit, quàm qui facit. hocq; lex postulat charitatis, & iustitiæ regula, vt oppressos liberemus, & innocentium causam tueamur. Huc accessere populi miseri & afflicti preces, quas negligere sæuitię erat, & superbiæ singularis. nec sanè causa erat, cur nos ab alijs suppetias peteremus, nisi alijs [3] petentibus opem tulissemus. nulli vnquam oppresso Romani opem negarunt: nec oppressorū lachrymas, & gemitus neglexerunt. [2] Cic. offic. 1. [3] Liu. 31.

Vtilitatis autem consideratio, quæ magnos sæpè viros commouet, cur non eadem nos mouere debuit? ex commerciijs mercatorum, & mutuis vtriúsque populi contractibus magna ad multos commoda perueniunt. his omnibus, si *Hispani*, qui in nos inimico sunt animo, *Belgas* oppressissent, carendum erat: ijsdem etiam hostes collocupletati fuissent. prætereà ex mutuis fœderibus magnas vires habemus, & nauales copias: quas illis subactis nos amisissemus.

Deniq; apertæ *Hispani* inimicitiæ, & ab illo illatū nobis bellū indicat, prudenter fecisse reginam quæ tam fortes socios, tamq; instructas nauales copias ab hostibus ad se traduxit. nec quicquā magis reprehendendum, q̄ quod nimis diligenter ab *Hispano* toties decepti in officio perstitimus. nā si quo tempore *Hispanus* de bello nobis inferendo cogitauit, exercitum in *Belgium* traiecissemus, Indięq; orā maioribus copijs populati essemus; non iam de agro *Gallico*, sed de *Hispalensi* & *Lusitanico* ipsi certandum fuisset. per nostras moras dū officio nostro deesse veremur, hic nobis insidias, sibi parauit opes, graduumq; ad res gerendas maximas. si igitur salutem sociorum, imò nostrā armis aduersus hostē perfidum & fœdifragum defenderimus: quis eo nomine reginā serenissimā fœderis violati accusare potest?

At *Hispanus* multis nominibus amicitię violatæ pactorúmq; ruptorū ab *Elizabetha* & merito accusandus videtur. nā quod præcipuum erat in fœdere inter vtrosq; populos & principes: vt perpetua esset pax & amicitia, & ad regnorū conseruationē mutuam beneuolētia: illud ille prorsus neglexit. primò enim cōscius erat cōiurationis illius, q̄ nobiles nonnulli fecerant contra reginam: quid dico conscius? imò caput erat. copias enim duce *Chappino*[1] *Vitellio*, subsidio rebellibus huius regni mittendas decreuerat. cumq; non amore nostri, sed inuidia erga *Vitellium*, dux[2] *Albanus* expeditionē illarum copiarū moratus esset, multasq; difficultates obiecisset: non obstante aliqua difficultate[3] aut periculo vt quàm primū milites proficiscerentur imperabat. cunctāte[4] nihilominus *Albano Ridulphum* ad illum cū mandatis, & maxima pecunia, ne quid illi ad profectionem deesset, mittebat. coniuratos contra reginę caput, amicos vocabat: detectis coniuratorū consilijs tantum dolorem capiebat, vt[5] nec à lachrimis temperaret. tanto ille & tam hostili odio erga hanc quam amare debuit sororē flagrabat.

Præterea cum coniuratorum copiæ fusæ, & dissipatæ essent; collegit ille coniurationis reliquias, multosq; ex cōiuratis stipendijs auxit: vt *Westmerlandium*, aliosq; nonnullos. nouos etiam ille excitauit & in *Anglia* & *Hibernia* tumultus. in *Hiberniam* aliquot *Hispanorum* cohortes misit, qui *Desmondano* suppetias ferrent. nec vlla apud nos in reginam, aut incepta, aut suscepta est conspiratio, quam non probè nossent *Hispanici* apud nos legati[6] *Guarratina*, & *Bernardinus Mendoza*.[7] *Thoma Stucleio* naues & milites ad *Hiberniam* turbandam idem dedit. & ne vllū nobis ad bellum subsidium relinqueret, & naues & milites ad naues regias incendendas conduxit: postremò cum nihil fraudibus nec occulta coniuratione proficeret: classem rebus omnibus instructissimā contra nos misit; & vt leoninæ pelli assueret vulpinā, *Parmensis* dux ipsius mandato nos verbis lactauit, vt oscitantes expectatione pacis quā ille ostētauit, classe sua faciliùs opprimeret,

Quod

[1] *Che dalla parte di fiandra mādasse in Inghilterra vna quantità di gente armata sotto la scorta di* Chappin Vitelli, *all soccorso di ribelli.* Girolam. caten. in vita Pij. v.

[2] *Non piacque al Alua esseguir subito per non dare questo honore al vitelli*, ibidem.

[3] *Il re catholico ordina che non ostante qual si voglia cosa si faccia l'impresa d' Inghilterra.* Girol. Catena.

[4] *Nuouamente il re gli commandò che non ostante qual si voglia difficultà, o consideratione seguisse l' impresa d' aiutar' gli amici d' Inghilterra, & gli mandò appresso la persona del Ridolfi, & denari per l' essecutione*, Girol. Cat. p. 117.

[5] *E'l re catholico ne pianse alla presenza del cardinal' Alessandrino*, ibid. p. 118.

[6] *Di Guarras.* hoc ex literis eorum, & multorū confessionibus constat.

[7] *Thomaso Stucleio con alcune naui armate concedutegli dal re catholico (promise) di far' riuoltar l' Irlanda, & abbrusciar tutti i nauili nella riuiera della Tamigia*, Girol. Catena, in vita Pij 5. cuius liber ad Xistum 5. inscriptus eius priuilegio munitus lucem aspexit.

Quod autem secundũ est in pactis, vt mercatoribus nostris tutò in *Hispania* eiusq; regno versari, & negotiari liceret : sæpiùs etiam multiplici ratione rex ille violauit. nam multos ex nostris leuissimis de causis ab inquisitoribus capi & interfici, complures bonis exui passus est. ducis autem *Albani* mandato mercatores nostri in *Belgio*[1] capti, mercésque eorum detentæ,& direptæ sunt: in *Hispania* verò eadem calamitate homines nostri eodem tempore affecti sunt. postremò verò vt nos ingenti bolo tangeret: signo dato omnia per *Hispaniam Anglorum* bona[2] publicata sunt; corpora custodiæ tradita. cum igitur cum hoste sibi videret negotium esse, quis reginam reprehendat, si nunc superioribus his annis ab *Hispano* sibi cauerit,& aduersus eum se muniuerit?

[1] Anno 1569.

[2] Circa annum 1586.

Sunt quidem nonnulli qui à *Philippo* temporibus *Mariæ*,*Elizabethæ* vitam conseruatam fingunt: sed ex illorũ numero sunt, qui aut quemadmodum res gestæ sunt nesciunt,aut iudicare nequeunt,aut cupidè mentiuntur. Deo enim cui omnia reliqua debet, vitam etiam acceptam fert, *Philippo* nihil est quod gratias agat. per eum enim non stetit,quo minus sanguis eius innocentissimus à crudelibus lupis funderetur. *consilium enim de Elizabetha tollenda temporibus Mariæ non stabilitum tantùm à consiliarijs Hispanis fuit*, (vt inquit[3] *Natalis* comes) *sed etiam accuratè susceptum. hoc idem Romæ etiam statutum percrebuisse idem author est*. sed Deus hominum malitiosorum machinationes euertit.

[3] Lib.hist. 11. in fin.

[4] Dicunt etiam *Philippum* pro *Elizabetha* vehementer cum *Gallo* cõtendisse,ne *Caleti* vrbis possessione excideret. sed contra testantur *Ludouicus Guicciardinus*,& Natalis comes. aiunt enim adeò parum ipsum laborasse, vt statim post nuntium de *Mariæ* morte allatũ, de pace cum *Gallo* conuenerit. adeò vt nullum aliud ab *Hispanis* beneficium accepisse videatur *Elizabetha*,quàm quòd *Caletum*,quod multo labore à *Gallis* captum est,per *Hispanorum* ignauiam temporis exiguo momento amissum fuerit.

[4] In libello quodam famoso nuper a cacolyco quodam scurra conscript.

Adeoq; non pudet istos mentiri, vt mundum[5] muliebrem qui *Mariæ* fuit,reliquasq; eius gemmas,& res pretiosas à *Philippo Elizabethæ* donatas fingant, maximámque eius liberalitatem prædicent. sed si hominis sordes, & animum erga *Elizabetham* illiberarem nossent nunquã huius donationis meminissent. donauit enim nihil. imò vt nihil donasset; vtinam nihil secum cum ab vxore misera discederet abstulisset. nihil ipsum donasse inde constat; primò quod pactis nuptialibus vetabatur aliquid quod reginæ esset è regno efferre : secundò, quod nisi solutis debitis onus portare vellet, nulla ratio patiebatur, vt aliquod emolumentum ex bonis defunctæ ad illum perueniret. æs autem alienum *Mariæ* bona eius longè superabat. illum prætereà liberalem datorem non pudebat sordidè, & a-

[5] Ibidem.

uarè legatione ad reginam missa bona vxoris defunctę, si quæ essent flagitare. cauebatur etiam cum de matrimonio *Mariæ* cum illo transactum esset, ne præsidia arcésue in ipsius potestate essent. quæ igitur hæc inepta beneficiorum exprobratio est, reddidisse *Philippum* arces regnúmq; *Elizabethæ*, cum nec arces, nec regnum ipsius potestatis esset, abstulissetque nonnulla, amisisset Caletum, poposcisset auarè multa, donasset nihil?

Omnes autem reliquos vnus superat *Belleforestius* quidam *Gallus*: is enim tantùm *Philippo* dicit *Elizabetham* obstrictam teneri, vt in eius fidem, & protectionem confugerit. quo nihil fingi potuit ineptius. æquè enim regnum *Philippo* ab *Elizabetha* datum fingere potuit. nam parum interest, vtrum quis regno cesserit, an se alterius potestati subjecerit. neq; enim regnat ille, qui alterius arbitrio imperat. regúmque, & populorum hoc afflictorum est, vt se ad alterius patrocinium conferant. Istam verò contumeliosam fabulam refutant acta publica, hominúmque & viuorum & mortuorum scripta, & testimonia. non erat igitur aliquo nomine ingratitudinis accusanda. nihil enim de illa meruit vnquam *Philippus*, nisi malũ. nam ipsius consilio morti primum addicta erat: deinde ab ipso deserta, & Gallo prodita, munitissima vrbe per eius regnum amissa: ab ipso demum & insidijs petita, & armis oppugnata, & contumelijs grauissimis lacessita. nam in *Hispania* sententia pontificis contra ipsam publicata est; nupérq; liber *Sanderi* de schismate, cum maximo contumeliarum in reginam auctario in linguam *Hispanicam* à quodam *Ribadneira* conuersus per *Hispaniam* prostat vbiq; venalis, filioq; regis primogenito inscriptus eius authoritate munitus est, quod nunquam fieri passus esset, nisi sibi quæ in eam scripta sunt contumeliosè probaret. cum laudibus etiam *Didaci* Complutensis *Petrus Galesinius*, *Protonotarius*, vt se appellat, apostolicus, sed veriùs conuitiator diabolicus, [1] conuitia in illam multa, & contumelias coniunxit: quem librum *Philippus* in delicijs habet: ei enim librum illum *Sixtus* quintus inscribendum curauit. *Antuerpiæ* etiam & per *Hispaniam* libelli famosi, & inepti in eius contumeliam vulgati sunt. quid igitur potuit à *Rosseo* afferri magis insulsum, quam vt perfidiam *Elizabethæ* erga *Hispanum* objiceret, quæ fidem religiosissimè semper coluit, & ab omnibus officijs destituta in officio permansit; & fidem *Hispani* laudaret, qui capitali odio *Elizabetham* persecutus est contra fidem datam, pessiméque (ne quid grauius dicam) de eadem meritus est? Fœdus etiam cum *Carolo* nono *Gallorum* rege olim initum ab *Elizabetha* violatum criminatur. quidni etiam cum omnibus pactiones factas queratur esse violatas? nam multò dixisset asperiùs; nec sanè multò maius finxisset mendacium. cur nõ liberè omnes effundat quas excogitare potuit calumnias? nihil

[1] Pet. Galesin. in canonizat. Didaci. ad Philippum. pag. 69.

nihil aliud *Rosseo*, & alijs Pótificiæ aulæ stipatoribus propositum esse, quàm vt bonis dicant malè, vel hoc vnum exemplum indicat. non enim *Elizabetha* fidem, sed *Carolus* ille fregit. non *Elizabetha* quam Pontifex Rom. extra ecclesiam exturbauit, contra pacta fecit, sed *Carolus* dilectus Pontificis filius: filius certè tali patre dignissimus; filius inquam, qui hac sua perfidia perpetuam sibi, & ecclesiæ Rom. quæ hoc facinus excogitauit infamiæ notam inussit. nam cum nobilissimis ad Reginam missis legatis fœdus cum eadem percussisset, cuius inter multa capita illud præcipuũ erat, *vt Ecclesijs & principibus qui per Galliam nostram essent, & Christianam fidem amplexi*, pax concederetur, & incolumitas pręstaretur: Pontificij tamen legati contentio post paucos menses effecit, vt rex fœdus illud nuper initum insigni scelere, & strage illa *Parisiana* antiquaret: qua nihil in omni antiquitatis memoria magis perfidè, aut sceleratè gestum reperitur. nam cum nostri & regio iuramento, quod pluma leuius esse Pontificijs reperimus, & recentis fœderis memoria confisi in nuptiarum hilaritate incautiùs versarentur: infami strage inopinantes cęsi sunt. adeò non puduit illum tyrannum fidem frangere, & faces nuptiales impijssima & horrenda piorum cæde funestare. quare si quem perfidiæ accusare instituerit *Rosseus* accuset potiùs summum Pontificem, qui has plagas tetendit; accuset etiam suum illum periurum tyrannum qui cædem illam administrauit: & nos missos faciat. nam ad illos culpa pertinet; ad Reginam nostram nihil pręter dolorem, & luctum peruênit, quod suo nomine perfidus ille rex tot hominibus pijs insidias struxisset.

At *Rupellenses* (inquit ille) *& commeatu, & classe Regina iuuit.* & quidni iuuaret? beneuolentes enim & fideles socios contra teterrimos & perfidos hostes, cur non iuuaret? sed sanè nec illos auxilijs adiuuit, nec si fecisset, vllus ei vertere vitio potuisset. fœdus enim antea initum *Carolus Nonus* scelere suo turbarat. quæ autem ratio aut militaris, aut vrbanæ disciplinæ, vt fidem violanti seruentur pacta postulat? apage igitur sceleratum hunc conuitiatorem qui aliena scelera hominibus innocentibus, impudentissimis suis affingit mendacijs.

Obijcit præterea *Elizabetha* quæ in *Mariam Scotorum* Reginam illa admisit. sed qua in re fletum voce quiritabunda, & sententiarum grauitate excitare voluit: risum potiùs stultitia sua, & impotenti in nos odio excitauit. quis enim non rideat, cum se stolidum transfugam *Agamemnoni* regi potentissimo; *Agamemnonis* dolorem ex filiæ immolatione quem in vultu adumbrare pictor non potuit, suę & sui similium ex captiuitate *Mariæ Scoticæ* tristitiæ cõparat? nam vt illam valdè amarit *Rosseus*, & vt suam rosam appellarit: nunquam tamen par ad illum ex illius captiuitate & morte,

morte, atq; ad *Agamemnonem* ex filiæ immolatione tristitia & dolor peruenire potuit. tota res non tam atrox, quàm ex hominis impudentia ridicula videtur. quęro enim quę causa sit huius tanti ob suam *Mariam* luctus? simulat quidem summam hominum erga bonam illam & castam, & pudicam, & omni matronali verecundia ornatissimam fœminam perfidiam luctus causam esse: eoq; nomine Reginę serenissimę famam, homo petulantissimus & impudens lacerare non veretur. Sed nihil est quod quisquam mortaliū non amicissimè ab ea in cognatā gestū dicere possit. venit in *Angliā Maria* ista: & venit non vocata, vt ille impudenter cōminiscitur, alijq; etiam eius causæ patroni sæpiùs inculcant, sed armis suorū pulsa; inuitissima, non inuitata; non sponte sua, sed vt manus inimicissimorū hominū, qui ob mariti necem pœnas ab ea repetebāt effugeret, maxima necessitate adacta: atq; vtinam ad *Gallos*, aut *Hispanos*, aut quas ipsa voluit remotissimas oras, modò nō ad nos peruenisset. nos enim molestijs maximis; regionem quæ illam malam sanè alitem recepit, multis calamitatibus; multos ex nobilitate nostra, infamia, & periculo liberasset. si adhuc *Rossæus* inuitatam fuisse cōtenderit, cur non literas profert? cur testes non citat? cur non docet quomodo quę se ex fuga in *Angliā* protenùs recepit, tam citò nuntijs Reginæ nostræ euocari potuit? si nihil docere possit: cur non tacet? cur sine causa homines probos vt ignauus canis allatrat? Hanc autem magna tempestate belli ad nos [1] eiectā comiter tamen excepit *Elizabetha*, eiq; & tutū asylū, & opes regias obtulit non merenti, (nam pessime de ipsa, *Scota* merita erat. regni enim huius insignia olim illa sibi vēdicarat) nec quia *Mariæ* obstricta erat (nec enim fœdus mutuū, aut pactū, aut promissū intercessit) sed quia regiæ fœminæ calamitate, ipsa regina cōmouebatur. Hoc nomine etiam accusationes proregis *Scotorum* cōtra eam grauissimas audire recusauit; eumq; propter iustitiam negatam offensum re infecta ad suos remisit. Multisque officijs, quasi nihil vnquam illa deliquisset, fœminam ingratissimam prosecutā est. nam & cum *Scotis* egit de regno illi restituendo, & cum illud impetrare non posset, de illa reducenda cogitauit; nec quicquam ei, aut ad dignitatem, aut ad voluptatem deesse passa est.

Audite nunc vicissim quam illa gratiam *Elizabethæ* pro tot beneficijs retulerit. primùm nobiliū quorundam animos à Regina alienauit, deinde *Norfolcium* cum alia ratione nō posset, [2] pacto nuptiarum suarū marito suo *Bothuellio* adhuc viuente ad noua consilia perpulit. ciuile apud nos bellum, quod *Angliæ* nobilem partem concussit, eadem magna ex parte cōflauit. præterea cū [3] Pōtifice, cum *Hispano* & *Gallo* clandestina agitauit cōsilia de bello maximo nobis concitando, deniq; cum nec sic proficeret, *Babingtonum* quendam, & alios sicarios varijs artibus induxit, vt se Reginam *Elizabetham*

[1] Buchanan. lib. 15.

[2] *Dicea la Regina de Scotia, esser al duca (di Norfolk) vna sol strada di conseguire l'intento suo, se oppressa la Regina (Elizabetha) se impatronisce del regno d'Inglitterra. Æmil. Mar. Manolesss. histor. f. 79.*

[3] Ex vita Pij quinti & literis Mariæ, & plurimorum testificatione hoc cōstat.

betham obtruncaturos susciperēt, cuius illa beneficio vitam habuit. nullum certè aut reginæ, aut regno per totum illud tempus, quo illa in *Anglia* cōmorata est, cōparatum fuit periculū, cuius non illa aut pars magna, aut author fuerit. Hæc hostiū instrumentum, hæc fomes seditionū, hæc fax belli, hæc nostra Helena nō decennales nobis, sed viginti annorū turbas cōciuit.

Huius singulari amētia (quid enim dicam perfidiam, & ingratitudinem?) & maximo totiùs reipub. periculo, licet grauiter vniuersi regni ordines cōmouerentur, pœnasq; ab illa tot eius [1] machinationum repetendas statuissent: tamen nullo modo ipsa induci potuit, vt aliquid de ea grauius statueret: nec cum *Elizabetha* inscia morte ipsam affecissent, multos annos aliquid grauius tulisse, aut acerbius vindicasse visa est. falsumq; retulit *Ribadineira*, qui eam morte eius [2] exultasse comminiscitur. non igitur *Elizabetha*, sed *Maria* fidem fefellit; eamq; variè: primū enim cōiuge indignissimè cæso fidem violauit coniugalem: deinde regiam quā subditis dedit; idq; & externo contra leges & pacta inducto milite, & ciuibus cæsis: tertio hospitalem fidem structis contra hospitam insidijs: violauit deniq; & amicitiæ, & gentium iura contra caput reginæ, quæ illi contra inimicos præstitit incolumitatem coniurans. Cur autem nostram accuset tanti sceleris *Rossens*, ne leuissima quidem est causa. nam nec fidem vllam illi dedit, nec receptam destituit: nec licèt *Maria* iniurijs sæpiùs prouocata; animum suum in amore eius constantissimum immutauit. nihil est igitur quod sibi caput inuoluat *Rossens* tanquam *Agamemnoni* alicui in pariete depicto, nisi forte se suæ, *Mariæ* & insignis in *Elizabethā* calumniæ pudeat. qua in re etiam nobis gratum faciet. minimum enim ex illo dolorem capiemus, cum os illud impurum & caput sceleratissimum non videbimus. fidem *Mariæ* suæ, aut alteri cuiquam ab *Elizabetha* datam nusquam violatam reperiet, licet inuestigando oculos amittat. nimis enim illa in colenda fide constans fuit, adeo vt nec pactis ab inimicis ruptis ipsa resilire sustinuerit. iubeat igitur *Rossens* sibi hanc venenatam linguam prętruncari, quę tot contra *Elizabethā* effutiuit calumnias, eamq; reclamante hominum multorum memoria, & actorum publicorum fide, sine omni argumento perfidiæ accusauit.

In eam etiam & *Ingolstadienses Iesuitæ* scriptum nuper ediderunt contumeliosissimum. eam enim cum *Turca* fœdus inijsse, & aduersus Christianos eum incitasse calumniantur. Quo nomine publicè etiam literas Imperatoris *Turcici* quas ad eam scriptas esse fingunt, & [3] *Germanicè* & Latinè ediderunt: vulgóque per *Germaniam* Pontificij illi *Turcicorum* motuum quibus annis superioribus Christianorum fines vexati & populati sunt, causam acceptam ferunt. Sed adeò illæ literæ scriptæ sunt insulsè, & calumniæ argumentis destituuntur, vt nihil ipse

præter

[1] Æmil. Mar. Manolesf. histor. ad ducem Venetum, & Girolamo Catena, in vita Pii. 5.

[2] *Se vissa Galana, y Passie la ciudad a cauallo con alegria.* Ribadin. p. 366.

[3] Mercur. Gallobelgic. lib. 2. pag. 122.

præter ingentem *Iesuitarum* malitiam & impudentiam nobis probent. fœdus enim cum *Turca Elizabetha* nunquam inijt, nec si de mercatorum mutuis commercijs pacta quædam exceperis, quicquam illa vnquam cum *Turca* negotij egit. nec literas quidem isto exemplo scriptas accepit. nec si accepisset, verisimile est illas ad *Ingolstadienses* peruenire potuisse. nam ita diligenter illæ seruantur, vt nec omnes qui ipsi à consilijs sunt, eas aut describere, aut legere possint. Præterea scriptæ sunt stilo non tam *Turcico*, quàm *Iesuitico*, hoc est insulso. cur enim vt falsa instrumenta quotidie supponunt, & patrum scripta corrumpunt; sic non etiam *Turcici* Imperatoris nomine falsum fabricentur instrumentum? sunt enim ad hanc rem fabri peritissimi, falsarijque impudentissimi, multásque quotidie confingunt calumnias. Nec sanè tanta est Reginæ authoritas, vt *Turcas* ad bellum excitare posset, nec desunt *Turcis* causæ, cur Christianos oppugnent, vt ab illa excitandi essent: nec certè non maximum illa dolorem ex Christianorum cladibus per *Turcas* illatis cepit. Horum verò bellorum causa non ipsa, sed *Hispaniæ* rex *Philippus* est. nam dum ipse Christianum orbem bellis vexat, Christianorum obseruans discordias *Turca* illos aggreditur. nec alia ratione pelli possunt *Turcæ* nisi depositis armis quibus se mutuò vulnerant Christiani communi consilio & viribus Christiani principes illos aggrediantur. Sed si fœdus cum *Turca* facere turpe sit, quanto est turpius quod facit *Hispanus*, per fœdas, pactiones pacem emere? sed sit quantumuis res fœda ab huius tamen fœditatis labe *Elizabetha* immunis est. Atque hæc de perfidiæ quàm perfidi hostes *Elizabethæ* obijciunt calumnia dicta sufficiunt.

De *Henrico* autem *Gallorum* rege fortissimo, simul & religiosissimo quid ego multa dicam? aut quid ipsi meę orationis patrocinio opus est, cum nó bonis tantum & ęquis iudicibus, sed etiam *Sorbonicæ* facultatis theologis causam suam optimam, & iustissimam probarit; nec quisquã ante hunc degenerem *Scotum* mentis furijs, quæ illum quiescere non sinunt, ad maledicẽdum agitatum eius accusarit fidem? dicam tamen vt ex ferreo huius canis ore ruborem exprimam, atque vt hunc vel calumniatum esse pudeat, vel non habere quod calumnietur pigeat, quod satis erit. reliqui omnes regem in fide seruanda religiosissimum esse norunt, eiusq; fidei plurimùm credunt & sui, & inimici, imò & *Hispani* qui rarò *Gallos* probant, ipsum summè [1] laudant, *Catherina Medicea* licet ipsius à filiá sua discessu illi iniquior esset, fidei ipsius moriens præclarissimum dedit testimonium. illum enim vt regi fidelissimum omni officio colendum esse suasit. nec [2] moriens aliquem alium reperit, quo magis filio suo confidendum censeret. Regi *Henrico* tertio, & si in religione ab ipso multum discreparet, maximè charus

[1] *Se precia de muy humano, Pedro di Cornejo, historia de la confederation,*

[2] Mercur, Gallo-Belgic.

rus fuit. nam & viuus maximos ei habuit honores, & moriens regnum concredidit, atque ex omnibus illum fidelissimum inuenit. Imò & vitæ tempore hunc paratissimum militem, & mortuus cædis suæ à coniuratis illatæ vnicum fere habuit vltorem, quos *Rosseus* laudat [1] *Guisianos* omnes rex ille sua sententia perfidos declarauit rebelles. videte igitur vtrum regi *Henrico 3*, & tot fidedignis testibus, an huic maledico catello qui solem pro offa allatraturus esse videtur, fides adhibenda sit. Præter Regem *Henricum* vniuersa prope *Gallica* nobilitas, licèt Romanæ religionis studiosissima, se suósque omnes huius fidei commisit. cum *Anuillio* ante regni initia coniunctissimè vixit, maximéque dignus visus est, quem ille omnibus officijs, vt regem legitimum coleret. multæ etiam vt regem honorant ciuitates, & ex plebe infiniti. cum igitur omnes benè de isto rege sentiant, summámque eius fidem prædicent, quid habet hic regum obtrectator quod ipsi obijciat?

[1] In Mercur. Gallobelgic. lib. 2.

Eidem (inquit) *in baptismo Romanæ Ecclesiæ datam violauit.* at hoc apertè falsum est. nam Romanæ ecclesiæ nullus in baptismo fidem dat. Nemo enim in nomine ecclesiæ Rom. sed in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, baptizatur. nec Romanam fidem, sed Christianam fidem cum baptizantur profitentur Christiani. Hanc autem nemo seruare potest, nisi qui Papisticæ superstitionis, & idololatriæ abiectis sordibus, antichristóque Romano deserto, Christo, eiusque Ecclesiæ adhæret. non igitur ille, sed *Rosseus*, & eius similes pseudomonachi qui veram profitentes in baptismo religionem Christum tamen deseruerunt, fidem fefellerunt, & sępè fallere solent.

At (inquit *Rosseus*) *abiurata vestra religione ad Pontificiam accessit.* hoc autem alterum est eiusdem mendacium. non enim accessit ille, sed mortis terrore proposito, & gladijs in caput eius districtis, attractus est. Hoc igitur tempore, si quam fecit professionem, aut si qua eius nomine ad Pontificem missa fuerit legatio: quis eam ratam habuerit, cum & leges [2] ciuiles, & ratio ipsa irritam fecerit, eandémque rex ipse, quamprimum se in libertatem vindicauerat, reuocauerit? non igitur erat illa fides data, quam vis & mortis metus expressit, nec fidem ille fefellit, qui violenter acta reuocauit. sed illi perfidi erant, qui eum & reliquos interposito iureiurando ad nuptias euocauerant, & posteà multos occiderunt, quique contra fidem datam, ipsi vim, amicis eius mortem intulerunt.

[2] ff. de doli mali & metus except. & quod vi aut clam. & ibi doctores.

Quod Agenam dicit, ab eodem per insidias, & periuria occupatam, & postquam *se vrbis magistratibus iureiurando obstrinxisset, nihil se immutaturum, nullúmque se ciuitati præsidium impositurum: illum tamen per speciem, vt pila luderet ingressum, postea quatuor cohortes induxisse:* Et falsum est,

& sine probabili ratione confictum mendacium. nihil enim minus verisimile, quàm regem sine militibus *Agenensium* se fidei permissurum; nec ratio rei militaris permittit, vt dux sine copijs in aliquam vrbem, quam infidam fore metuit, ingrediatur; nec denique credibile est *Agenenses* quatuor cohortes ingredi passuros, qui ducem ipsum sine cautione non recepissent. Cur autem illi paciscerentur cum rege, ne quid immutaret; nisi eas in vrbe habuisset copias, vt illos cogere posset? aut cur aut illi iuramentum exigerent, aut iste præstaret? rogandus igitur est *Rossæus*, si posthac mentiri perrexerit, vt saltem ea dicat, quæ fieri possunt; nobísque non fabulas de chimæra, sed res gestas probabiliter narret.

Probabili etiam caret ratione, Regem post fœdus anno 1579, *Neraci* cum Regina matre ictum, statim fœdus violasse. non enim cum Regina, sed cum rege illi negotium erat. sed habet hoc *Rossæus*, quæ facta sunt dicit; quibus autem de causis illa facta sunt celat. quod etiam in hoc negotio seruat. sin autem illas dixisset, nobis hanc molestiam causas inuestigandi non attulisset, nec crimini quisquam quæ ab illo facta sunt dedisset. Nam cum ab insidiosa illa muliere pacis nomine sibi insidias strui, & armis à se positis bellum ab alijs geri intellexisset; quis reprehenderit, quod contra insidiatricem, & eius copias arma sumpserit? Quare ineptè *Rossæus* eo nomine regem reprehendit, quo sui rei omnium iudicio tenentur; valdéque insulsus est, si speret illis fidem seruandam, qui nullam seruant, & iugulum ijs, qui sanguinem nostrum sitiunt, præbendum. Multis illum artibus *Catharina Medicæa* petierat, anno verò Domini 1568. per colloquij speciem propè deceperat. prudens ergo erat, qui nihil illi crediderat, non autem perfidus, si à perfidia cauisset.

Sequuntur quæ ille de interfectis Monachis quibusdam, & vrbibus occupatis comminiscitur, sed nihil illa ad hanc criminationem pertinent; nisi & fidem a rege datam, & eiusdem mandato, aut consilio cædes perpetratas, & ciuitates contra fidem occupatas fuisse docere possit. hoc autem adeò à veritate omni alienum fuit, vt licet pleraque impudenter confinxerit: tamen regi illud ascribere, nescio qua noua inductus religione, reformidarit. Verùm vt multa in bello fiant non laudanda facinora, quis tamen ea summo duci, qui quantùm potest prohibet, ascripserit? magna est enim in bellis ciuilibus disciplinæ militaris perturbatio, vt nec peritissimi, nec vigilantissimi duces omnibus malis mederi possint. doceat igitur iste conuitiator regem contra fidem datam aliquos trucidandos mandasse, aut desinat eius accusare fidem. sed frustra ego in huius regis factis & fama ab hominis turpissimi calumnijs vindicanda laboro. Illum enim omnes laudant boni, metuunt improbi, amant etiam ignoti, satis à calum-

à calumnijs defendunt sui, nulli præter conductios ad maleloquendum scurras vituperant.

Mendacissimè idem etiam *Auraniensem* principem fidem fregisse criminatur, & quem perfidè submisso sicario quodam conductitio Pontificij obtruncarunt; eius etiam mortui famam hic nefarius sycophanta lacerat. complura iuramenta à principe illo partim *Hispano*, partim alijs præstita commemorat *Rossens*: sed qua in re fidem *Hispano* datam violarit, quod caput est, oblitus est dicere; nec si maximè meminisset, aliquid habet quod dicat. *Hispano* enim maximè fidus nullam ab eo mutuam gratiam recepit. quid igitur habet quod saltem vel probabiliter fingat, vt ostendat *Auraniensem* fidem datam violasse? an ideo fidem violatam credit, quod se *Albano* duci, qui insidias illi struxerat, non commisit? at summa fuisset stultitia, si commisisset. nam comes *Egmondanus*, & *Hornius* qui se ei commiserunt, capite multati sunt: perpetuóq; documento esse debent, quàm nihil perfidis *Hispanis* temerè fidendum sit. *At regis conatibus resistere non debuit*: quasi vero quicquam aut honestiùs aut gloriosius sit, quàm aduersus tyrannidem patriæ impendentem arma sumere? quo minùs sumeret, nec sacramento, nec officio erga *Hispanum* tenebatur.

Ne alijs quidem datam fidem fefellit. nam quæ in cõuentibus ordinum *Gandaui* factis pro libertate patriæ aduersus *Hispanorum* sæuitiam defendendam susceperat se facturum, ea pro virili pręstitit. nec in religionis quidem negotio contra pacta conuenta venit. quæ enim milites cõtra Rom. ecclesię superstitiones patrarunt, ea nec vt author suasit, nec probauit, imò vt aliena ab instituto fœdere, pacisq; consilijs valdè reprehendit, & puniuit. Verùm vt parciùs istam nostris perfidiam obijciat; ostendam pacta Gandaui cõmuni ordinum *Belgij* decreto facta, & ab *Hispano*, & *Austriaco* solemni sacramento confirmata, non ab *Auraniensi*, sed ab *Hispano* violata esse. nam quod [1] primum erat in fœdere, vt *Hispani*, & externi milites è *Belgio* deducerentur, per istos impetrari nõ potuit. nam & arcem *Antuerpiensem* præsidio *Germanorũ*, & alias vrbes alijs etiã præsidijs contra fidẽ datam firmarunt. vrbemq; *Namuriam*, & arcem *Iohannes Austriacus* occupauit, vt per eam vrbem, tanquã castrorum portas sanguinarij milites ad cædem miseri *Belgici* populi emitterẽtur. quod secundũ erat, vt ordines liberè pro antiquo *Belgij* more conuenirent, & de religione, & reliquis negotijs, quod videretur, statuerent; atq; vt interim nulli propter religionẽ molestia afferretur; *Hispanus* sũmis viribus impediebat: neq; enim in religione quicquã voluit mutari, nec per eius molitiones vlla religionẽ Christianam amplexis concedebatur libertas. nec quod alio fœderis capite cõtinebatur, captiuos restituerunt *Hispani*, nec damnatorũ bona quibus cauebatur reddiderunt.

Anno 1576.

[1] Dinoth. hist. Belg. lib. 3.

Neque denique vllum conuentionis illius caput præstiterunt. Posteà verò cum Anno 1577, alia etiam pacta conuenta inter *Austriacum, Auraniensem*, & ordines *Belgicos* intercessissent; tantum abfuit, vt *Austriacus* ea seruarit, vt potiùs per pacis nomen insidiæ, & bellum quæsitum videretur. nam nec externum dimisit militem, nec præsidia ex vrbibus deduxit, nec nostris vllam permisit libertatem, nec *Auraniensi* restituit captiuum filium, nec vllam prorsus fidei rationem habuit. qua etiam in re nec vsitata quidem illi exceptio concedi potest, *fidem non esse hæreticis* (vt nos per calumniam vocant) *seruandam.* nam & Rom. religionis hominibus fidem datam fregit. plerique enim ex ijs qui *Gandaui* fœdus inierant, Pontificiæ superstitionis erant studiosissimi.

Quod porrò ab *Hollandiæ* ciuitatibus *Auraniensem* vocatum iusiurandum interposuisse, *se nihil in religione immutaturum*, & illud violasse dicit *Rossæus*, non tantùm sine testibus, sed etiam sine ratione dicitur. nam nec de religione vlla erat *Hollandicis* vrbibus, cum illo controuersia: nec tam propter tributum indictum, quàm religionis controuersiam sibi ciuitates illæ ab *Albano* metuebant; nec verisimile est, vbi tot à Romana superstitione alieni essent, cauisse illos publicè de religione Romana; nec si maximè cautum esset; aliquid fecit ea in re *Auraniensis* aliter quàm de consilio, & consensu ciuitatum. non igitur *Auraniensis*, sed *Austriacus*, & *Hispani* ob fidem violatam condemnandi videntur.

Illud autem maximè absurdum est, violasse illum etiam pacta cum *Matthia Austria* duce, aut quæ illo authore potiùs renouata sunt: cum ex eius præcipuè sententia dux *Matthias* quamdiu in *Belgio* fuit, omnia gesserit, nec vllum habuerit, cui magis crediderit, aut quo potiùs ipsius authoritas nixa fuerit. qui igitur *Auraniensem* principem insimulat perfidiæ *Rossæus*, non tam vt probaret, quàm vt primus crimen hoc occuparet eius rei mentionem fecisse videtur. norunt enim vulgò omnes pro quantis beneficijs, quas iniurias ab *Hispano Auraniensis* acceperit. patria enim primùm pulsus est; deinde bonis exutus & ad egestatem redactus: liberi eius in seruitutem abducti sunt: postremò ipse proscriptus est: Atque hæc omnia facta sunt contra ius, & Patrias leges, quas *Philippus* iuramento se seruaturum confirmauerat: demùm verò cum ius suum armis repeteret, à quodam sicario grauiter *Antuerpiæ* vulneratus, ab altero obtruncatus, perfidia summa inimicorum extinctus est: homo cui in omni vita nihil fide, dignitate, religione, probitate antiquius esset: cuiúsque fidem nisi *Belgæ* semper probassent, nunquam in illius patrocinium à reliquis omnibus decepti toties confugissent: nec vnquam in *Gadanensi* conuentu ordines *Belgici* ipsius fidem implorassent,

nec

nec nisi summa fuisset illi in colenda fide religio; vel *Matthias Austriacus,* vel dux *Alençonius* in illo præcipuam spem collocasset. hanc igitur fœlicem animam, eiusq; viri iucundissimam memoriam verbis optimis prosequamur: nec canum istorum pontificiorum, qui de mortuis, & viuis malè sine vllo argumento, aut suspicione loquuntur, moremur latratus.

In *Trucsesium* deniq; inuolat *Rossens*, eumq; *accusat fidem suam, & in prima ad episcopatum inauguratione, & in electione ad ius electoratus imperialis, & aliàs etiam datam violasse.* hæc enim ille ab inepto quodam fabulatore Issaeltio accepit. sed quæ ad illum impurum canem responsa sunt, non attendit. audiat igitur quæ sæpiùs dicta sunt, ne nobis deinceps loquacitate sua molestus sit: *Michaelem* istum, hominem esse nullius fidei, aut pretij, nec quicquam esse illi credendum. est enim ab aduersarijs ad malè loquendum conductus, fabulásque multas contexuit nec veras, nec verisimiles. nam nec de coniugio negauit *Trucsesius*; nec quod pro catholicæ religionis defensione iurauit, vel leuissimè violauit; nec quæ conuenerant cum capitulo, & ordinibus illius regionis mutauit, priusquam se ab illis perfidè oppugnatum, & armis petitum ab ijs qui sibi sacramento essent obstricti, videret. De vxore nulla causa erat, cur negaret. quis enim ab illo eius rei rationem repeteret? catholicam autem religionem antiquam, quam isti hæretici corrupissent, voluit ille in suum statum pristinum restituere. nec priùs ille se auxilijs, & armis muniendum putauit, quàm monachi, & huiusmodi seditionum faces clandestina cũ inimicis de illo opprimendo consilia agitassent.

At duxit, inquit, vxorem. ecce graues sanè homines, & seueros, quibus vxorem ducere scelus est: scortari, lustris liberis operam dare, & libidine diffluere ludus est, & iocus. at *contra votum vxorem duxit,* idémque religionis Romanæ professionem abiecit. at nos neutrum istorum crimen esse dicimus. eos enim ostendimus ecclesiæ Romanæ esse errores, vt sine scelere defendi nequeant. laus igitur potiùs, quam crimen est ab illa discedere. vota autem huiusmodi nec licitè exiguntur, nec cum ampliùs præstari non possunt, astringunt. Apostolus dicit melius esse nubere, quam vri. quis igitur istos sequetur, qui & hic vruntur, & nisi ipsos facti pœnituerit, in igne gehennæ comburentur, potiùs quam apostolum? is etiam episcopum probat vnius vxoris virum, hos qui vagas consectantur libidines, veneréque illicita pruriunt, damnat. [1] Antiquitùs nulli nisi sponte ab vxoribus abstinebant: quod nos pluribus antea confirmauimus. votum autem continentiæ temerè susceptum ab ijs qui continere non possunt, mutandum docet etiam *Bernardus.* videtis igitur quam futilis sit vniuersa illa ab Issaeltio primùm cõficta, posteà verò ab isto repetita narratio.

[1] Tripart. hist. lib. 9. c. 38.

ratio. sed aliquid ipsis confingendum erat, ne latrones illos, qui *Truesesium* disciplinam ecclesiæ veteris, & doctrinam veram restituere molientem, episcopatu & bonis exuerunt, omnes dignissimos putent, quo omnia non tam maledicta, quam supplicia confluant.

A principum factis, post longam & lutulentam declamationem serò tandem ad hominum minus illustrium & priuatorum res gestas delabitur [1] *Rosseus*, nobisq; ascribit *Mareschalli Sanctandreani*, & *Mottegondrini*, *Terridæ* etiam, *Sancolumbij*, *Bassillonij* & *Charrij* iniustã, & immeritam cædem. hos enim omnes à nostris contra fidem datam interfectos criminatur. sed cur non etiam & reliquos, qui per bella superiora occubuerunt, per scelus contra fidem datam cæsos dicat? nam ita & narrationem hanc suam multùm amplificasset; & de nobis criminosius dixisset? æquo sanè iure potuit. nam non ampliùs in reliquis, quam in illis primis mentitus fuisset. [2] *Sanctandreanum* omnes norunt in prælio fortiter præliantem cecidisse. sed vt de nobis criminosè aliquid dicat, eum qui fortis erat, hic homo nihili ignauum fuisse, & se hosti dedidisse, & posteà cæsum esse fingit. sed quod iste dicit, contra fidem datam cæsum fuisse, nunc primùm ab isto audio: probationem nullam vnquam audituri sumus. [3] *Mottegondrinus* occupata Valentia captus est, & de muro suspensus: contra datam fidem interfectum ne ipsi quidem historiarum scriptores dicunt. res enim subita fuit, & capta noctu vrbe deprehensus statim nulla nec interposita fide, nec mora suspensus est. & meritò quidem: multos enim nostros anteà homo crudelis interfecerat. *Terridam* cæsum fuisse mentitur *Rosseus*, tantùm abfuit vt contra fidem cæsus fuerit. si mihi non credit, credat saltem historijs & nostris, & suis. *Sancolumbius* non militari manu, sed iustitia vindice, quòd cum subditus esset regis *Nauarreni*, aduersus eum rebellasset, mortuus est. [4] *Bassillonio* autem fides seruata est, quam si ille nostris seruasset, viuere potuisset. nam ideò supplicio affectus est, quòd cum hoste post deditionem factam consilia communicasset. *Charrius* autem ille in vrbe *Parisiensi* in rixa quadam, quam ipse inceperat, occisus est. nisi iure occisus fuisset: nunquam author cædis pœnam euasisset. cur autem hujus *Charrij* meminisset *Rosseus* nihil video, nisi vt nominibus potiùs, quam rebus nos premeret. nam nihil hæc ad hoc argumentum *Rossei* de perfidia pertinent.

Illud verò maximè ridiculum est, quod cum nullum nostrûm alicuius perfidiæ conuincere posset, quasi omnes conuictos manifestò teneret: ita omnibus [5] insultat; & quasi parta victoria triumphum canit. ideò enim concludit nulli nos fidem præstare, sed non tam concludendi, quam maledicendi artificio valet. *dicit etiam nos nullum* [6] *habere Deum per quem*

[1] Pag.388.
[2] Iuxta Druidum, vt vocant, vrbem.
[3] *Histoire de troubles de France lib.8.*
[4] Ibidem.
[5] Pag.687.
[6] Pag.688.

quem iuremus, sed si vlla esset homini aut religionis mica, aut pudoris, nunquam tam apertè mentiretur. nos verò rectiùs pontificijs de Trinitate, & vniuersa religione sentire iam anteà ostendimus. fidem autem nostri coluerunt religiosissimè, cuius pontificij nullam rationem habent. & licèt non nisi nimis multos habere illi Deos videantur: nullum tamen curant. iurant enim illi per creaturas, vt hæretici: & per capillos Dei contra leges [1] ciuiles: & non nisi nimiùm iurant. nam sine iuramento vix loqui possunt. nullum autem iuramentum vel flocci faciunt. quare ne deinceps in nostris historijs, & hominibus exempla perjurij, & perfidiæ inuestigans laboret *Rossæus*: ostendam illi fontem periurij, & sceleris. neque ego mihi affirmanti credi postulo, nisi & historiæ veteres, & Romanæ ecclesiæ monumenta, & exempla idem affirment: quibus nisi credant isti, quid est, cur non illos omnes vt perfidos, & incredulos fugiant?

Primùm itaq; ne sine lege peccasse videantur, perfidiam legibus confirmant. hæreticis enim nullam seruandam esse fidem post maturam habitam deliberationem, in concilio *Constantiensi* decreuerunt. ijdemq; licet perfidia peccatum sit vel maximum: pontifici tamen huius peccati tollendi tribuunt potestatem. pontificem enim à iuramento absoluere, & eius vinculum & laxare, & cum periuro dispensare posse iuris canonici [2] interpretes docent. nuper autem exorti sunt noui Iesuitæ qui iuramenta ad tempus suspendunt, fidemq; colunt temporariam, nec diutiùs in fide manent, quàm donec tutò illis rebellare liceat. [3] huius rei exemplum primùm *Campianus*, & *Personius* secum in *Angliam* attulerunt. cum *Turcis* autem & *Paganis* nullam pontificios seruandam fidem censere, indicat pontificij legati ad *Ladislaum Polonum* [4] oratio. huic illi sententiæ consentanea faciunt. *Iohannem* enim *Hussium* fide imperatoris interposita euocatum *Constantiam*, perfidè cremarunt. nec meliore conditione *Hieronymus Pragensis* vsus est. quanto igitur cum periculo istis credatur salus nostra, isti perpetuo nobis documento esse possunt. *Lutherum* eodem exemplo *Leo* decimus leoninis suis vnguibus lacerare cupiebat, valdéque *Caroli* quinti, qui *Luthero* datam fidem præstitit, displicebat illi religio. vna enim dispensatiuncula cum omnem se perfidiæ maculam eluere posse sentiret, hæc imperatoris in seruandis promissis constantia ipsi intempestiua videbatur. quam autem nullam habeant fidei rationem perspicuè docet *Eugenij* quarti ad [5] *Ladislaum* legatio. nam licet fœdus solenne multis adhibitis cæremonijs *Ladislaus* cum *Turca* percussisset, capútque suum si contrà faceret, maximis religionibus obstrinxisset: illud tamen pontifex refixit, fidemq; *Turcis* datam seruandam negauit.

nec

[1] Authentic. 77. vt non luxurientur homines.

[2] De iureiurando. verum in ea. & ibi doctores.

[3] Rescripto pontificis ad Campianum & personium, rebus tantum sic stantibus obligari catholicos declarauit.

[4] Callimach. de bell. Varn. lib. 2.

[5] Ibidem.

nec alia de causa illa Christianorum ad Varnam insignis clades accepta videtur. sed nihil mirandum est, si *Turcis* & hostibus fidem datam violent, cum nec Christianis, nec amicis vllam seruent; nec promissa iustitia, sed commodo metiantur. multa *Clementi 7* cum *Henrico 8* pacta intercesserant, sed nullam ille eorũ habuit rationem. diploma quod Campegio de diuortio *Catharinæ* dederat, contra fidem datam reuocauit, sententiamq; contra illud quod sæpius promiserat, tulit. *Paulus 3* eiusdem *Henrici* subditos sacramento soluit. idem etiam erga serenissimam reginam tentauit *Pius 5*. istis enim perfidia, & rebellio pietas est. istos duces discipuli dociles multi sequuti sunt. neque sanè mirandum est, si qui istos non posse errare in fide credunt, eorum etiam imitentur perfidiam. hæc vna nobis magno constitit doctrina. hac enim disciplina fretus *Philippus Hispanus* pacem cum *Anglis* initam violauit, coiuratos contra patriam auxilijs, & pecunijs adiuuit; principem oppugnauit, ciues nostros cepit, bona diripuit. per istã occasionem quæsitores *Hispani* in mercatorũ nostrorũ bona sæpius inuolarunt. nec maiore religione iuramentũ *Belgis Hispanus* seruauit. nam & externum militem contra patrias leges, quas se seruaturum [1] iuramento confirmauerat, in *Belgium* introduxit, & libertatem populi conculcauit.

[1] Histor. de Pacif. Basc. Ludouic. Guic. & Viaie del princip.

Comitem *Egmondanum* virum fortissimũ, & de se optimè propter defensum contra *Gallos Belgium*, meritum: comitẽ etiam *Hornium* nobilissimum per suum carnificem *Albanum* comprehendi, & contra iusiurandũ, quod *Belgium* ingressus præstitit interfici, aut mandauit, aut neglexit. [2] *Marchionem* autem *Berghensem*, & *Montinium* viros nobilissimos, & nomine populi *Belgici* ad se legatos supplicio, & contra leges patrias, & ius etiam gentium affecit. idemq; & pactiones amitæ suæ cum populo illo regio nomine initas, & fœdus illud Gandauense, cuius toties meminimus, violauit, & neglexit, omnemq; prope nobilitatẽ per varias causas extinxit. ne [3] *Carolus* quidem *5* fidem *Lantgrauio* datam liberauit; quod *Mauritius* quo ille sponsore ad *Hispanos* accessit, valde molestè tulit. in *Gallia* autẽ plurima sunt pontificiæ perfidiæ exempla. quoties enim pacti sunt nostri pacem: toties per pacta decepti sunt. prima autẽ cædes à *Francisco Guisiaco* Vassiæ administrata est: posteà autem nostri per pacis tempora *Lugduni*, *Aureliæ*, *Cenomanis*, *Biturigibus*, *Trecis*, *Rhotomagi*, *Cadurci*, & multis alijs in locis à furente populo instigantibus sceleratis monachis passim trucidati sunt. nec superiora fœdera, nec regium iuramentum, nec ætas, nec sexus à cæde innocentes fœminas, & infantes liberauit. *Carolus 9* multa cum nostris inijt fœdera, nullius rationem habuit. imò nulla re tam gauisus esse dicitur, quàm si nostros per iurisiurandi speciem fefellisset: *Lysandróque* quàm *Constantino*, aut Christiano principi similior erat,

[2] Dinoth.

[3] Sleidan.

erat. multa iste fœdè contra fœdera, nihil tamen vnquam fœdius commisit, quàm quòd sororis nuptias ingenti cæde: fœdera insigni perfidia violans, tot homines innocentes, & inopinantes, & inermes, qui se Regio iuramento tutos putarunt, crudelissimè interfecit. hoc factum adeò probauit Pontifex, vt in aula sua idem in duabus tabulis depictum spectandum omnibus proposuerit, imò ex consilio Legati Pontificij hoc scelus & susceptum,& perfectum: & ex primo eius rei nuntio *Romam* delato vniuersa vrbs in lætitiam effusa est. Infœlices igitur, imò stulti sunt, quicunque perfidis istis, & fœdifragis hostibus fidem habent. per speciem enim hæreseos fidelissimos Christi seruos ipsi omnes hæreseos genere inquinatissimi crudelissimè contra iura diuina,& humana per hos superiores annos propè infinitos iugularunt.

Ne suis quidem fidem datam seruant: Imperatores enim *Græcos* primùm, deinde verò & *Germanos Italia* perfidia sua pepulerunt Pontifices Romani.parebant quidem Imperatoribus *Itali* libentissimè; isti verò, & seipsos subduxerunt, & reliquos aduersus Imperatores concitarunt. *Gregorius* secundus & tertius, & *Leo* etiam tertius, excommunicationis gladium: *Gregorius* verò septimus sicam in eos distrinxit. vetusta est enim perfidiæ in illa sede disciplina. sæpiùs Pontificis Romani eligendi potestatem Imperatoribus Romanis concesserunt: sæpiùs etiam fidem fefellerunt. *Gregorius* septimus neglecto officio grauissimum aduersus Imperatorem bellum concitauit. *Paschalis* autem secundus ab Imperatore in custodiam traditus, vt libertati restitueretur, multa pollicitus est. mox verò fidei datæ oblitus in contrariam partem omnia fecit. filium ille contra patrem, ne non solùm perfidus,sed etiam impius esset, armis & copijs instruxit. pacem cum *Friderico Barbarossa* factam turbauit ipse *Adrianus*,subditósque eius ad rebellionem contra iusiurandum impulit: ascribam verba *Guntheri* qui ea pluribus prosequitur.

Nec fuit ambiguum (inquit [1] ille) *multis (si credere fas est)*
Pontificis [2] *summi scriptis,crebróque rogatu*
Pellectos Ligures iterum ceruice rebelli
Abrupisse sacras contempto fœdere leges.

[1] Lib.9.

[2] Loquitur de Adriano concitante Lombardiæ populos contra Imperatorem.

Gregorius nonus Imperatoris in *Asia* contra *Turcas* bellum gerentis perfidè agros inuasit. vt schisma tolleretur quod ab *Vrbano* sexto initium habuit,maximis religionibus, & sacramentis se obstrinxerunt sibi inuicem in interregno Cardinales, *vt quicunque ex illis Pontifex crearetur, se pontificatu abdicaret, quàm primùm illud idem ab Antipapa impetrari potuit,* hæc tamen omnia iuramenta *Gregorius* duodecimus, *Alexander* quintus,& *Iohannes 23*, quasi in aqua scripta essent, neglexerunt.

 [1] *Inno-*

[1] *Innocentius* octauus & *Alexander* sextus fœdere coniunctos *Venetos* non deseruerunt tantùm, sed & censuris oppugnarunt. *Alexandro* sexto,[2] nec veritatis, nec religionis, nec fidei, nec pudoris, vlla erat ratio. Perfidiam eius plus quàm *Punicam* [3] fuisse dicit *Onuphrius*; nec illi vllis pactis aut iuramentis interpositis fidere voluit[4] quidam eius Cardinalis. Habuit ille filium sui simillimum, hoc est, immanem, sceleratum & perfidum.[5] *Camerini* enim dominos aliósq; multos contra fidem datam, postquàm caput suum maximis si falleret, execrationibus obstrinxisset, interfecit. Hunc tamen eisdem, quibus multos alios,[6] fraudibus & periurijs circumuenit *Iulius* secundus. Hic etiam periurijs [7] adeptus est Papatum, & perfidià eundem administrauit. Rebelles *Genuenses* aduersus *Ludouicum* duodecimum defendit. Ecclesiam, hoc est (vt isti interpretantur) *Pontificem posse fidem datam violare, & pacta conuenta rescindere,*[8] *docuit*. Quod docuit, idem diligenter executioni mandauit. Nam ope *Gallorum* subactis *Venetis*, idem statim *Gallos* summis viribus contra fœdera oppugnauit.

Leo decimus[9] *Ruueream* familiam *Vrbini* ducatu contra fidem interpositam exuit; *Paulúmque Ballionem Perusia* euocatum contra pactam fidem securi percussit. Nec mirum, si nullam fidem Pontifex factus seruarit; cùm, vt ad Pontificatum ascenderet, fidem datam [10] violasset. Cum *Gallo* initum fœdus, vtilitate quadam sibi [11] ante oculos proposita, statim abrupit. Cùm Canones spurios à sacerdotio arceant; *Clemens* septimus, subornatis testibus periuris, se legitimo matrimonio natum probauit. Idémque fœdere violato, quod paulò antè cum *Cæsarianis* icerat, eosdem armis persequitur, eorúmque inimicos fœdere sibi coniungit. Nihil opus est singulorum perfidiam, & periuria persequi. Adeò enim in Pontificibus crebra erant, vt magis mirandum sit, quòd fidem vnquam seruarint, quàm quòd violarint. His auctoribus fœdera illa in *Gallia* sæpiùs repetita, violata sunt. Eorundem consilijs tot contra Principes seditiones & rebelliones concitatæ sunt. Non alio ex fonte manarunt illæ contra *Henricum* octauum, & *Elizabetham*, & in *Anglia* & in *Hibernia* coniurationes. His etiam auctoribus per pacis nomen & fœderis speciem, nostri decepti & trucidati sunt.

Solent enim isti subditos sacramentis soluere, & aduersus Principes armare: ijdémque Principes ad subditos periurijs opprimendos, & prece solicitant, & [12] excommunicatione cogunt. Adeoque leuis videtur illis res fides, vt vna dispensatione se maximæ perfidiæ crimen eluere posse putent. Malè igitur Pontificibus suis consuluit *Roffensis*, qui vel leuissimam fidei mentionem iniecit. Hanc enim, quos ille accusat, diligentissimè coluerunt, Pontifices autem Romani hoc scelere sunt maculatissimi.

Roma-

1 *Hauendo concitato i Vinitiani, procedeste loro contro con censure. Francesco Guicciard. lib. 1.*

2 *Non vergogna, non verita, non fede, non religione. ibidem.*

3 *In vita Alex. 6.*

4 *Guicciar. lib. 1.*

5 *Guicciard. li. 5.*

6 *Guicciard. lib. 6.*

7 *Non tenne conto per conseguir il Pontificato di macular' la fede. Guiccia. lib. 6.*

8 *La chiesa puo venire contr' ogni contratto, & promessa. Guic. 8. Onuphr.*

9 *Onuphr. in Leon. 10.*

10 *Guicciar. li. 20*

11 *Era di poca fede. Guic. lib. 20.*

12 *Lettres monitoires de Gregoire 14.*

Romana enim Ecclesia fons est perfidiæ, & [1] Schola periurij; fidémque vitiosa nuce viliorem habet. Denique nec hominum curat existimationem, nec Dei religionem. Priusquam igitur accuset innocentes, contorqueat *Rossæus* peruersos suos oculos in horrenda Pontificum suorum scelera. Sic enim, si aliquid sapit, aut tacebit, aut erubescet.

[2] A perfidia ad auaritiæ, & sacrilegij accusationem pergit *Rossæus*; nobísque sacrilegam obijcit Ecclesiasticorum bonorum direptionem, templorúmque & Monasteriorum euersionem. Eóque nomine *Henricum* 8 primùm; deinde verò *Henricum* quartum *Gallorum* regem accusat. Eodem crimine inuoluit & *Iohannem Angliæ* regem: omnes denique religionem nostram professos, tanquam bonorum Ecclesiæ, & sacrorum raptores maximo clamore & latratu insectatur. Sed omnis huius accusatoris insectatio rixosa, est hominis potiùs amentis, quàm animosi clamatio. Nam quod ad Monasteria attinet; laudem potiùs, quàm accusationem merentur, qui ea diruerunt. Erant enim hominum impurorum lustra, luxuriosorum popinæ; proditionum, hæreseôs, & errorum nidi. Quod autem ad templa diuino cultui extructa attinet; non ea nostri diruerunt, sed conseruarunt. Si quæ autem per belli cladem diruta sunt, aut situ & incuriâ ceciderunt: non ea nostrorum hominum culpâ potiùs, quàm belli calamitate ruerunt. Ne aduersarij quidem, quæ in parte sua fuêre, templa & sacras ædes conseruare potuerunt. In schismate *Vrbani* sexti & *Clementis*, per vniuersam ferè *Italiam* & *Germaniam* perijt cultus diuinus; ædes sacræ, aut situ ceciderunt, aut dirutæ sunt. Sin autem ex gregarijs militibus aliqui fuerint apud nos petulantiores (quales re vera vtræque partes, non nisi nimis multos habuerunt:) non illud Ducibus, nec Ecclesiæ nostræ, quæ nihil eius probat; sed hominum potiùs intemperantiæ ascribendum est. Nam nec accusatores nostri impedire potuêre, quin milites sui multas sacras ædes expilarint, nonnullas etiam incenderint. *Vrbanus* sextus non tantùm fundos [3] distraxit Ecclesiasticos, sed etiam aureos & argenteos Calices, & Cruces, & Imagines diuendidit. In eius prætereà Pontificatu, non tantùm in *Italia*, sed etiam in vrbe Romana plurimæ Ecclesiæ collapsæ sunt. Respondemus itaque, sacrilegia nobis non probari. Fundorum enim, & bonorum Ecclesiasticorum rapinas, & spolia non minùs nos, quàm ipse *Rossæus*, execramur. Neque sanè alio magis adminiculo pontificia religio nititur. Nam dum homines docti se spoliatos iri vident, fortiter resistunt Pontificij, dum nostri præmia doctrinæ sublata vident, tardiores ad ministerium suscipiendum facti videntur. Inuehatur igitur *Rossæus*, & mala ingerat in istos æquissimos bonorum raptores plurima per me licet. Nunquam

[1] *Nido di tradimenti, in cui si coua, quanto mal per il mondo hoggi si spande. Petrarch. canto* 107. & 108.

[2] *p.*361.

[3] *Theodoric. à Niem. lib.* 1.

enim istorum sacrilegia defendam. Sciat tamen hoc crimen istis, qui inter nos versantur, non esse peculiare. Qui enim primus Monasteria expilauit apud nos, Cardinalis fuit *Wolsæus*. Apud *Gallos* & *Hispanos* plures Pontificum Rom.[a] permissu diuenditi sunt ecclesiarum fundi, quàm quos religionis falsa specie aliqui apud nos occuparunt, & diuiserunt. Monasteriorum possessiones & vendiderunt & donarunt *Vrbanus* sextus, & *Clemens*: *Pius* quartus distractis Monasterij sanctæ *Sabbæ* redditibus maximis, pecunias inde contractas fœnori locauit: dignior, qui *Iudæorum* more vsuras exerceret, quàm qui in populo Christiano Episcopatu fungeretur. Quare, vt fuerint inter nos aliqui sacrilegi bonorum Ecclesiasticorum prædones: non sunt tamen illa sacrilegia communi Ecclesiæ sententia probata. Imò, tantùm abest, vt pij probarint; vt & in *Scotia* fratres, & inter nos homines prudentes & docti illa magna verborum acerbitate detestati sint. Prætereà, quæ cladesq; belli importauit mala contra plurimorum sententiam; non sunt ea Ecclesiæ nostræ fidei accepta ferenda. Nam nec docemus bonorum Ecclesiasticorum rapinas, nec priuatorum infinitas cupiditates probamus. Deniq; vt sint inter nos plurimi hoc nomine mali; multò tamen sunt inter Pontificios deteriores. Apud nos bona tantùm Ecclesiastica rapiunt. Pontifices autem Romani & Verbum, & Sacramenta populo surripuerunt, maximúmque quæstum non tantùm ex bonis, sed etiam ex rebus sanctissimis fecerunt. Vendunt illi beneficia. Quid autem beneficia? Vendunt enim Sacra, Coronas, imò Cælum, Inferos, & Purgatorium; & ex maximis peccatis & flagitijs maximum quæstum faciunt: adeò vt apud nos in vna re peccetur; apud istos in infinitis; vt antè diximus, vbi de Pontificum Rom. moribus loquuti sumus. At nihil apud nos tale. Dicat *Rossæus*, si possit, quas Ecclesias exspoliarit *Lutherus*, *Caluinus*, aut alij ex nostris; aut quæ præda ad illos deuenerit. Obmutescet (sat scio) si suos cum nostris compararit. Omnes enim norunt mediocres nostrorum hominum esse fortunas. Illæ verò Rom. Ecclesiæ diuitiæ vnde sunt, nisi ex rapinis? Istæ igitur summæ opes, luxúsque Pontificum Persicus, licèt nos nihil loquamur; rapacitatem, auaritiam, sacrilegiáque Pontificum Rom. arguunt.

[a] Theodoric. à Niem. Onuph. in Pio 4.

At (inquit) vestri homines multos Episcopatus & Ecclesias Parochiales, nedum Monasteria diripuerunt. Quasi verò ex hominibus, Ecclesiæ pendeat fides, aut omnia istorum facta nobis sint præstanda. Quærat igitur aliqua alia tela *Rossæus*. Nam hæc vel corporis minima inclinatione, vel amictu discutimus. Ad intimos Ecclesiæ nostræ mores non penetrant. Neque enim sacrilegia, nec auaritiam hominum impiorum defendimus. Ipsis autem Pontificum Romanorum sacrilegia, & rapinæ,

&

& scelera, & præstanda & defendenda sunt, His igitur illi telis confixi cruciantur.

Obijcit prætereà nobis incestas libidines & stupra: grauitérq; eo nomine *Sanderus*, *Henricum 8.* lacerat, dignissimus ipse quem canes & corui lacerent. Huius sermonem subsequitur etiam multis maledictis, omnium bonorum famam qui rodere solet, *Rossæus*; quem subsequetur à tergo iusta quandóq; pœna. Omnes nos vulgò hoc nomine allatrant pontificiæ mensæ catuli, *quasi nec coniugalis fœderis, nec pudicitiæ, aut pudoris apud nos vlla ratio haberetur:* Magnámq; in spem veniunt hæc sua conuitia fidem vulgò habitura, quia istos in suis sacrificulis, & summis Pontificibus vident mores. Sed longè dispar est ratio. Nam vt non omnes apud nos, qui religionem profitentur, à labe immunes sint: tamen multò sunt Italis, & Hispanis nostri castiores. Apud nos nulla sunt lupanaria, nec prostibula publica; nec corpore mulieres publicè quæstum faciunt; nec ex quæstu meretricio principes redditus habent. Apud illos scortatio nulla lege coërcetur, incestus & stupra passim patrantur. Quæ igitur istos mala mens præcipites egit, vt nobis mores impuros obijcerent, quùm nec nos turpitudinis vllius conuincere, nec se purgare possint?

Henrici 8. regis Angliæ incestos [1] accusant mores: argumenta autem nulla afferunt. At si nec minoribus criminibus credendum sit sine argumento; quæ hæc flagitiosa est impudentia maxima crimina non modò sine argumento, sed etiam sine suspicione obijcere? Quin etiam *Sanderus* ille, ex cuius impudenti relatione reliqui hoc mendacium arripuerunt, sibijpsi fidem omnem abrogat. [2] *Pollicetur enim se expositurum non tantùm quæ ex publicis constabant Actis; sed quæ vel ex priuatorum scriptis, & verbis acceperat, vel ipse obseruauerat.* Multa autem ille mẽdacia audiuerat, multa malè intellexerat, complura ipse finxerat. Contra istum denique habemus vsitatas exceptiones: Nimirùm, esse illum inimicum, leuem, sordidum, ineptum, scurram publicum, & si quid tritius est: Mendacem denique scriptorem, qui in multis alijs mendax deprehensus est, quíque innocentes plures suo læsit testimonio: Et propterea ex iure [3] Canonico à testimonio esse repellendũ. Eędem exceptiones valent etiã contra reliquos eius generis calumniatores. Monachos *Henricus* tanquàm fucos ex monasterijs eiecit. Stabulum *Augiæ* tanquam alter *Hercules* purgauit. Erant enim monasteria fucorum aluearia flagitiorúmque & scelerum stabula. Quis igitur credat illis, qui ob tot potationes, comessationes, voluptates, amores amissos furore perciti in illum debacchantur? Quo nomine nec Pontificum Rom. affeclis vlla adhibenda est fides. Pontifices enim Romanos ille de ecclesiasticæ tyrannidis summo fastigio deturbauit, magnásque

[1] Sander. Ross.

[2] In præfat. in lib. de Schism.

[3] De testib. & attestat. vt suprà.

que illis ademit opes, & facultates; eorúmque sectatores ad famem, furorem, & restim adegit. Declamet igitur in *Henrici* mores quantùm libuerit *Rossens*, furoréque poëtico versus faciat poëta sanè pessimus, Orator multo deterior; non pluris tamen facienda est omnis eius commentatio, quàm hominis malitiosi furiosa declamatio. Succedat etiam ipsi *Bozius*, vocémq; sustollat quantùm possit: nemo tamen conducto rabulę auscultabit. Nunquam sanè isti efficient, vt non multùm omni probitate & morum moderatione *Henricus 8.* summos superarit Pontifices. Istos enim monumenta publica, & scriptorum fide dignorum testimonia nõ tantùm spurcitiei & incestus, sed etiam infandæ libidinis, & non nominandæ turpitudinis conuicerunt. *Henrici* autem incestum & libidines nunquam probabunt, Nam quod de amoribus *Henrici*, & vxoris *Thomæ Bolleny, Mariaq; Bollenia* maliciosè confinxit *Sanderus*, narrauítque libenter *Rosseus*, non tantùm ratione, sed & probabili suspicione caret. Cur non testé, non argumentum, non suspicioné profert? Contrà verò, hæc afferuntur signa & argumenta manifestissima. Nam quo tempore fingunt regé *Henricum Annam Bolleniam* ex furtiuis vxoris *Thomæ Bolleny* complexibus genuisse, nõ erat ille rex. nata est enim illa tempore *Henrici 7.* quo tempore adolescens erat ille sub pædagogi manu, rerum huiusmodi maximè ignarus. nupsit enim illa *Henrico* annum agens 25. rex autem tunc regnauerat annos circiter 23, natúsq; erat 40. quare quod aiunt *Tho. Bollenio* à rege in Galliam amandato, illum ex eius vxore *Annam Bolleniam* genuisse, fieri non potuit. nam nec rex adhuc erat, nec eum amandare tunc temporis potuit, nec nisi post aliquot annos in Galliam profectus est *Thomas Bollenius*.

1 Hall fol. 48. Stow fol. 828. — [1] Præterea quo tempore primum profectus erat in Galliam, iam aliquot annos nata erat eius filia, ter enim in Galliam profectus est *Thomas Bollenius*; primùm anno 1514. cum regis *Henrici* soror *Maria* nuberet *Ludouico* 12. iterum cum comitabatur Cardinalem *Volseium*, an. [2] 1521. Tertiò cùm vnà cum *Antonio Brounio* legationis ad Gallũ munus obiret, nec sanè alio tempore in Galliã profectus est.[3] quare cum nupsisset *Anna Bollenia* annum agens 25, nuptiæq; illæ an. Dom.[4] 1532. celebratæ essent, necesse est, vt illa iam nata fuerit ante eius profectionem primam, an. 1514. nam à prima eius profectione ad tempus nuptiarum intercedebant tantùm anni 17, adeò istorum fabulę non cohærent, vt quo tempore genitam fingunt, 6, aut 7 annos illa nata fuerit.

2 Hall. — 3 Stow 885. — 4 Sand. lib. 1.

Nec sanè fieri potuit vt per tempus legationis *Tho. Bolleny* in Gallia aut genita, aut nata fuerit, semel enim tantùm in Galliã profectus est legatus, ídq; vt dixi an. [5] 1527, quinq; nẽpè annos ante eius nuptias, adeò vt si eo tempore nata sit, quinquẽnem eam nupsisse oportuerit. Falsum est prǽterea

5 Stow.

eà quod dicit *Sanderus*, aliquo tempore *Tho. Bollenium* per biennium integrũ abfuisse, imò nec annum abfuit integrum, nedum bienniũ. Ex legatione ad imperatorem *Maximilianũ* statim redijt: nec diu quidẽ moratus est in Gallia, postquam regis sororẽ eò comitatus fuisset. quo autẽ tempore cum cardinale profectus est in Galliã, non vltra Caletũ penetrauit. vnde igitur scit *Rastallus* ille suppositititius, quę de diuturna eius narrauit absentia?

Nihil certè vniuersa hac *Sanders* narratione fabulosius. nam nec tempus conuenit, nec locus. quo tempore enim cum *Bollenij* vxore rem habuisse *Henricum* mentitur, nondum illa ad aulam peruenerat. nec partes narrationis cohęrent. dicit enim patrem *Annæ Bolleniæ*, quo totam rem impediret ex Gallia in Angliam transcurrisse, vt incestum hunc regi exponeret: mox totius rei oblitus narrat, & illum, & matrem in *Annæ* educatione magnos sumptus fecisse, vt regi tanto placere possent eius mores. nihil autem minùs verisimile, quam legatum aliquo missum, contra mandatum ausum esse reuerti. Nec probabilia sunt quæ intexuntur de *Tho. Bollenij* cum vxore dissidio, & vxoris pœnitentia. Hęc omnia ab ipso authore nec sane valdè prudenter conficta sunt. multi enim nunc viuunt qui vtrósq; norant, quorum testimonio iurato hæc refelluntur. nunquam fuit aliquod dissidiũ, nec causa dissidij, nec aliqua huiusmodi qualis fingitur aut regis ad *Thomam Bolleniũ*, aut vxoris ad virũ oratio, aut lis: fungóq; putidior fuit *Sanderus*, qui sibi nullas tabulas aut testes proferenti de re tanta quenquam crediturum putarit.

Cum igitur tot argumenta ostendant, quæ malitiosè scurræ impudẽtes ad *Henrici 8*, & reginæ serenissimę famã obscurandã excogitarunt, fieri nõ potuisse; quid opus est signa probabilia, vt facta nõ esse doceamus, colligere? adeò tamen illa multa sunt, vt cuiuis non planè iniquo rerũ ęstimatori hãc narrationẽ mendacissimã esse persuadere possint. nam primis regni temporibus nullam *Henrico* obijciunt ne aduersarij quidem libidinis labem. amauit enim suam *Catharinam*, nec ab ea diuelli potuit; prætereà adolescens erat, nondúmque Aulę didicerat mores. *Bollenia* autem illa erat castissima, & integerrima fœmina: eámque vt exemplum castitatis & pudicitiæ reliquæ mulieres suspiciebant, & admirabantur. sed vt fuerit qualẽ isti fingunt; sanè nec adeò erat bella, vt regium animum accendisse; nec iuuenis, vt tantulæ ętatis adolescentẽ, qualis eo tempore rex erat, eam deperisse, verisimile sit. quid igitur est? capitali odio propter causam pontificis, & monasteriorũ euersionẽ *Henricũ* prosequũtur: cúmq; alia ratione nocere nõ possint, famã tamen eius vel mortui lacerãt: quæq; ipsi quotidie faciunt homines vita profligatissimi, & turpissimi; ea de *Henrico* facta cõfingunt. Habemus itaq; aduersus istos iustissimas exceptiones: & vt nullas habe-

haberemus,& viuorum multorum conscientia, & acta multa publica hęc de *Bollenij* vxore mendacia refellunt.

De *Maria* autem Bollenia,ne minima quidem suspicio est,illam ab *Henrico* adamatam fuisse, multa autem faciunt,vt ad reliquorum mendaciorum cumulum hoc etiam adiunctum credamus: neque enim qui semel verecundiæ fines transilijt,facilè se intra veritatis cancellos continet.mendacium hoc multæ rationes refutant. multi enim iam viuunt eius summæ pudicitiæ, & pudoris testes, neque si impudicam fingere libuerit, vlla ad regem pertinere potuit suspicio : serò enim hæc ad aulam venit, quamprimùm autē ad pubertatē venit, cum Patre ab aula abfuit,diligētissiméq; materna cura asseruabatur,ne suspicione quidē aut coniectura aliqua ducuntur, qui contra eius famam, varias istas contumelias excogitarunt : cogitate igitur vtrum credendum sit ijs, qui & matrem, & filiam, earúmque mores optimè norunt, an *Sandero*, qui illo tempore vix natus erat,omniáq; vt meretrici Romanæ complaceret mentiturus videtur. Ne *Rastallus* quidem,aut *Englefeldius*, à quibus ille multa mendaciorum argumenta hausit, vel mulieres illas, vel aulæ per illa tempora mores norant. *Rastallus* enim rerum istarum imperitissimus, in iuris studijs consenuit. *Englefeldius* serò tandem temporibus Marianis, non tam propter rerum vsum aut prudentiam, quam propter superstitiosissimum eius erga idololatriam ecclesiæ Romanę animum ad aulam, & consilia Reginæ secretiora vocatus est. Hanc igitur de castissimis fœminis à perfidis transfugis excogitatam fabulam, nihil opus est vt pluribus refutem. omnes enim qui aut illas norunt,aut de illis aliquid audiuerunt,eam mente,& animo auersantur. nec causa est, cur *Henrici* octaui hoc nomine memoriam sugillent, à pontificiorum certè obscænis, & incestis moribus longè abfuit.

Habuit tamen complures vxores, inquit *Bozius* : habuit fateor, sed non vno tempore plures; habuitque lege, multorúmque exemplo. Sed si scelus sit habuisse plures vxores suas sibi inuicem succedentes: quid ille dicet de suis Pontificibus, & Cardinalibus, & pseudoepiscopis,qui [1] plures simul alunt meretrices, aliorúmque permolunt vxores, moribúsque sunt spurcissimis? si coniugium illi non placet pudicum, quomodo defendet lupanaria publica, vbi monachi & presbyteri, tanquam sues in cœno volutantur? quod negat ille potuisse, aut debuisse *Henricum* viua *Catharina* alias ducere; negarunt & alij ante ipsum complures, nec tamen quicquam profecerunt. nam & *Catharina* nuptias incestas fuisse, & illegitimas, & inualidas, & quæ sequutæ sunt legitimas; & ex legibus diuinis, & humanis, & authoritate hominum doctissimorum nostri sæ-

[1] Ioannes 13. & Alexand.6. & multi alij.

piùs probarunt, ne iste indoctus, nescio ex quo cœno emergens, sacrificulus, qui Lupanar vt Hircus olet, aliquid se fortius contrà afferre posse putet. neque quicquam in hac re fecit *Henricus*, nisi ex *Clementis* 7. sententia. nam licet postea contrarium senserit, primò tamen, *vt cum*[1] *quacunque muliere etiamsi matrimonium cum alia contraxisset, & etiamsi secundo consanguinitatis, aut primo affinitatis gradu, etiam ex quocunque licito, vel illicito* complexu prouueniente matrimonium contrahere liceret, bonus ille Pontifex dispensatione sub annulo piscatoris concessit. Videant igitur isti, ne si fateantur *Clementem* errasse, ruat fundamentum ecclesiæ Pontificiæ, omnésque impudentes Monachos, & sacrificulos vnà obruat, qui super hoc fundamento ædificati aduersus lucem veritatis clausis oculis andabatarum more pugnant. Cauéatque *Bozius* ne dum *Henrici* nuptias reprehendit, *Clementis* sui absolutam illam potestatem in dubium vocet; desinátque illa probra innocentibus objicere, quorum spurcissimi Pontifices, & alij eorum sectatores multiplici testimonio à nostris sæpiùs conuicti sunt.

[1] Ex bulla Clement. 7. ad Henric. 8. hæc transcripta sunt.

Sed vereor ne tanto interuallo à nobis disiunctus non audiat. nam non tantùm in *Henricum*, sed in omnes nos conuitia continenter iacit, adeóque ipsi hic pessimus mos insedit, vt linguam priùs ipsi, quàm linguæ petulantiam eripias. conuitijs, & Patrem, & filiam insectatur *Elizabetham*. Hanc ille non comica, sed Romanæ scholæ tragica licentia[2] impudentissimam lupam, scurra impudicus, & impudens appellat. ad Rom. enim vrbis similitudinem, & aliàs nationes moratas esse putauit. Hic enim ex illis est, qui in ganeis enutriti nullas esse fœminas castas putant. Legerat ille etiam fortasse Ariosti[3] de Aistulpho fabulam: memineràtque quales essent Rom. vrbis mores. ibi enim multę sunt eiusmodi lupę, & impudentissimæ, & impudicissimæ: multęque circumeunt matronarum habitu lupæ famosæ, adest summus Pontifex, idémq; truculētus lupus: éstq; Roma ipsa stabulū luparum, erátq; fortasse huic scurrę lupus genitor, & lupa mater, nec vspiā est libētiùs, quàm in intimo lupanari; soléntq; sacrificuli isti, & Monachi lupos superare rapacitate, & lupas salacitate, morésq; habent lupinos, & hirquinos; sed quid hoc ad *Elizabetham*, cur ipsa aliena laboret infamia? an quia rara est in monasterijs castitas, idcirco putabit ille hanc impudicam? cur non igitur huius tantę turpitudinis aliquam profert probationem? *Fama*, inquit, *hæc ita esse clamat.* Fama etiam infanda quædam de Pontificibus loquitur: nec fama tantùm, sed multi etiam testes locupletes. Famam autem hæc de *Elizabetha* distulisse, apud nos negamus, aut apud vllos bonos viros. quæ autē apud Romanos fama à transfugis & perfidis hostibus, & hominibus pessimis sparsa sit,

[2] Libro de signis ecclesi.

[3] Canto 28.

nihil est, quod moremur. quis enim os horum impudens occludere potest, ne loquantur malè? at,[1] inquit ille, *tres enixa est ex illicitis amoribus liberos.* Hui! tres? insignem videte hominis istius impudentiam, dicam an stultitiam? quod mentitur, est ea re impudens; quod parùm probabiliter; insigniter stultus. quid enim stultius, quàm ea de inimico dicere, quæ rerum ipsarum euidentia refellit? dicat igitur qui triplex de tribus istis Reginæ liberis vulgauit mendacium, quid illis factum sit? neque enim in fumos facilè illi abire potuerunt. dicat etiam vbi nati sunt? vbi educati? vbi mortui? quæ prætereà illi in partu adfuerunt obstetrices? quæ mulieres? neque enim solam verisimile est illam peperisse, & sine testibus: denique doceat vbi primus, vbi secundus, vbi tertius natus est ex tribus istis eius infantibus? nihil ne *Bozium* pudet? cur nullos tanti criminis profert testes? cur nullas recitat tabulas? nihîlne aliud ei propositum fuit, quam vt conuitiando lupas omnes superaret? at hoc Pontificiam causam non adiuuat, sed perdit, turpissimam enim oportet esse causam, quæ tam impudenti calumnia nititur. pergit tamen *Bozius* calumniari, & *Elizabethæ* non tantum impudicos, *sed etiam* [2] *crudos affingit mores.* nam & plures eam dicit habuisse amasios, & plures ex illis ad tegendam turpitudinem istam occidisse. & ita loquitur quasi illi de *Ioanna* Neapolitana, aut *Lucretia Alexandri sexti* filia sermo esset. sed quod caput est, quódque accusatoris maximè postulabat nomen, & officium, nihil docet; nihil argumento, aut teste confirmat. Prętereà nec amasios nominat, nec nomina cæsorum dicit, nec quomodo cæsi sunt, aut à quibus, aut quo tempore narrat: denique vt se quasi suo indicio calumniatorem prodat, crimina tantùm, & probra dicit, nec vllam probabilem eorum coniecturam affert. in maledictis igitur istis refutandis, quid multis opus est? ea enim & publica acta, & hominum omnium qui illam norunt scientia, & rerum euidentia, & leges nostræ, & *Elizabethæ* mitissimi mores refellunt. quare ne deinceps de *Elizabetha* obloquantur; sciant isti monachi, quæcunque in principe potest esse dignitas; in ea esse maximam. neque tantùm nostræ ætatis, sed etiam superiorum temporum & annalium fœminas superasse: itáque vixisse, vt nullam vel in gestibus insolentiam, vel in vultu immodestiam, vel in vita eius turpitudinis notam quisquam animaduertere posset. iustitiam diligenter coluit & fidem. Prudentiã eius & animi celsitudinem, quis non miretur? exquisita est doctrina. omnes autem reliquas laudes morũ moderatione superauit. pudeat itaq; illos lectissimæ fœminæ hæc tanta flagitia obiecisse. neq; enim vllam habet corporis partẽ quæ non omni sanctitate, & puritate os istorum monachorum, imò & summi pontificis superet,

[1] Bozius lib. de sig. eccles.

[2] Lib. 12. de sign. eccles. c. 3.

superet. Pontificij liberè amoribus potiuntur; nonnulli in ista turpitudine consenescunt; nec apud istos flagitiosum videtur meretrices consectari, ista verò hæc flagitia detestatur, nec indignam se fatetur, quæ malè audiat, si istorum more flagitiosè viuat. apud istos sanctimoniales sæpè pepererunt, imò quod portentosum est, peperit Pontifex, nec ista Pontificij vel flocci faciunt: hæc illicitos complexus non vita tantùm, sed & cogitatione abhorret. quare si huius famam integram conspurcare instituerint: non illis transfugis credendum, nec maledictis, sed argumentis, testibus, & tabulis pugnandum est.

Isti autem pro more militiæ Pontificiæ maledictis tantùm pugnant, & conuitijs. in eáque militia multa stipendia meruerunt. nam propter odium religionis *Elizabetha*, propter huius odium etiam matris iam pridem mortuæ memoriæ [1] obtrectant, fœminæque præstantissimæ cineres canes impurissimi latratibus suis vexant. eius enim mores impudicissimos fuisse, fingunt, & quamuis esset illa formosissima, ne formæ tamen Monachi isti, qui curiosi sunt formarum spectatores, parcunt. qua in re, si malitiæ ingenium istorum respondisset, fieri fortasse potuit, vt homines rerum imperiti mendacijs istis fidem habuissent: nunc autem adeò insulsè, & stultè, contráque historiarum fidem, & temporum rationem, & veritatem omnia narrantur, vt mendacia esse omnes etiam ex ipsa narratione intelligant. quis enim adeò insulsus est, vt *Henricum* octauum virum & vsu rerum pollentem, & in vxorum delectu satis prudentem, ne dicam curiosum, fœminam ita moratam, vt illi *Annam Bolleniam* fingunt, ex omnibus vnam sibi pro vxore delecturum putet? prætereà quis crediderit *Ludouicum* duodecimum iam senem effœtum, & qui vxorem habuit pulcherrimam, quam ipse summo amore complexus est, etiam [2] cum *Anna Bollenia* consueuisse? pugnant prætereà cum hac fabula, quæ ipsi de eius in domo cuiusdam nobilis [3] *Galli* educatione narrant. nam si in palatio viueret regio, quî potuit tam diu in ædibus Domini *Brierensis*, nescio cuius, commorari?

Nihil sanè in vniuersa hac fabula habetur, quod vlla similitudine veri quenquam ad credendum impellat. quo enim tempore in *Galliam* cum *Maria* quæ *Ludouico* duodecimo nupsit, profectam dicunt, annos pubertatis non attigerat. nec verisimile videtur, si in *Galliam* profecta fuisset, matrem sine comitatu matronæ alicuius pudicæ illam in alias terras amandaturam, aut Reginam *Mariam*, si cum ea maritus rem habuisset, eam perpessuram, aut si adeò impudica fuit, vt isti narrant, secum habituram. sed vt de [4] forma, quàm dentium eminentia, & digitorum numero, & atritate corporis, deturpatam esse fingunt, sic etiam

[1] *Biuio con tan grande liuiandad, que publicamente era llamada de los Franceses la haca, o yegua Inglesa, y despues la llamavan mula regia, Ribadineira en Sandero. lib. 1.*

[2] *La llamauan mula regia, por auer tenido con el rey de Francia amistad. Ribadineira ibidem.*

[3] Sander. de schism, lib. 1.

[4] *Entre los dientes de arriba le salia vno que la afeaua, tenia seys dedos &c. Ribadineira.*

tiam

tiam de moribus malitiosi isti transfugæ mentiuntur, quibus qui credit, is antiquatis canonibus, & legibus transfugis, & hostibus, & scurris turpissimis credendum putat, quibus nulla ratio credi patitur. sed isti non tam ratione quàm odio & malitia ad malè loquendum ducuntur. ab eodem fonte & reliqua istorum bustuariorum scurrarum in *Annam Boleniam* maledicta profecta sunt. nihil est igitur quod non vt fœminæ castissimæ *Annæ Boleniæ* memoriam gratis animis quæ huiusmodi lumen nobis produxit, conseruemus. educata est enim à matre castissima castè & pudicè: nec vllum in domo matris exemplum videre potuit alicuius turpitudinis, aut impudicitiæ. nec matris vnquam illi defuit etiam cùm apud alios viueret cura. ipsam enim comitabantur singulari grauitate matronæ pudicæ. nec licèt propter adulterium ab hominibus nequam accusata esset, & èo nomine iniusto supplicio affecta, vnquam aliquid admisit, cur non innocentissima videretur, moribus sanè pudicissimis fuit, summisque Pontificibus quos isti sanctissimos vocant, hoc nomine longè præstitit. sunt enim illi impurissimi, multásque eorum nos incestas & nefandas libidines in lucem produximus, quas nec ipsi negare possunt. non enim coniecturis, nec *Pasquilli* rhythmis, nec inimicorum maledictis, aut vulgi rumusculis, vt illi contra nos faciunt, sed testibus grauissimis, argumentísque validissimis quæ diximus, confirmauimus.

Nec si plura impuritatum & portentosarum libidinum propter quas maxima iampridem infamia Pontifices laborarunt, exempla proferre liberet, vnquam deesset oratio. mores *Alexandri* sexti *Guicciardinus*, qui & ipse Romanæ erat Ecclesiæ Cardinalis, testatur fuisse [1] impurissimos. *Lucretiam* enim filiam magis amauit, quàm decuit patrem: pluresque habuit ille ex diuersis meretricibus spurios, quos ille vt filios publicè habuit, & agnouit; licèt alij Pontifices, vt [2] velarent infamiam, spurios suos nepotes appellarint. huius filius *Cæsar Borgia* patri in amore filiæ riualis erat: vtrique omnium iudicio propter [3] libidines infandissimas, & turpitudines infames erant. hic sororis occidit maritum, quo liberiùs sorore potiretur. [4] *Calixtus* tertius spurium habuit *Petrum Borgiam*: & stolidus ille [5] *Innocentius* octauus *Franciscottum Cibum*, & filiam, liberorum ille gregibus se testatus est esse patrem. *Iulius* secundus ex vagis suis libidinibus vnam tantam habuit filiam notham nomine *Fœlicem*, calidam nempè & fœlicem meretricem. *Leo* decimus quia cæculus erat sororem suam *Magdalenam* ab alia distinguere non potuit. huic ille quæstum [6] indulgentiarum pro incestu præmium persoluit. erat illa vt fertur, timidiuscula, & propterea cum fratre cubitauit, timens cubare sola. omnes autem reliquos superauit verpus ille *Priapus Iulius* tertius, iste enim suos

[1] *Costumi oscenissimi. Guicciardin. lib. 1.*
[2] *Per velare in qualche parte l'infamia loro soleuano chiamarli nipoti. Guicciard. lib. 1.*
[3] *Guicciard. li. 5.*
[4] *Guicciard. li. 1.*
[5] *Guicciar. li. 11.*
[6] *Guicciar. li. 20.*

suos amores adeò parùm celauit, vt puerum sibi amatum cardinalitio galero ornarit. Innocentium de monte appellabant Itali: Romani sibilis prætereuntem excipiebant. famosus enim erat.

Paulus 3 ex muliere quadam Anconitana, quam periurijs suis decepit, genuit sibi simillimũ filium *Petrum Lusium.* nec sanè honori duxisset *Clemens 7*, si à priscis patrum moribus degenerasset: ipse spurius alios genuit spurios. ita enim nati erant eius plerique maiores. *Henrico 8* facultatem concessit [1] *vt cum consanguinea in secundo, cum affini in primo gradu contraheret matrimonium, etiam si cum alio antea illa contractum matrimonij inijsset.* sunt enim & nequam, & magistri nequitiæ. sed quid ego plures commemorem, cum plerique Rom. pontifices in amoribus liberiùs versari soleant, adeóque non turpis videatur incestus, vt facilè dispensent? duxit [2] *Ferdinandus* amitam suam ex dispensatione *Alexandri* sexti. *Philippus Hispanus* ex dispensatione pontificis neptem nunc in matrimonio habet. [3] *Martinus* autem papa dispensauit cum eo qui duxit in vxorem germanam suam sororem. Ex *Iulij* secundi dispensatione contendunt pontificij legitimas fuisse *Henrici* octaui cum fratris vxore nuptias. habent igitur pontificij causas grauissimas cur alijs incestum objiciant. quanto enim communius est crimen, tantò minùs graue videtur. eadem de causa etiam adulteria alijs objiciunt, nam exiguam habent illi matrimonij legitimi rationem, vtpote cum vulgò [4] adulterium committant, & adulteria inter minora crimina numerentur. præterea facilè separant illi matrimonia, cum *Carolo Magno* dispensauit [5] pontifex Romanus vt repudiata *Desiderij* filia aliam duceret vxorem, [6] eandem facultatem concessit *Alexander* sextus *Ludouico* duodecimo *Gallorum* regi. minùs enim peccatum est, vt disiungantur, quàm quod fecit *Cæsar Borgia*, vt interficiat quis maritum, vt vxore eiusdem potiatur, vel vt vxorem iuguler, vt ad alias conuolet nuptias. hæc ex historijs constant fidedignis, & ab ijs narrantur, quorum maximè intererat talem turpitudinem celatam esse. huiusmodi testimonia cur non proferunt contra *Henricum* octauum? cur inquam tacent? sciunt illi ideò illum repudiasse *Catharinam*, quod incestas horreret coniunctiones. huiusmodi autem apud istos copulæ peccata non habentur: lupanaria enim publicè probantur, scortatióque istis pro ludo est, & ioco. apage igitur istos non nauci homines, qui propriorum vulnerum abiecta cura, alienæ innocentiæ turpitudinis notam inurere conantur.

[7] Affert præterea ex *Archibaldo Hamiltonio Rossæus Scotos ita nunc ruere in Venerem, vt nec octogenarij à mulierum complexibus abstineant; nec ministri se ab aliorum vxoribus, aut ancillis temperent.* sed licèt fuerit ille

 archiscurra,

[1] Ex rescripto Clementis septimi Campegio dato.

[2] Guicciard. lib. 1.

[3] Summ. Angelic. dict. papa.

[4] C. at si clerici. de iudicijs.

[5] Vrsperg.

[6] Guicciard. lib. 4.

[7] Lib. 2. c. 29.

archiscurra, & ineptissimus omnium declamator, tamen neutrum dicit. Valdéque fidem suam in dubium vocat *Rosseus*, qui de homine amico tam insignitè mentitur. habeo ego librum : caput perlegi; nihil illum eius dixisse reperio. narrat ille loco à *Rosseo* citato fabulam de octogenario quodam presbytero Rom. quem si dixerit *Rosseus* in venerem ruere : contra suos testimonium dicit, & multò quidem veriùs, quàm contra suos *Scotos*.

Quid igitur meret iste mendax scurra, nisi vt *Archibaldus* ille *Hamiltonius* pugnorum sementem illi in os impudens faciat, vt verum posteà discat dicere? adeò certè furit, vt licet maximè cupiat suis nocere, probabilia tamen mendacia fingere nesciat. narrat quidem *Archibaldus* ille prolixam fabulam de ministrorum libidine : sed bonus ille fabulator nomen nullius dicit. exciderant nempe ei ex patria fugienti hominum illorum nomina; imò & omnes probationes. tantùm, vt eum omnes, vt scurram vanissimum deputent, affert detortas quasdam ex *Luthero* sententias, quasi ille aut concubinatum, aut veneris vetitum vsum probaret.

Sed adeò ab istis moribus alienus erat *Lutherus*, vt eius omnis vita ab omni turpitudinis suspicione abhorruerit. Rogandus est itaque *Rosseus*, vt cum nec scortatio, nec stupra, imò nec incestus, nec infandæ libidines vllam apud pontificios habeant turpitudinem, vt parciùs nobis honesta exprobret coniugia. Legátque quæ de pontificiorum libidinosa, & execranda vita anteà diximus. sin autem nullo argumento perrexerit conuitiari : tot ego illi ex pontificibus Romanis, & cardinalibus, & pseudoepiscopis, & sacrificulis, & probrosis monachis ex varijs annalium monumentis proferam pædicones, priapos, venereos nepotulos, ganeones, & puerorum & viduarum corruptores; vt oculos sibi effodiri optaturus sit, ne tam turpem sociorum suorum cateruam conspiciat : omnésque facilè agnoscant illos non tam ecclesiam, quàm Sodomorum cloacam esse.

Bozinum autem *Eugubinum* scriptorem lutulentum, & insulsum, nihil est quod rogem. monendus est potiùs, vt quum longo, & futili suo de centum signis ecclesiæ tractatu, (in quo nullum est hominis politi, aut docti, aut probi signum, aut vestigium, sed sunt malitiæ, & stultitiæ signa sexcenta) lectores suos enecarit, deinceps taceat. nam licet mentiendo & calumniando reliquis propè omnibus palmam præripuerit, adeò tamen inepta sunt, & insulsa quæ dicit omnia, adeóque probationibus destituta, vt non tam argumentis refutanda, quàm sibilis ejicienda videantur.

Quid

Quid enim illi in mentem venit, *Lutherum, & Caluinum cum* [1] *Heliogabalo, & Domitiano comparare?* aut nobis omnibus flagitiosam nescio quam in moribus obscœnitatem obijcere? quis illi renuntiauit aut de *Caluino* & *Luthero* virginibus eos vitia obtulisse, aut nihil apud nos fieri secundum leges, aut mores maiorum? ista quidem in Pontifices Romanos rectiùs quadrant, qui *Heliogabalum*, non tantùm obscœnitate, sed & edacitate; *Domitianum* crudelitate & superbia longo interuallo post se reliquerunt.

[1] Lib. 12. c. 6. de signis Ecclesr.

Quid enim aliud fecit *Leo* decimus obsecro, quàm vt ventri & voluptatibus inseruiret? illum tamen *Alexander* sextus omni spurcitie superauit. valdéque doluisset *Iulius* tertius, nisi omni fœditate helluonibus, ganeonibus & irrumatoribus præiuisset.

Quid reliquos commemorem, cùm nihil sit obscœnius posterioribus his Pontificibus omnibus? neque enim vllis illi legibus, aut diuinis, aut humanis se teneri passi sunt. nam quasi nihil de adulterio præceptum esset, ita liberè scortantur, & in adulterijs, & stupris volutantur. neque hoc tantùm ex testimonijs constat aliorum, sed etiam ex confessionibus proprijs, & nothis quos illi amore palàm vt filios complexi sunt; facilè etiam vt dictum est cum incestis nuptijs dispensant; nec vllas seruant aut de gradibus consanguinitatis aut alijs matrimonij impedimentis leges. scortationes susque deque habent; imo ex scortis magnum vectigal habent.

Quod autem ad *Lutherum* attinet, ab omni abhorrebant obscænitatis suspicione eius mores. vxorem duxit probam mulierem, qua cum sola ad senectutem vixit. vagas ille Pontificiorum libidines summa acerbitate insectatus est. nec, quod illi passim obijciunt, *cum ancillis nempe eum & consueuisse, & mariti cum ancillis concubitum, cum vxor refractaria esset, probasse, & suasisse*, verisimile est. maritorum enim potiùs mores, qui vxores ancillarum amoribus prætensis deterrere solent, descripsit, quàm probauit.

Caluini autem vita omni nihil sanctius, nec *Bolseco*, qui ex eius calumnia honorem quæsiuit, impudentius. Infandi enim eius quod illi obijcit criminis alteriúsue turpitudinis nullum vnquam extitit aut signum, aut vestigium. lilium eius humero inustum fingit. sed propter huiusmodi scelera, non nota turpitudinis inurenda, sed mors infligenda erat. nec si fuisset vitæ tam infamis, tantam inimicorum diligentiam latere potuisset. quod nullus eo viuo resciuit, qui potuit *Bolsecus* iste rescire post mortem? mentiri *Bolsecum*, illud etiam indicat, quod mortuo crimina obijcit, quæ viuo nemo obijcere ausus est.

Nempe

Nempe vt à Pontificijs panem emendicaret omnia hæc crimina cófinxit, nullum certè profert argumentũ,nec probabile indicium. si quæ attulerit, omnia ipse à suo maledico ingenio prompsit. *Bozio* autem crimen est, *quod Lutherus cum sanctimoniali*, vt vocant,*matrimonium contraxit*. Adeò maximæ istæ calumniæ non cohærent. quid enim insulsius, quàm vt *Caluinus*,& *Lutherus Heliogabalo* dicantur deteriores,quod ille post vota fœminas nubere posse dixerit, hic virginem vt vocant consecratam duxerit? nihil enim illi contra leges diuinas ea in re fecerunt. longè certè grauius delinqunt ij qui libidinum flammis exardescũnt, quos tamen isti vt summè sanctos admirantur,& laudant. omnis hæc votorum superstitio à gentibus profecta, mala consuetudine à Christianis vsurpata, stolidéque defensa magnorum in Ecclesia Dei malorum causa facta est. nihil huiusmodi in lege Domini præceptum, nihil in priscæ Ecclesiæ moribus vsitatum. Quæ igitur hæc insania hominis imperiti fuit, vt quæ magno isto omnino retenta, nullóqne præcepto inuecta sunt, ea neglecta reprehendat: honestúmque coniugium, quod castitas est, legéque diuina multis verbis laudatur, tanta verborum acerbitate persequatur? de nobis autem quoniam tanto interuallo à nobis disiunctus res nostras non intelligit, sic accipiat. in coniugijs sequi nos primum leges diuinas, deinde scripta patrum, nec improbare si quæ in iure canonico reperta sunt rectè præcepta. tantùm incestas copulas, & impias Pontificum Rom. dispensationes repudiamus. Quare nisi quid nos contra leges diuinas fecisse probare possit: missas faciat *Bozius* iste quisquis fuerit,putidas has contra nos calumnias: discatq; quid apud nos geratur, priusquam noctuinis suis oculis aliena, & sua intuens, aut sua laudet, aut aliena reprehendat. Atque ista quidem ad istorum de morum nostrorum obscœnitate, & reliqua nobis obiecta morum turpitudine calumnias respondisse satis erat, nisi mihi & *Vlenbergius* quidam,& alij qui in fastum, & maledicentiam, & iniustitiam nostrorum hominum prolixas declamationes ediderunt, castigationem non dissimilem meruisse viderentur.

In *Luthero* enim *Vlenbergius, fastum nescio quem, & intolerandam superbiam reprehendit*. prodijt enim fortasse diademate regio, vestibúsque cocco,& auro radiantibus insignis: conculcauit etiam summos principes: humeris hominum sublimis ferebatur: diuinos sibi arrogauit honores: magistratuum iura contempsit. hæc sanè si fecit, non negamus quin superbissimus fuerit. at ista nec dicunt isti, nec in *Lutheri*, aut nostrorum cuiusquam humilitatem conueniunt. sunt enim Pontificum Rom. propria facinora. quid igitur fecit? *Henrico* (inquit ille) *regi Angliæ & Episcopo Moguntino imo & Leoni decimo acerbè respondit*, *& de ijs malè locutus est*.

at si

at si hoc sit superbiæ argumentum, erit *Rosseus*, & *Sanderus*; erunt & reliqui scurræ, qui de eodem *Henrico* pessimè loquuntur superbissimi. & sanè sunt. nam omnes summos, imos, medios, qui Pontificiæ sectæ aduersantur, linguæ suæ procacitate pariter lacerant. *Lutherus* autem præ istis canibus modestus erat. nec debuerunt illi qui cum *Luthero* certare instituerunt, quo minus ab illo conuulnerarentur, recusare. nam vt in acie; sic in causæ controuersia quicunque se aduersus nos offerunt repellendi sunt. si igitur nostrorum hominum actiones & res gestas scrutetur, vt ibidem superbiæ inueniat vestigia, errat *Vlenbergius*. vt redeat in viam, festinet ad sedem Pontificiam: ibi videbit superbiam antichristi exaltati supra omne quod vocatur Deus. videbit inquam non nisi summis viris ipsius pedes licere suauiari. ipsi in lucro erit, si vel matulam Pontificis ipsi osculari liceat. Pontifices Rom. in sella sedentes sublimes Imperatores summos ad pedes suos prouoluerunt in luto. cum ipsi equitant, summos principes pedibus comitari postulant, Magistratus iura conculcant. *Guicciardinus Alexandri* sexti fastum & superbiam notauit summam: factis & dictis ipsi cõprobarunt se esse superbissimos: principes direpta sua maiestate senserunt. sed de hac summa pontificum superbia diximus iam anteà satis.

Lutherum etiam idem propter[1] *calumnias, & maledicta, & iocos reprehēdit.* [1] Caus. 14. caus. 8. nihil enim *Lutheri* huic graui morum magistro placet. sed non plus iste quàm matula sapit. quę enim huic calūniæ videntur, ea sunt verissima hominis solertis contra istos testimonia, nempe religionē Christi veram pontifices Rom. suo fermento, & superstitione infecisse, & idololatriam in ecclesiam in imaginum cultu inuexisse: & quæ à nostris in illos vulgò dici solent, si sint calumnię, quid cessat ille, & non protenus eas refutat? quę autē in istos dicuntur salsè & facetè, ea sunt non maledicta, sed optimè dicta. dicuntur enim in optimè meritos. adeóq; multa sunt in religione Pontificia inepta, vt si ille Crassus Agelastos adesset, non posset ille risu abstinere.

Quis enim non rideat quod aiunt hominem insulsum, & indoctum, (huiusmodi enim solent esse plerique Pontifices Romani) errare non posse definitiuè in Cathedra pronuntiantem sententiam? Nam qui in ganeo, & popina, & triclinio errare potest, cur non ille erret sedens ebrius in Cathedra? annon errauit *Alexander Sextus* cùm putauit se vinum merum bibere, ille autem bibit mixtum veneno? errauit sanè, fuitque error ille grauissimus, & capitalis. Nam ex illo errore post paucas horas mortuus est. quis porrò non rideat Papam istum dici & caput & fundamentum, & tamen manere Ecclesiam pręciso hoc capite, & diruto fundamento? quis non rideat, quòd quem illi, vt suum Deum in terris venerantur, eum exiguo veneno toties extinctum videre liceat? quis denique non

risu moriatur, cum ex capite ecclesiæ, hoc est *Ioanna* Papa audiet puerum, tanquam ex Iouis cerebro natum? non tamen fuit ille qui natus est Minerua; nec erat Iupiter ille qui peperit, sed *Ioanna* meretrix. sexcenta sunt in hoc vno argumento ridicula. quæ nisi ex ligno ficulneo fabrefacta statua esset *Vlenbergius*, non posset non ridere.

Sed si calumniari, malè loqui, & iocari scelus sit; quid est, quod vulgò Pontificij ita calumniantur, & malè loquuntur, vt reliquis omnibus facilè palmam præripiant? conantur quidē etiam iocari. sed adeò ringuntur Pōtificis sui iam impendente ruinâ, vt ad fletum potiùs, quàm risum facti videantur, sæpiúsq; nos gladio, quàm dicto percutiant. de calumnia *Rossæus* caput calumniæ testis erit. propè hunc astabit *Bellarminus* amarulentus ille sycophanta, neq; enim vllos legi qui libentiùs mendacium dicunt, quodq; deterius est, qui malitiosiùs mentiuntur. longo interuallo post sequitur *Hamiltonius* qui materiam mendaciorum suo *Rossæo* mendaciorū non imperito fabro præbet. sed si me audire voluerit, cùm nihil habet quod agat, tundat hoc insanum in incude caput. adest & *Vlenbergius*, & ponè eum bubalo ingenio *Bozius*: vterque calumniatorum turmæ ductor; sed sine aculeis aut mica salis; sequitur deinde turma vniuersa, & in ea præcipui *Stapletonus*, *Bristous*, & *Rishtonus*. nam *Sanderus* propter mendacia, quia nihil proficeret, rabie correptus est, & à pediculis exesus pœnas dedit. isti *Caluinum*, & *Lutherū Arrianismi*, & aliarū hæreseōn acccusant, & alternis ferè verbis ea dixisse, & sensisse dicunt, quæ magno illi acumine, & verborū asperitate redarguunt, præcipuū autem locū merentur Pontifices Rom. summi enim sunt ijdem calumniatores. ea enim flagitia[1] *Elizabethæ*, *Henrico 8*, & *Henrico Gallorum* regi impingunt, quæ nunquam vel fecērunt, aut cogitarunt.

[1] In Bulla Pii quinti, & Didaci canonizat.

Omnes etiam isti crudi sunt, & acres conuitiatores; neque ego aliunde quæro conuitiorum argumenta, quam ex bullis Pontificijs, istos vero Pōtificū Rom. sociennos *Rossæum* nempe & *Bellar*, ne pudeat se à summi Pontificis vestigijs non esse digressos. *Henricum 8*, sceleratus ille[2] *Paulus 3*, impietatis, erroris, sceleris accusat, eumq; tādem Christiana sepultura indignum, canis impudicus pronuntiat. *Elizabethā* lectissimam & optimam fœminā, quæ in regni administratione diuturna omnes propè viros, & æquitate & amore erga subditos, & viros & fœminas superauit,[3] *Pius 5* ore impudico, & impuro *flagitiorum seruā, & hæreticam vocat.* non dicam omnia, sunt enim tam bona principe indigna, & quæ dicātur à scurra, & fraterculo, qualis ille fuit, dignissima. Multa etiam protonotarius quidā diabolicus *Petrus*[4] *Galesinius* ex *Sixti 5* sententia in eandem euomuit maledicta. canonizationemq; sui *Didaci* quam ominibus optimis prosequi debuit, execrationibus & maledictis deturpauit. In horum vestigijs insistens *Sixtus 5* mordax

[2] In Bulla excom.

[3] In Pij 5. Bulla.

[4] In canonizat. Didaci ad Philippum Hispanum inscripta.

mordax & ille conuitiator multa in *Henricum Gallorũ* regem,& principem *Condensem* [1]scurrilia coniecit conuitia, appellat eos *iræ filios,hæreticos*,quęq; in theatris dici solent in improbissimos. illud verò non tantùm cum præceptis pugnat diuinis,sed *etiã cum cõmuni humanitatis lege,vt principibus populi dicatur cõtumelia*.sed quid ab illis aliud expectemus qui dicunt;*linguas habemus,volumus male loqui?* est autem ridiculũ Põtifices Rom.qui[2]iactant se tanquam luciferi filios,& aiunt se alios in infernũ deturbare posse,ipsos in infernũ profectos,reges quibus maledixerunt in regni solio reliquisse, atq; ne in nos tantùm putemus istos maledicos esse,omnibus maledictis *Gregorius 7*, Imperatorem *Henricum* proscidit : nec aliter egit *Iulius 2*, cum [3]*Ludouico 12*: nam abrogato ei Christianissimi regis titulo, & regno, omnibus eum contumelijs obruit, sed nisi armis plus quàm oratione nocuisset,ne flocci quidem ille fecisset caninam *Iulij* facundiam.

[1] In Bulla Sixti quinti.
[2] Ibidem.
[3] Guicciard. lib. 11.

Neq; solet quisquam nostrûm ipsis Pontificibus vel ineptiùs iocari,vel dicta dicere.cum *Cæsar Borgia* summa perfidia,& immanitate[4]*Paulum Vitellium*,ducem *Graminẽsem*, & alios viros nobilissimos *Senogalliæ* occidisset, salsè risit *Alexander 6, dictisq;* [5] *eos mortuos prosecutus est. Leo* autem *10* & *iocis scurrilibus audiendis,& dicendis* multùm delectatus est. *Clemens 7* erat *ille* [6] *malignus,& tetricus*; tamen soluebatur nonnunquam in risum. erat & [7] *Pius 4* etiam *Onuphrij* confessione magis in risum profusus, quàm Pontificem deceret. *Iulius* autem *3* ille,qui(vt inquit [8] *Onuphrius*)*abdicata rerum omnium cura hilaritati,& genio indulsit*; *leuibus & inanibus dictis non sine rubore aut risu audientium,maiestatem Pontificis valde minuebat*.quare si aliqui ex nostris soliti sunt asinos istos dictorũ aculeis leuiter repungere: concedat illud nobis *Vlenbergius*,cum asini isti Pontificij tædio suorum dictorum & importunitate homines enecare, & calcibus nos incursare soleant. sin verò in nos fuerit durior, illos non tam aculeis pungemus,quàm fustibus contusos molliores quàm cinædos posthac faciemus.

[4] Guicciard, lib. 5.
[5] *Motteggiando il Papa, dedito a udir musica & Buffoni*, Guicciard, lib. 14.
[6] Guicciard. lib. 16.
[7] Onuphr, in Pio 4
[8] In Iulio 3.

Nostros etiam homines vt ambitiosos taxat, & luxui deditos fuisse criminatur [9] *Vlenbergius*: quod nec sine risu legi, quis enim non rideat summam huius belluæ stultitiam, qui ea in nos contorsit conuitia,quæ à nobis maximè aliena sunt, in Pontificios ita aptè quadrant, vt in nostros fundens dicta,suos & aptè descripsisse, & confixisse videatur ? Quid enim ambirent *Lutherus*, *Caluinus*, *Zuinglius*, & reliqui nostri? aut quo nomine eos luxus accusare potest ? fuere enim ex medio ciuium numero: honores nullos expetebant; nec præter ministerij gradum, aliam conditionem postulabant. opes ipsis erant tenues, victus frugi, & parcus ; ex bonis *Caluini* auctione facta , non plus trecentis aureis corradi potuit. vestes omnibus erant communes, & vulgares.

[9] Caul, 5,& 8.

Quid est igitur vnde illos fuisse ambitiosos, & luxuriosos arguat, vt potiùs argumentari quàm conuitiari videatur? Si nihil habeat quod dicat, legat quæ nos iam antea in istorum ambitionem & luxum diximus. respectet ad *Iulij* secundi mores, & ad ventres Pontificios, & Monasticarum hararum lurcones. sunt enim illi ambitiosissimi, & luxuriosissimi. neque apud istos multi sunt, quin ambitione & pecunia ad summum ascendant fastigium, & edendo distenti moriantur.

In vestitu præterea, & omni vita non tam Episcopos, quàm summos Imperatores, imò profusissimum illum *Heliogabalum* imitari videntur. vestitus auro & purpura splendet: mensæ omnibus lautitijs sunt refertissimæ: habent præterea ad manum scortorum, & cinædorum greges: in quibus licèt maximas pecunias profundant (*Leo* enim decimus in vno inaugurationis die insumpsit [1] centum aureorum millia, & in sororem Magdalenam profudit *Germanicarum* indulgentiarum reditus) infinitos tamen nonnulli pòst se aggestos thesauros reliquere. *Iohannes* [2] vicesimus secundus, licèt maximos in bellis sumptus fecisset, vtpote qui se potiùs vt bellatorem, quàm Episcopum gessisset; reliquit tamen in Pontificio ærario trigecies centies coronatorum, seu vt vulgò numerant tres millionas, vt *Germani* numerant triginta tonnas auri. apagè igitur hunc asinum qui innocentissimis, & humillimis hominibus ambitionem & luxum obijcit, quum habeat summos Pontifices, qui ambitione tyrannos, luxu nepotes profusissimos superarunt; quos tamen illi defendant necesse est, nisi causam suam prodere maluerint.

Postremò in perturbationem reip. quam apud nos esse fingunt [3] inuehuntur. tyrannos enim rerum potiri, ærarium bellis, plebem tributis exhauriri: omniáque pro vnius arbitrio geri: nusquam iustitiæ, aut innocentiæ locum esse. cuius rei culpam licet religionis veræ professoribus communem esse velint: vnum tamen præcipuè, vt horum omnium malorum causam designant illustrissimum virum *Gulielmum Cecilium*. huic enim propter fidelissimam in religionis instauratione, & communium hostium huius regni iustissima vindicta, & vltione, & principi, & huic regno nauatam operam malè volunt. ad quæ omnia breuis nobis parata est, & expedita responsio. nam nec vera sunt quæ scurra iste de perturbatione reipublicæ, & paucorum potentia blatit, nec vllæ sunt huiusmodi populi quales ille fingit, de tributis, & indictionibus, aut de iniustitia querelæ. de perturbatione reip. quam apud nos esse cupiunt, & fingunt, respondebit pacis diuturnitas, populi opes, multorúmque erga præsentem statum amor; multáque reipublicæ parata præsidia. neque enim vel tam diuturnam habuissemus pacem, nec ad tantas peruenisset hoc regnum opes, nec tam

[1] Guicciard. lib. 11.

[2] In vita Iohan. 22. ad extrauag. Plat. in 23.

[3] In libello quodam famoso inscript. A declaration of the true causes of troubles pretended against England.

tam diu quieuisset populus, nisi rectè constitutis rebus, nec causa est, tot vndique & armorum & militum, & sociorum foris, & legum domi paratis præsidijs; quin benè & de diuina erga nos voluntate, & rerum futurarum successu speremus. Triginta quatuor iam annos bello vicinas regiones concutiente nobis datum fuit alta pace (nisi quid per pontificis furias turbatum fuerit) frui. vicinis fame laborantibus, nobis omnia abundè prouenerunt. ex eo quod nobis superfuit, aliquid etiam ad *Hispanos*, reliquósque hostes nostros redundauit. nunquam vel in annalium memoria tantæ fuerunt huius regni opes. nunquam ad rempublicam defendendam ciues fuerunt alacriores. quæ omnia hanc de rerum apud nos perturbatione ab hoc scurra confictam & à Ribadineira repetitam fabulam redarguunt. sed nihil opus est alio argumento, quàm quòd hostibus nostris hic rerum displicet status: nunquam sanè si ruiturus esset displicuisset.

Viuimus autem hic in *Anglia* sub principe optima, & clementissima; nec cuiusquam tantùm sub ea valent opes, vt non plus possint leges: nec bona raptantur cuiusquam per iniuriam: nec fundos aut bona reliqua alia ratione quisquam, aut adipiscitur, aut amittit, quàm per leges. imò si principi sit cum priuato negotium, non ipsius placitis, sed legibus controuersia dijudicatur. nulli denique vita eripitur, imò nec damnum infertur contra patrias leges. nec adeò magna cuiusquam est potentia, quin lege minor sit; nec adeò afflicta conditio, vt non possit apud iudices contra potentissimos quosque ius suum obtinere.

Nulla autem aut nobis imponuntur aut conferuntur tributa, nisi ex cõmuni omnium consensu, & decreto post generalem ordinum regni conuentum. Quæ autem hactenus ex consensu populi concessa sunt: ea libentissimè populus soluit; quadruplúmq; si maioribus rem viribus aggredi Regina instituerit persoluet. vectigal autem nullum penditur, nisi pro more regionis: idq; pro rebus paucissimis. Nec enim pro ijs rebus quibus vescimur, aut quibus vestimur, aut ad ornatum vtimur, vectigal soluitur. Nec aliquid pro fructibus fundorum, aut animalium principi debetur. quid igitur huic scurræ in mentem venit, vt clementissimam principem tyrannidis, vniuersos regni ordines & magistratus neglectæ reipublicæ, regnum hoc iniustitiæ, accusaret? aut quid [1] Ribadineira frons erat, vt ab ecclesiæ ministris partem tertiam, à nobilibus quartam, à reliquis omnibus quintam omnium fructuum quotannis apud nos exigi diceret? itane verò? qui partim à rege, partim à pontifice, ad intima ossa & viscera deglubuntur, & nihil habent ab expilationibus tutum, verúmne est illos nobis tributa, & indictiones impositas queri?

Atqui vt deinceps, ab hac molestia & cura liberentur, sciant præ Hispanica

[1] *Ha llegado a mendar, que los ecclesiasticos le paguen la tercera parte de sus rentas de cada vn anno, y los nobles y caualleros la quarta, y la quinta la gente popular.* Ribadineira p. 370.

ſpanica tyrannide omnia apud nos onera leuia eſſe, tantúmque abeſſe vt nobiles quartam ſoluant, vt ferè nihil ſoluant, reliqui parum ſoluant, omniáque apud nos tributa leuiſſima eſſe, nec quenquam non fœlicem ſuam ſortem putare. nos enim non tantùm legum beneficio libertate fruimur, & iuſtitia à vi, & iniuria defendimur, ſed ſummis etiam, & indigenæ & peregrini beneficijs vſi ſumus. nam & à ſeruitute pontificia liberati veram fidem ſine periculo profitemur, & pontificias expilationes, non amplius ſentimus, & pacis omnibus bonis affluimus. atque vtinam dum omnia nobis à diuina clementia ſuppeditata ſunt, non aduerſus ipſum pro tantis beneficijs nos ingratos oſtenderemus. vigent leges, non arma: non eripiuntur nobis liberi: non affertur vis corporibus noſtris: exiguum vectigal in foro venalitio ſoluitur: non metuimus aut hoſtium inſidias, aut vires. quibus nos beneficijs ſi principis beneficio per *Cecilij* conſilia vſi magna ex parte fuerimus: habemus cauſas grauiſſimas, cur ipſi gratias agamus, vt ipſi opes, aut gratiam, aut honores inuideat quiſquam, nihil habet. is enim vniuerſam ſuam ætatem in regni negotijs detriuit: nec quicquam habuit in omni vita antiquius, quàm vt reipublicæ conſuleret.

Quæ primis regni *Elizabethæ* temporibus nos circumſtetit periculorum nubes, per illum potiſſimum diſcuſſa eſt. foris enim pacem fecit: domi & religionis, & reipublicæ res perturbatas princeps ex ipſius conſilio compoſuit: clandeſtinas quorundam contra reginæ optimæ caput coniurationes ipſe omnium primus quaſi in continua ſpecula pro eius & reipublicæ ſalute excubans detexit: rebelles ipſius conſilijs ex aperto latrocinio in fugam acti ſunt: vniuerſo denique huius reginæ regni tempore pacem cum vicinis antiquiſſimam habuit. poſtquam verò pace frui per hominum quorundam fraudes non licuiſſet; ita tamen vim hoſtium arcet, vt omnes intelligant nihil ipſum malle quàm pacem, nec minùs metuere, quàm bellum. nam partim conſilijs, partim armis, & in *Belgio* & Gallia ita fregit hoſtium vim, vt hunc potiſſimum ſuis inceptis obſtitiſſe ſentiant. quæ eo audaciùs prædicamus, quòd ſereniſſima princeps, & huius potiſſimum conſilijs vſa eſt, & eiuſdem opera & labore ſe multa, magna, & ardua negotia explicaſſe libenter agnoſcit. quid igitur mirandum ſi maximis laboribus maximos adeptus ſit honores? præſertim verò cum nec fraudibus, nec rapinis, ſed principis gratia, & induſtria ſua, virtutibúſque maximis, ad ampliſſimum hunc & excelſum peruenerit dignitatis gradum.

Nam quæ ab aduerſarijs eius, & hoſtibus huius reipublicæ (eos enim habet aduerſarios, qui nobis omnibus populóque *Anglico* hoſtes ſunt)

deformandæ eius dignitatis gratia dici solent: conuitia sunt potiùs maledicorum scurrarum, quàm grauium accusatorum crimina. objiciunt quidem eum temporibus *Marianis* Rom. superstitionis studium simulasse; eáque ratione aditum sibi ad honores quæsiuisse. sed longiùs ille temporibus *Edouardi* progressus erat, quàm vt sibi aliquem ad pontificiorum gratiam futurum fuisse receptum speraret. sententiam autem de religione semper vnam habuit: *vt viam vnam, & cor vnum*. ideóque cum tuto non posset publicè: vt prudentes solent nautæ procellam imminentem prospicientes armamenta componere & vela contrahere: sic composuit se ad otium: fugit turbam & multitudinem, & domi suæ se continuit. falsum est igitur quod aiunt, illum honores quæsisse temporibus *Marianis*: illud autem non tantùm falsum, sed ab omni probabili ratione etiam alienum est, quod hac via ad honores capessendos ingressum putent. quod autem ex vtilitate religionem illum metiri solitum fingunt, graue est, & peruulgatum in homines prudentes, & *πολιτικούς* conuitium. sed si quisquam alius, ipse ab huiusmodi impietate semper abhorruit: neque si ille vtilitatem quæsiuisset, tot inimicitias, tantámque dimicationem cum *Hispano* & pontifice, & omnibus huius reipublicæ hostibus hoc vno nomine suscepisset. nec verisimile est illum aliquid simulasse, licèt eo nomine illum nonnulli accusent. nam pontificij nihil aliud queruntur, quàm nimis illum se apertè sibi inimicum declarasse.

Solent etiam nonnulli eum nuper, vt nouæ ecclesiæ disciplinæ studiosiorem traducere: sed nec ille horum intempestiuas vnquam probauit contentiones, & rixas, nec hodiè probat: quod nemini obscurum esse potest. objiciunt porrò illum se in alienis negotijs intromisisse, & de ecclesiasticis negotijs, & concionatoribus constituendis cum archiepiscо *Cantuariensi* contendisse. sed hoc mendacium & archiepiscopi testimonio, & rei euidentia refutatur. neque tantùm est ei otium, vt aliena curet: nec sanè alienam prouinciam suscipere voluit.

Istos autem non pudet tyrannidem & ambitionem nedum curiositatem illi objicere. sed de ambitione respondet & reginæ erga illum perpetua & constans beneuolentia, & ipsius ab ambitione alieni mores. Tyrannis autem apud nos, qui legibus viuimus & à principe clementissima regimur, locum non habet. ab hac accusatione *Cecilij* semper abhorruit mitis animus, multos ille beneficijs maximis auxit; nulli ne per legum quidem causam, aut vitam, aut libertatem, aut fortunas eripuit. sed quid ego longiorem parem contra istos defensionem, cum qui hanc illi tyrannidem & ambitionem, & curiosam in alienis negotijs operam objiciunt, nullum earum rerum argumentum dicant?

Est

Est etiam ipsius nouitas hominibus illis odiosa, quibus præter maiorum deflorescentem splendorem nulla est ad honores, aut opes, aut gratiam commendatio. sed hoc potius gloriosum est, præluxisse illum posteris suis, quàm vt isti fecerunt, à maiorum virtute, ad otium & inertiam declinasse. displicet etiam nonnullis ipsius in suos indulgentior animus. quasi verò inhonestum esset, declarasse se esse patrem.

At, inquiunt, ipsius operâ vectigalia noua excogitata, & tributa in plebem imposita sunt. sed nesciunt isti, ne teruntium quidem à quoquam exigi posse nisi secundum leges, & consuetudines regni, & ex consensu populi. nec tam populus molestè fert, se onera hæc sustinuisse, quàm isti ex istis leuiusculis oneribus inuidiam in viros quosdam illustres, & turbas inter nos excitare moliuntur. dicunt præterea istius operâ reginam in turbas, & bella non necessaria coniectam. sed magnam illi hac in re iniuriam faciunt. pacem enim non tantùm post violatas omnes amicitiæ inter nos & *Hispanos* & *Gallos* leges, sed etiam post illatum bellum coluit; atq; pacis consilia amauit, à bello maximè abhorruit. nec vllam contra hostem expeditionem suscipiendi autor fuit, nisi summa necessitate coactus. ne erga pontificios quidem licèt se apertè hostes huius regni declararint, sæuitia vsus est. tantùm eorum consilijs diligenter occurrit, vim arcuit, scelera legibus persequutus est. sed quid ego hunc contra transfugarum calumnias defendam, quem summa in remp. & religionem beneuolentia & beneficia satis, etiam me tacente, defendunt? aut quid cũ illo contendam aduersario, qui quasi præuaricaretur, ita dum vituperare cupit, summè laudat: eúmque non tantùm suis ornat laudibus, sed etiam illustrat alienis? neque enim quicquam ad perpetuam eius memoriam gloriosius esse potest, quàm quod eius præcipuè consilio, & opera, Euangelij lux discussis pontificiæ doctrinæ tenebris post *Mariæ* exitum reducta fuerit; hoc autem huic homini indiserto, & insulso facinus videtur. Idem etiam nulla re vehementiùs illum insectatur, quàm quod *Philippi Hispani* molitionibus, consilijs suis occurrit, armáque aduersus ipsum in *Belgio* mouenda curarit. atqui nisi hic maturè & animaduertisset alienum *Hispani* in nos animum, & se opposuisset: magnam proculdubiò iampridem cladem passi essemus. hoc nomine immortalem meretur gloriam: nihil enim magis gloriosum, quàm hostium conatibus resistere, eorúmque insidias discutere. sed hic importunus declamator se palàm prodit hostem patriæ. palàm enim agit hostis partes, vehementérque dolet, quod non ardentem patriam videt. habet itaq; quod gaudeat *Cecilius* quod hostibus patriæ nullos habeat ille teteriores inimicos: quod molestè ferat, aut frangatur ipsius industria, nihil est. pergat itaque

semper

semper patriæ consulere, hostes vlcisci, insidijs in principem & rempublicam occurrere, semina seditionum Iesuitas, & ex seminario Rom. hostium sementem eradicare, Christíq; ecclesiam propugnare. perfugas autē istos seditiosos, eorúmq; latratus nihil moretur. isti enim absterrent à propugnaculis reip. vigiles, vt interim perpetui Anglici nominis hostes remp. nudatam defensoribus inuadant. Neque enim hæc eo nomine perfidus hic transfuga, & insulsus rhetor dicit, quòd populus ei curæ est (vniuersum enim concisum cuperet) nec quod principis doleat minui dignitatem: (apertè enim negat esse Angliæ Reginam, vulgóq; transfugæ omnibus eam contumelijs prosequuntur.) nec quòd ærarij publici angustiæ ipsi molestę sint, (vniuersum enim exhaustū cupit, vt cæsis ciuibus, excisísq; Anglię ciuitatibus, hostes huius regni publici victoria potiantur:) Sed agit ille causam Hispani, omnésq; illos qui victoriam eius morari possunt, inuidia populi sublatos cupit.

Sed ne ex præsenti reipublicæ nostræ statu aliquid speret, aut aliquam suæ causæ gloriam se conciliasse putet; redeat ad Gallos. Aut quia fortasse ignauis & latrantibus canibus, nihil apud bellatores loci est; redeat ad suos Italos, aut deniq; quia omnē patriæ dedidicit amorem, hostísq; huius regni causam agit *Philippi*, ad Hispanos; vniuersámq; illorum republicā perlustret oculis: & si quicquam repererit perturbatius; liceat ipsi postea nostram perscrutari. Gallia omnis in armis est. Silent autem leges inter arma: Mercatores ad egestatem, rustici ad famem redacti sunt. Ius omne in manibus positum est. Quæ tanto sunt deteriora, quanto difficilius est, eorum aliquem exitum consilio reperire.

Philippi autem res perturbatissimæ sunt. Omnia enim eius regna ex vita eius tanquam ex putrido filo pendent: In Belgio omnia bellis flagrant: libertas auita vnà cum dignitate patrię oppressa iacet: nec fundos, nec bona legibus, sed principis arbitrio possident. vsq; ad ossa miserum populum deglubunt Hispani. Quæ magis erant ferenda, si vel corpus vel vitam ab hostis violentia tueri possent. Etiam ante populi defectionem *Albanus* primum centesimæ, & vicesimæ, deinde & decimæ tributum contra leges patrias imposuit. Nunc quicquid imperant Hispani, faciunt. nec corpora à vi, nec bona à rapina tuta sunt: nomen illud dulce libertatis amissum est. In Hispania autem rex pro arbitrio imperat: vanum tantùm superest nomen priscæ libertatis. Nam & milites, & pecunias contra pacta imperat; subditi spoliantur: Mercatores ferè omnes è foro diffugerunt: pręter paucos quosdam regis ministros, qui populi exsorbent sanguinem: nulli ferè ibi sunt qui ad opes perueniunt. Maxima regi soluuntur tributa: vectigal autem singulis rebus venalibus imponitur; nec esse, nec bibere sine soluto

vectigali licet. adeò vt quæ Iesuitica sua malitia tanquam tempestate in nos delatus declarauit *Ribadineirius*, ea aptissimè in populum Hispanicū, & Belgicum cadant. [1] iustitia enim ex illis regnis exulat. iniustitia summa oppressi occiderunt viri clarissimi Comes *Egmondanus* & *Hornius*, nobilitas ferè vniuersa extincta est. pro summis erga remp. Hispanicam beneficijs videmus quam mercedem *Parmensis*, & Sanctacrucius duces inter Hispanos authoritatis summæ retulerint, Belgium vastatum, Betica vexata, plurimiq; nobiles securi percussi sunt. soli sacrificuli & fraterculi dominantur. his rex vsquequaque seruit. [2] domi populus tributis exhauritur, foris ab hostibus capitur, & vexatur. nulla illi requies. imo nec res, nec spes superest. Huc accedit illa hirudo religionis, Hispanica quęstio, quam vulgò inquisitionē vocant. hæc nobiles & plebeios in quorundam monachorum redegit seruitutem. Atque ista omnia cum apud Hispanos fiant: populus tamen nec pace fruitur, nec vel agros colere, vel mercaturam sine periculo exercere potest. Ipse Rex potentissimus scilicet, turpissimis pactionibus pacem quotannis ferè à Turca redimit; & cum illo pacem fecit; vt miseros christianos ad pontificuli insani arbitrium vexet. vt classem contra nos instrueret, subditos miserè expilauit. Atq; ista cum fecit, tamen ære alieno infinito obstrictus est. Multa *Florentinis*; multa *Venetis*, multa *Genuensibus*, & *Lucensibus*, plurima verò suis debet. Qui igitur Hispanicam remp. laudat, nihil est quod nostram contemnat.

[1] Un reyno donde no reyna la iusticia. Ribad. p. 368.

[2] No ay sossiego y quietud, que esta lleno de cargas, de agrauios, de sospechas, y temores. Ribad. ibid.

Iam verò populi, & respublicæ Italicæ sub mera viuunt tyrannide. Non [3] ius æquum, nec legum vlla superest libertas: Romæ & sacra & profana venalia sunt. Ex ecclesiarum spolijs bella pontifices faciunt. Ecclesiarum fundi aut distracti sunt magna ex parte, aut hypothecati: ornamenta conflata sunt. vendidissent & putridas suas reliquias pontifices, si stultum aliquem emptorem inuenissent: vectigalia passim per Italiam soluuntur ex omnibus rebus maxima. Ex victu & alimonia hominum, imò & pecorum, magnam æris copiam procudunt. Multa etiam imponuntur extraordinaria tributa: neq; tamen pro istis omnibus aut corpora, aut bona à vi tuta sunt. Nam passim cædes designantur, passim committuntur stupra, & huiusmodi scelera, & flagitia à potentioribus, pauperes partim principum, partim pontificum tyrannide oppressi vix gemitum liberum habent, reliqua illis omnis perijt libertas. Cæcus igitur fuit, qui nostram politeiam reprehendit, res externas laudauit, nam nec sua vidit, nec aliena, nec quę ante pedes erant, nec quę longiùs erant disiuncta, nouit. Longo enim interuallo quęcunq; apud nos fuerit reip. ratio, omnes alias superat, nec hoc tantùm vno, sed etiā in singulis institutis, actionibus, & moribus, nostri homines pontificijs longè antecellunt.

[3] No ay mas iusticia que el fauor, ni otra ley que la gratia (del Papa) ni otro medio para alcansarla, sino el comprarla. Ribad. p. 369.

CAP.

CAP. 9.

Rossei, Sanderi, Rishtoni, Stapletoni, Allani, Verstegani *& aliorum, qui Pontifici Romano militant, Sycophantarum de nostrorum hominum crudelitate, & Catholicorum nobis obiecta persecutione, calumniæ refelluntur.*



OS etiam isti crudelitatis nomine accusant. Lupi (inquam) Christi oues, lupíque crudelissimi homines mitissimos crudelitatis accusant. *Versteganus* eam tanquam in [1] theatro quod ille crudelitatis vocat visendam proponere conatur. sed populo Christiano admodum displicent, quas in hoc theatro egit fabulas. quod pictor in compitis pingendo, illud omnibus ingenij viribus [2] *Alanus* in libellis quibusdam declamando aggressus est. Sæuitiam & ipse & [3] *Stapletonus* nostrorum hominum verbis ampullatis tragicè amplificant, & augent, hoc etiam argumentum est *Sanderi*, & *Rishtoni* in contumeliosis suis libris de schismate. vtríque huic de crudelitate nostrorum hominum accusationi subscribunt, qui tamen ipsi potius accusandi videantur. hic enim læsæ Maiestatis reus ex principis gratia vitam habet, ille ad patriam incendendam, ciuésque iugulandos externo milite stipatus in Hiberniam venit. edita etiam sunt non ita pridem de furoribus Gallicis in nostram contumeliam complura mendacia, nec adeò quisquam insulsus est Iesuita, aut semitarius declamator, qui non aliquid de nobis loquitur contumeliosè. insulsissimus ille [4] *Ribadineira* violentiæ, crudelitatis & tyrannidis accusationem contra nos instituit. nihil enim istos pudet: imò nec pudor illis est, nec mediocris prudentia. nam si vel quicquam saperent, vel pudore vllo afficerentur, nunquam illi crimina hominibus innocentibus imposuissent, quorum ipsi & propria conscientia & orbis totius Christiani testimonio conuicti tenentur. Ecclesia enim Romana est purpurata illa meretrix quæ sanguine sanctorum rubet. Romæq; [5] habitacula sunt leonum, & pascua catulorum leonum: ibíq; luporũ etiã lustra sunt & ferarum. est enim illa ciuitas illa sanguinaria cui dominus [6] *Væ* dicit per prophetã Nahum. Hęc illa est [7] Hierusalẽ, quę prophetas ad se missos interfecit. Hęc illa est vrbs, in cuius plateis cęsi iacuerũt per multos annos prophetę Dei, quę [8] Ægyptũ, & Sodoma tyrannide, & omni nequitia superauit. Põtifices enim Rom. eorũmq; ministri

[1] In theatro crudelitatis Verstegani.
[2] In apolog.
[3] In promptuar. morali.
[4] *Innumerables exemplos de crueldad, violentia & tyrania, p. 367*
[5] Nahum 2.
[6] Nahum 3.
[7] Luc. 13.
[8] Apoc. 11.

Scyrim qui Isthmum obsedit; Phalarim etiam Thraciúmq; Diomedem omni immanitatis genere superarunt. Nec ciuibus illi nec peregrinis, nec doctis nec rusticis, qui placitis suis aduersati sunt, pepercerunt. Duro enim è robore nati sunt, [1] Leænæq; Romanæ vbera suxerunt: moribus sanè feris sunt, & syluestribus. Leges autem eorum, vt Draconis, sanguine exaratæ sunt; *Epicheiremata* verò è carnificum officinis petita. nec mala vlla illos reddunt mites, nec vlla re nisi sanguine nostro satiari possunt. *Quod quidem licet apertè nunc profiteri, & os impietatis aperire non audeant, tamẽ* [2] *venenum pectoris non amiserunt:* nostri autem multos annos persecutionem passi sunt. Sanguis noster fusus est in Anglia, Gallia, Belgio, Italia, Hispania, vt aqua; sanguine nostro rigata creuit ecclesia Dei: Totos dies mactati sunt nostri, adeóq; nos plebs indocta odio habuit, vt quicunq; nostrûm aliquem interficeret, *se Deo* [3] *obsequium præstare crederet.* Nunc autẽ commutata ratio est, ex vnguibus leonum euasimus: Persecutorúmque sæuitia cessauit: malè nobis volunt, sed facere non possunt. Legibus non ampliùs, sed aut clandestinis coniurationibus, aut aperto latrocinio nos aggrediuntur. *Armatas* [4] *istas belluas* nec alimus, nec liberè prædari gregem domini sinimus. Si audaciùs incursauerint, & legibus & legitimis armis earundem impetum repellimus. Hoc Pontificios malè habet. Cùm vlcisci nos non possint, magna tamen verborum acerbitate & crudelitatem hominum nostrorũ accusant, & de catholicorũ persecutione querũtur. Sed nihil cogitari potest vniuersa istorũ hominũ accusatione, & querela impudentius.

[1] ἦ ῥα λεαίνας μασθὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τε μιν ἔτρεφε μάτηρ. Theocrit. in Idyl.

[2] Hieron. ad Apron.

[3] Iohan. 16.

[4] γαμψόνυχα μὴ τρέφειν. Pythag.

Quid enim nos fecimus aut admisimus, vt hæc in nos conueniat accusatio? Num ideò crudeles censendi sumus, quòd vim istorum repulimus? nihil sanè esset hac sententia iniquius. Qui enim armis nos aggressi sunt, nihil est quòd se cæsos querantur. Annón debuimus hostiles istorum insidias vitare? at iustissima fuit nostrorum hominũ aduersus insidiatores defensio. Nam hoc & natura feras, & ratio homines docuit, aduersus clandestinum hostium impetum se parare, & defendere. *At non debuistis* (aiunt) *Iesuitas & Presbyteros, viròsq; Catholicos occidere.* Quasi verò hostium sit, qui nobis occidendi sunt, præscribere. Si aduersus principem & rempub. arma tulerint, aut consilia inierint, aut seditionem concitârint, cur isti debeant esse immunes? ne verè quidem fideles & Catholici, si fraudes admiserint capitales, pœnam euadunt. Quid igitur habent isti pseudo-catholici, quod sperent? propter religionem (vt posteà docebimus) nullum occidimus: quid igitur nobis crudelitatem obijciunt?

Num nouas excogitamus pœnas? num indemnatos, & contra leges interficimus? tantum abest, vt nec ista nobis imponant. Nã & transfugas, patriæq; proditores, peruulgata proditorũ lege iudicamus, & legitima pœna afficimus.

afficimus. Hæc Romanæ crudelitatis sunt propria. Romani enim carnifices, (sic enim dicendi sunt potiùs quàm Pontifices) & exquisitis supplicijs fideles, & indemnatos senes pariter ac pueros, immani crudelitate multos iam annos iugulârunt. Apud nos nihil huiusmodi reperire possunt.

At non debuistis (inquiunt) *nouas contra Pontificis Rom. auctoritatem, & eiusdem propugnatores, leges promulgare.* Quasi verò non soleant homines Rerumpub. tractandarum peritissimi, quibus videtur legibus, Rempub. ab hostium impetu munire: Aut quicquam sit insulsius, quàm hostes, quibus nos legibus Rempub. defendamus, præscribere. Si autem sibi concedi postulent, vt qui carne vescuntur tempore Quadragesimæ, aut qui aduersus cæremonias Ecclesiæ Rom. leuissimas, pauxillùm deliquerint, supplicio grauissimo afficiantur: cur illi nobis irascantur, qui apertos huius regni hostes, imò hostibus tetriores transfugas & proditores, contra leges in fines nostros ingressos, legibus & iudicijs vlciscimur?

At propter religionem Catholicam aliquos occidere, nullus sine crudelitatis nota potest. hoc enim crebrò nobis obijciunt. Quid igitur merentur illi, aut quo nomine appellandi sunt, qui tot homines pios, veréque Catholicos, hos continuos sexaginta annos occiderunt? qui tot fœminas, senes, infantes, summa truculentia iugularunt? Illos autem, in quos legibus nostri animaduerterunt, primùm negamus esse Catholicos: deinde cuiuscunq; fuerunt superstitionis, dicimus non propter illam superstitionem, sed propter læsæ Maiestatis crimen cæsos esse. Non esse Catholicos, vniuersus hic noster tractatus demonstrat: non esse interfectos religionis nomine, hoc loco demonstrabimus. Hoc autem [1] constat ex accusatione primò. Nam nemo illos credidisse quicquam, aut docuisse contra fidem Christianam accusat. Deinde ex legibus. Nam lege læsæ Maiestatis in discrimen vocantur, aut alia lege ciuili. Præterea ex testium dictis. Nam crimina illi aduersus Rempub. non religionem probant. Constat etiam illud ex Iudicum sententia: Maiestatis enim, non hęreseos damnantur. Denique ex genere pœnæ liquet. Nam hæretici igne concremantur: isti autem proditorum supplicio, aut alia pœna ciuili afficiuntur. Hæc autem singula, & ex iudiciorum actis, & publicis historijs, & hominum viuorum memoria probantur. Quid igitur est, quod vel minimam suspicionem faciat, istos ob religionem pœnâ affectos?

[1] Propter religioni confessionem nullum apud nos cæsum fuisse.

Dicit quidem [2] *Rossæus*, dixitque ante ipsum [3] *Alanus*, vulgóque dicunt [4] Pontificij, *ita crimina perduellionis istis, qui ob Pontificis causam in Angliam venerunt obiecta, vt Christo & Apostolis.* Sed nihil minùs cõuenit, quàm Christi & Apostolorum cum horum factis comparatum exemplum. Accusabant quidem *Iudæi* Christum, quòd se regem diceret, quòd tributa pen-

[2] Fol. 227.
[3] Apol. Alani.
[4] Apol. Martyr.

pendenda negaret, quòd *Cæsaris* imperio parùm obsequens esset: sed falsò. Nos autem istos verè, vt transfugas, vt proditores, vt reginæ & regni hostes accusamus. Apostoli Regibus obedientiam præstandam docuerunt, nullúmque motum, ne aduersus quidem teterrimos Ecclesiæ hostes, concitarunt: isti, Pontificis Romani hostis huius regni capitalis sunt ministri & asseclæ, qui nullam Reginæ obedientiam præstandam præcipit, eámque & armis & insidijs, quantùm potest, oppugnat. Neque tamen illam, aut peruersæ sententiæ, aut alicuius iniustitiæ rectè condemnare potest.

Dicit præterea *Rossæus, Maiestatis apud nos teneri, qui Symbolo credunt Apostolico, & Ecclesiæ Catholicæ*. Adeò nihil illum pudet. Credimus enim omnes Ecclesiam Catholicam, nec cuiquam impunè licet non credere Symbolo Apostolico. Nec pœna afficiuntur aliqui, quòd credant, etiamsi minùs Catholicè: sed quia falsam & iniquam de Regina Romani Pontificis sententiam probant, eíque minùs obsequentes sunt.

Accusat præterea leges huius regni Rossæus. Quasi verò non singulæ Respublicæ suo arbitratu leges condendi, quæ sibi maximè conducunt, potestatem habeant? aut æquum sit, singulis Reipub. hostibus, rationem legum reddere? Vniuerso huic regno crimen videtur læsæ Maiestatis, legitimam Principis potestatem ad Pontificem Romanum deferre, Principem oppugnare, hostísque causam agere: cæteri omnes perduellionis esse crimen putant. Quum vniuersi apud nos ita sentiant, omnésq; viri prudentes, & politici nobiscum consentiant: iuráque gentium ita sentiendum doceant; quid hostium & perduellium moremur contrariam voluntatem? Ad cum Pontifice nobis tanquam cum hoste negotium est: quid igitur magis è Reipub. ratione, quàm vt legibus nos aduersus eiusdem insidias muniamus?

Pontificem verò [1] hostem esse huius regni exploratissimum, & qui eius apud nos causam agentes pœnas luerunt, iustissimo supplicio affectos fuisse, multa docent. Primum ex sententia Pontificis primò in *Henricum* octauum, deinde in *Elizabetham* Reginam, & primò à *Pio Quinto* lata, & posteà à *Sixto Quinto* repetita, constat. Deinde ex auxilijs ad rebelles & hostes in *Hiberniam* missis: & postremò, ex rebellione in *Anglia*, quam ipsius ministri & tubicines excitarunt, & *Hispanica* contra nos expeditione, quam ipse & [2] milite, & pecunijs, instruxit. Indicant quidem hoc & literæ Pontificum, & omnia contra nos suscepta consilia. Sed quia consilia ista obscuriora sunt, & inficiatione tolli possunt, omittenda sunt. Illa autem clarissima sunt, nec negari, nec excusari possunt. Nec quenquam negaturum puto, qui ista fecerit, hostem esse infestissimum. A quo enim alio

[1] Pontificem Rom. hostem esse huius regni.

[2] Ex vita Pij Quinti, & Petr. Galesinio, & Æmilio Mar. Manoleff. hæc liquidò constant.

alio animo proficisci potuit furiosa illa *Pauli* tertij in *Henricum* octauum, omnésque illi obsequentes *Anglos* bulla? Primùm enim [1] *Henricum octauum regno priuat:* quo nihil Principibus aut pertimescendum, aut persequendum magis videtur. Neque enim nugas agunt, qui Principes è Regio solio deturbant. [1] Sander.p.109. de schism.

Deinde, [2] *omnes obedientiam Regi Henrico præstantes, perfidus ille huius gentis hostis ciuium iure exuit, & vt homines profanos à sacris arcet.* adeóq; Apostolicos dedidicit mores, qui Apostolicæ successionis larua Christianos terret, vt non minùs ille rebellionem aduersus Principes, quàm Apostoli obedientiam suaserint. [2] Idem ibidem.

Præterea, Regem omnésque eius subditos, quasi Reipub. Christianæ hostes proscribit.

Quartò, [3] *pronuntiat eosdem vi huius sententiæ publicè diffidatos esse.* Quo ille vocabulo, & Regis & subditorum fundos & bona, quasi in prædam omnibus proponit, ipsósque publicos esse orbis Christiani hostes decernit, adeò vt sine vlla alia belli denunciatione; aut bello, aut insidijs cuiuis illos persequi, capere, vel trucidare liceat. sic enim iste ferro & insidijs, non verbo, homines vt *Petrus* capere solet. [3] Idem ibidem.

Quintò, *Regem regiósque subditos sepulturâ priuat Christianâ.* Ita non puduit hominem istum impurum, Christianos Principes, vt canes, proijcere inhumatos, tanquam [4] *vulturibus & feris futuros prædam.* Quod, nisi extrema adducti inimicitia, ne Ethnici quidem hostibus imprecari soliti sunt. Sed nihil magis consentaneum, quàm vt ille fideles subditos sepultura prohibeat, qui perduelles in Martyrum refert Catalogum, Regibúsque bellum indicat, qui ex rebellione & perfidia illum tyrannidis gradum adeptus est. [4] Ἑλώρια κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσιν. Homer. Iliad. α.

Sextò, *Regi & eiusdem amicis & subditis, tanquam Paganis, interdicit verbi & sacramentorum vsum.* Ita insanum in modum inimicitias gerit, vt non tantùm corpus, sed & animas nostras perdere cupiat. Neque enim alia ratione Satanæ magis commodare potuit Satanæ primogenitus *Antichristus.*

Septimò, *Henrici liberos ex legitima coniuge iure successionis priuat, eosdémque infames esse pronuntiat.* Sed æterna eorum vigebit fama, & gloriosa memoria, cùm infamis illius & scelerati Pontificis ossa putredine & situ corrupta, difflabuntur, noménque illud *Pauli* tertij infamia perpetua obruetur.

Octauò, *Omnes Henrici subditos, quò alacriùs in eum arma ferant,* (hoc enim illi in animo fuit) *sacramento Regi anteà præstito soluit.* Neque enim vnius assis sacramentum aliquod, aut iuramentum, caput illud perfidiæ

æstimabat.

Nonò, *grauiter illis minatur, qui post illud suum fulmen Laternarium, in officio suo perstabunt.* Odit enim ille virtutem, & officium.

Decimò, *Commercium cum Anglis, aut alijs Regis Henrici subditis alijs nationibus interdicit, omnésque cum illis initos contractus dissoluit, tabulásque æris alieni irritas facit.* adeò etsi perdere non possit, nocere tamen nobis aliqua re conatus est.

Vndecimò, *Omnes ille sibi deuinctos vasallos Ecclesiæ è regno Angliæ euocat, grauitérque illis minatur, ni exeant.* Qua in re dolemus non tantùm valuisse apud illos auctoritatem Pontificis, vt exirent. Magnam enim pestem, & multiplicem seditionem, illis omnibus exeuntibus, hoc regnum euomuisset.

Duodecimò, *Nobiles ad arma vocat, classicúmque canit nimis ille nihili tubicen.* Sed magno illi suo malo edocti quàm nulla esset ea in re potestas Pontificis, quieuerunt.

Decimotertiò, *Aliorum regum & populorum cum Henrico inita fœdera irrita facit, eosdémque magna verborum acerbitate ad eum bello prosequendum hortatur.*

Postremò, eiusdem *subditos, vbicunque capi possent, in seruitutem: eorum bona, in prædam tradit.* ita cum noxijs innoxios furiosa illa bellua pari pœna inuoluit.

[a] In lib. conform. Francisc.

Huius insistens vestigijs, iracundus ille fraterculus, suique [a] stomachosi *Francisci* simillimus *Pius Quintus* pari furore in Serenissimam Reginam *Elizabetham*, fulmen Salmoneum iaculatur. Nam, postquam illi, quantùm potuit, maledixisset, [a] *eandem iure regni priuat, proceresque & reliquos subditos à fidelitatis iuramento, & omni debito obsequio absoluit:* Subditos denique eidem parentes excommunicationis sententia ferit. Eandem sententiam astutia quorundam Pontificum suspensam, *Sixtus Quintus* iterùm renouauit. Quis itaque aut hostem esse huius regni infestissimum Pontificem Rom. dubitet, aut quòd contra furiosas ipsius molitiones & insidias, se multiplici legum præsidio munierint, Principes nostros non summè laudandos censeat? Viderant illi, quantum periculum incurrerat *Henricus* secundus *Angliæ* Rex, ex neglecta Pontificis Rom. ira, *Iohannem* verò Regem, Pontifice mandante, & à subditis oppugnatum, & veneno per Monachum quendam dato, extinctum meminerant. Quid igitur mirum, aut nouum fecerunt, si ad hostem suum publicum transfugientes, & cum illo conspirantes, & ab illo instructos, in hostium numero habuerint? aut quid nouum fecêre Principes nostri, si eos, qui Regiam auctoritatem ad Pontifices Romanos hostes Regum nostrorum coniuratos, deferunt, qui

[a] Sander. p. 317. de schism.

Principis

Principis potestatem oppugnant, qui res nouas eo nomine moliuntur, vt reos habeant læsæ Maiestatis? doceant igitur pōtifices Romanos non esse huius regni hostes, nec seditiosos ciues concitasse, nec Principi diadema regium quantū in se erat deripuisse, nec milites aduersus nos conduxisse, aut instruxisse: aut frustrà sciant se sudare, vt pontificios satellites transfugas *Anglos* crimine Perduellionis liberent.

At durum videtur [1] *Rosseo*, vt *quis eo nomine hostis habeatur, quod* [2] *Reginam hæreticam & schismaticam esse affirmaret.* At cùm eo nomine pontifex Rom. eandem regni iure excidisse affirmet, quis non videt, eos qui illud aut senserint aut dixerint, aduersus reginam in animo habere conspirare, eosdémque regia iura oppugnare? at illa, nimia solicitudine & cura nullus defendere potest. quo nomine etiam, qui *ad pontificem Rom. defecerint, eos vt hostes publicos,* [3] *leges persequuntur.*

[1] Pag. 227.
[2] 13. Eliz. cap. 1.
[3] 13. Eliz. cap. 2.

Neque iam primùm istæ leges aut apud nos, aut alios latæ sunt. temporibus enim *Edouardi* tertij *Angliæ* regis, læsæ Maiestatis crimen incurrisse decernuntur, [4] *quicunq; hostibus regni adhæserint, aut illis qua in re auxilium tulerint, aut regis mortem, aut è solio regio expulsionem machinati fuerint: maximè verò, qui aduersus regem arma induerint.* hoc autem nomine tenentur aut omnes, aut plerique, in quos per leges propter pontificis causam animaduersum fuit.

[4] 25. Edw. 3. ca. 2

Crimina autem ista, ne nos singularis alicuius iniustitiæ accusent, etiam apud omnes gentes capitalia sunt. *Maiestatis* [5] *crimen est* (inquit *Vlpianus*) *quod aduersus populum aliquem, aut eius securitatem committitur.* Simili etiam ratione, *quod aduersus Principem, eiusq; committitur securitatem.* Tenetur etiam [6] Maiestatis, *cuius opera, consilio, dolo malo consilium initum fuerit, quò quis aduersus rempub. arma ferat: quiue hostibus literas nuntiúmue miserit, signúmue dederit, feceritq; dolo malo, quò hostes aduersus remp. consilio adiuuentur: quíue milites solicitauerit, concitaueritue, quò seditio tumultúsue aduersus rempub. fiat.* [7] *Cuius etiam dolo malo, iureiurando quis adactus est, quò aduersus rempub. quid aliquis faciat. Etiam* [8] *qui ad hostes transfugit.* Lege etiam Militari [9] *Proditores & transfugæ capite mulctantur.* Cur igitur non liceat nobis in illos, qui cum hoste huius regni consilia aduersus rempub. agitarunt, *Hispanos* in nos solicitarunt, mortem Principis machinati sunt, seditionem & rebellionem concitarunt, ad hostes transfugerunt, *& ab hostibus* [10] *instructi* ad nos cum mandatis redierunt, multáque scelerate aduersus Principis & reipublicæ securitatem moliti sunt, vtpote in Maiestatis reos animaduertere?

[5] L. 1. ff. ad leg. Iul. Maiest.
[6] Ibidem.
[7] Cuiusq; ff. ad leg. Iul. Maiest.
[8] L. quiue. ff. eodem.
[9] L. proditores. ff. de re mil.
[10] Daua Pio 5. fouentioni, & preuentioni, à molti nobili. Girol. Caten. in eius vita.

Hostes esse pontifices Romanos huius regni, ex pontificijs bullis demonstrauimus. apparet idem ex rebellione in agro *Dunelmensi & Ebo-*

racensi pontificijs literis excitata. venit enim *Mortonius* (vt testatur[1] *Sanderus*) mandatis pontificis instructus, vt doceret *Elizabetham* regni iure excidisse: [2] ab eodem submissus est *Robertus Ridolphus*, vt animos nobilium tentaret, subditósq; in principis perniciem concitaret. hinc secutus est ille, qui *Angliam* aliquot annos vexauit, tumultus, & subditorum rebellio. Ex consimili bulla *Pauli* tertij, audaciam nacti nonnulli sacrificuli motum illum magnum in agro *Eboracensi* aduersus *Henricum* octauum excitarunt. negabit fortasse aliquis hæc à pontificibus profecta facinora. quid enim non audent recentiores isti monachi? sed & *Sanderus* disertè affirmat, cuius non leuis apud illos est authoritas. & eidem astipulatur [3] etiam *Æmilius Manolessus*, & qui *Pij* quinti vitam descripsit *Hieronymus Catena*, libellúmque suum *Sixto quinto* nuncupauit. hi verò aliquantò etiam apertiùs, vtpote *Itali*, Romanorum pontificum mysteria enuntiant.

[1] De visibil. Monarchia.

[2] *Prouide* (Pio 5) *con ogni diligenza che Roberto Ridolfi, il qual sotto spetie di mercantia risideua in quel regno, mouesse gli animi al solleuamento per distruttione d' Elizabetta.* Girol. Caten. in vita Pij 5. p. 113.

[3] *S. santità hauendo inteso tutto cio* (loquitur de coniuratione ducis Norfolcij) *offeri di mādar' nel' isola dieci mille fāti e fratanto sborsar 12 mille scudi.* Æmil. Mar. Manoless.

Nam & *Vincentium Laurum* in *Scotiam*, & *Ridolphum Florentinum in Angliam, ad rebellionem contra Elizabetham concitandam*, à *Pio* quinto missos dicunt. Eundem & *Hispanum* & *Gallum* varijs rationibus ad *Anglos* inuadendos induxisse, & rebelles *Elizabethæ* [4] *pecunijs instruxisse & consilijs iuuisse narrant.* Nutantem *Norfolcium*[5] literis *Pius* quintus confirmauit, auxiliúmque validum ex copijs *Belgicis* impetrauit, & duce *Chiappino Vitellio* transmisisset, nisi coniuratio citiùs aliquanto quàm debuerat erupisset. idem & duce *Stukelæo* militares copias in *Hiberniam* mittere statuerat, quosdámque incendiarios ad incendendas naues regias vti in statione erant, conduxerat. *Hibernicum* bellum, seu potiùs latrocinium, quod duce comite *Desmondano* aduersus principem gestum est, pontifex etiam Romanus author conflauit, eóque aliquot milites *Italos* & *Hispanos* misit. pecunia idem *Iacobum Fitz-Mauritium* instruxit: *Sanderúmque* legatum suum ad comitem cum mandatis destinauit, transfugam & hostem huius regni infestum. hic non tantùm interfuit illi bello, sed etiam præfuit, nec alterius magis consilijs comes ille infœlix in illa rebellione nixus est. percussores etiam *ad reginam interficiendam, parricidam illum*[6] *Parrium* primò, & posteà *Someruillium*, postremò *verò Ballardum illum presbyterum, & Babingtonum submisit.* cùm autem nihil nec insidijs, nec rebellione intestina proficeret, maxima mercede *Hispanos* in nos conduxit, qui maximis tandem armati minis, classe infesta, contra nos, excidium huic regno minantes venerunt. omnium igitur essemus stultissimi, nisi à pontifice, tanquam ab hoste infestissimo caueremus.

[4] *Diede a Ridolfi, denari & sue lettere scritte al duca in Ciphra,* Æmil. Mar. Manolesl.

[5] *Scrisse* (Pio 5) *al duca de Norfolk che stesse di buon' animo certificandolo che di niun' soccorso gli haurebbe mancato*, Girol. Caten. in vita Pij 5.

[6] Hoc ex literis cardinalis Comensis ad Parrium constat.

Nam quod ista pro Pastoris summi officio, ad nos à grege aberrantes (vt [1] dicit)

[1]dicit) *reducendos, se suscepisse profitetur*; crederem ego quidem, si quid simile aut *Petrus* aliquando designasset, aut *Petri* huic potestas cõmissa fuisset. sed neutrũ verum est. neq; enim gladijs, aut collatis signis populos ille subegit, nec reges è solijs regni deiecit, nec subditos aduersus illos armauit. Hęc *Caesaris* erant, potiùs quàm *Petri* facinora. nec video, quid magis dissimile esse possit, quàm Pontifex Rom. & *Petrus*. *Petri* certè potestas ad illum nullo modo (vt diximus) transferri potuit. nam quod ore impuro effutit *Pius 5*, *Soli Petro*, [2] *Petriq; successori Romano Pontifici Christum Ecclesiam regendam tradidisse*, futile est hominis malè sani somnium. Nam nec soli *Petro* commissa est Ecclesia, nec aliquid facit pro Rom. Pontifice, quæ *Petro* concessa est potestas, omnibus[3] *Apostolis aequè datae sunt ecclesiae claues*: omnibus munus docendi, & administrandi sacramenta simul vna lege impositum fuit. Pontifex autem Rom. nec docet, nec administrat sacramenta, nec ad plantandũ aut ædificandum constitutus est, quamuis illud sibi sumat *Pius 5*, sed ad diruendum & disperdendum. Nam & florentissimũ *Galliae* regnum, & *Belgij* prouincias ditissimas iam propè perdidit, multasq; nobiliũ familias funditùs eradicauit: & quia idem per suos incendiarios & ministros apud nos efficere non potest, idcircò illi cor inuidum misero malè vritur.

[1] In vita Pij 5. Ital.

[2] Sander. de schism. in Bulla Pij Quinti.

[3] Matth. 18.

Conatur quidem *Rossaeus*, hanc Pontificis Rom. contra legitimos principes tyrannidem rationibus pluribus cõfirmare: sed nihil aliud facit, nisi vt pluribus rationibus fultus insaniat. pugnat enim non tantũ contra priscos patres, sed etiam contra Scripturæ sententiam, imò contra ipsum *Petrum*, à quo fonte omnis suę potestatis deriuant scaturiginem. *Chrysostomus, non solum populũ & plebem, sed & episcopos, vt regibus se subijciant, monet.* [4]*Clemens*, quem *Petro* successisse *aiunt, nec contumeliam quidem principibus dicendam, decretum fuisse communi Apostolorum concilio dicit: Clericos autem, qui eo nomine peccârint, deponendos esse censet. Gregorius Magnus*, licet iniuriam à *Mauritio* acceperit, *eum tamen Dominum salutat*, eidemq; summam obedientiam pręstat. *Etiam* [5] *impijs Imperatoribus pij Episcopi paruerunt*. nec ante [6]*Gregorium 2*, & *3*, & qui his successit, *Zachariam 1*, quenquam ex omni Pontificum Romanorum numero reperimus, qui palàm aut Imperatoribus aduersatus est, aut in Principes potestatem arrogauit. Qui autem bellum Principibus apertè intulit, primus fuit *Gregorius 7*. post illum, multi hoc exemplo freti, potestate sua ad Principum perniciem abusi sunt. Nam quòd dicit [7] ille, *obedientiam tantùm praestandam regibus, quamdiu officio funguntur: eiusque iudicium penes Pontificem esse Romanum*; Regiam omnem euertit dignitatem, nec ratione vel leuissima nititur. nam & Christus, & *Petrus* & *Paulus*, & exemplo & verbis docuerunt, etiam malis Principibus obtemperandum. Nec restitêre *Petrus* & *Paulus*

[4] Canon. Apost. 83.

[5] Tertul. ad Scap.

[6] Platina & fascic. temp. & Pontificum annales.

[7] Ross. p. 498. & 499. & cap. 8.

 omnium

omnium turpissimo & infandissimo tyrãno *Neroni*. nec obstat quod dicit, Deo[1] *quæ sua sunt primò tribuenda, deinde quæ Cæsaris sunt, Cæsari*. Non enim ita pugnare debemus aduersus principes, quò Deo seruiamus, vt vel armis vel fraude illis sceptra eripiamus. *Constantium*[2] *Arrianum* liberè affatus est *Hilarius*, eumq; officij sui admonuit: sed nec sententiam Excommunicationis in eum distrinxit, nec diadema regiũ capiti diripuit, nec subditos ad arma vocauit, quod ex eius hac sententia probare voluit *Rosseus*. Nec alio nomine laudauit *Babylam*[3] *Chrysostomus, quàm quòd fortiter verbis tyranno Decio restitisset*. Non ille plebem ad arma vocauit, non excitauit tumultum aduersus Imperatorem. Nec alia ratione vel[4] *Athanasius* aduersus *Constantium*, nec[5] *Lucifer* aduersus eundem Imperatorem, nec alij pij viri aduersus principes, quàm libertate sermonis pugnarunt. Nunquam negauit *Athanasius*, *Constantium* esse Imperatorem, nec *Babylas Decium*: licèt ille hæreticus, hic sæuissimus esset tyrannus. Nec gladijs, vt Romani Pontifices, sed[6] *verbo & patientia aduersus Imperatores pugnabant*. Quænam igitur hæc impudentia est, rebellionis & perfidiæ, qua freti Rom. Pontifices Imperatores è sede deturbârunt, subditos in Principes armârunt, obedientiæ vincula inter principem & subditos abruperunt, perfidiæ (inquam) & rebellionis in Patrum scriptis patrocinium quærere? Noluit *Ambrosius*, *Iustina* & *Valentiniani* mandatis cedere: mandârunt enim illicita. Idemque Imperatorem *Theodosium*, templum ingredientem, *post cædem Thessalonicæ perpetratam liberiùs*[7] *accusauit*. Opposuit etiam se *Chrysostomus*, *Arcadio* & *Eudoxiæ*. Sed neuter sententia sua Regni illos iure excidisse pronuntiauit, nec subditos quidem ab eorum obedientia auocauit. nihil itaque est Pontificibus Rom. in patrum factis, aut dictis præsidij.

Nec probant *Iudæorum* Pontificum monumenta, quæ isti sibi vendicant. nam nec ius Pontificum summorũ apud *Iudæos*, ad hos translatũ est, nec potuerunt illi principibus iura dicere; multò minùs diadema Regium auferre. Principum enim in illa Repub. summa erat potestas. paruit *Aaron Mosi*, *Phinehes Iudicibus* populi, reliquique summi sacerdotes summis principibus. *Salomon Abiatharum* de gradu Pontificatus deiecit, quòd autem *Vzziam* ab *Azaria* de regni sede deiectum dicit *Rosseus*, mendacium est. nam præterquàm quòd è templo egressum constat, nullum eius rei, quam affirmat ille, vestigium est. At inquit *Rosseus*,[8] *Ambrosius Theodosio in templũ ingredienti obstitit, omniumq; ministrorum officium est, quo minùs Principes se in munere Episcopali ingerant, impedire*. fac ita esse: non tamen armorum metu, nec seditione Principes pellendi sunt. nec quicquam iniquius est, quàm vt singulis ministris reges deponendi concedatur potestas. nec illi aut armis pepulerunt, aut sententia deiecerunt.

[1] Matth. 22.
[2] Lib. aduersus Constant.
[3] Lib. contra Gentiles.
[4] In Epist. ad solitar. vit. agentes.
[5] Lib. de non parcendo in Deum delinquent.
[6] Hilar. aduers. Constant.
[7] Epist. ad Theod. 28.
[8] Epist. 28. ad Theod.

Affirmat etiam *Athaliam à Ieboiada*[1] *deiectam, & oppressam fuisse:* sed nec solius illud factum est mandato Pontificis: nec eadem est ratio in tyranno regnum per vim occupante, & legitimo Principe: nec tam pulsa est *Athalia*, quàm Rex legitimus in sede sua collocatus. Nec ad rem facit, quòd summus Pontifex dicatur idem[2] quodam *in loco summus Index.* Nam non dicitur respectu Regis, sed ciuium liberorum Summus. Nec ex sacris literis, sed ex Interpretum Commentarijs probatur Summus: nec in Regem illi aliqua data est potestas. Imò & sacræ literæ & *Iudaeorum* monumenta, Pontifices Regibus paruisse docent.

[1] 4. Reg. 11.
[2] Deut. 17.

Sed non miror illum his rationibus vsum, cùm ex *eo quòd*[3] *Idololatra interficiendi sunt, populo in Principes tribuat vitæ necísque potestatem.* Quo nihil cogitari potuit à Politica ratione alienius. Nam etsi interficiendi sint Idololatræ, non tamen per alios, quàm per legitimos iudices, & postquam legitimè conuicti fuerint. Sed quod ipsi præcipuè efficiendum erat, id ne attigit quidem, nec vnquam ille probabit: Pontifices nimirùm fuisse Regum legitimos Iudices. Multa prætereà affert *idem ex Prophetis acerbe dicta in Reges Israeliticos, & Iudaeorum.* Sed ne posteà nugetur, frustráque se & Lectorem fatiget, si Pontificum Romanorum nobis facta probare instituerit, doceat ille, Pontificem aliquem *Iudaeorum* sententia sua regni ius Regi alicui abstulisse, & subditos sacramento soluisse, & aduersus Principes arma tulisse. Doceat (inquam) pios aliquos Episcopos, aut aliquid eiusmodi fecisse, aut percussores ad legitimos Principes trucidandos conduxisse, aut emisisse. Si nullos possit, nec pios nec bonos proferre, qui ista fecerint, fateatur impios fuisse, qui hæc tentârunt. Si nullam legem aut mandatum proferre possit, fateatur saltem, Romanos hæc Pontifices sine lege & more contra vnctos Domini perfidè molitos esse.

[3] Deut. 13.

Qui igitur Pontificum Romanorum, isto modo aduersus Principes nostros animatorum, partes sequuntur, & ad eos transfugiunt, atque ab eis mandatis instructi, clanculùm ad res turbandas reuertuntur, quis eos non iure supplicio affectos videt? quis eo nomine crudelitatis nos iure accusare potest? Num propterea leges silere, Iudicúmque animaduersio cessare debuit, ne ab hostibus crudeles vocaremur? At nulla ratio patitur, transfugas & patriæ proditores & Principum oppugnatores impunè volitare. Ne ciuibus quidem, vt dixi, horum criminum reis parcitur: insaniunt igitur, qui hostibus priuilegia concedi postulant. *At non debuistis propter Catholicam fidem aliquos occidere,* (nam hoc sæpiùs inculcant) hoc enim summæ est Tyrannidis. Esto. Nec enim quo nomine apud omnes maximè infames tyranni habentur Romani Pontifices, qui

tot homines pios, tot innoxios infantes, tot venerandos senes, tot fœminas lectissimas propter vnicam fidei Christianæ professionem iugularunt, crimen minuere animus est. Apud nos sanè nulli ob Catholicam fidem cæduntur. Nam nec fides est vera, quam profitentur, (quod spero me iam satis probasse.) nec propter illius fidei licet Pseudo-catholicæ professionem, quam tantoperè iactant, aliqui apud nos supplicio affecti sunt. quod vt multis anteà rationibus, sic nunc subiectis exemplis eorum qui apud nos hoc nomine cæsi dicuntur, confirmabimus.

Quæ prima propter Ecclesiæ Romanæ causam supplicio apud nos affecta fuit, & à [1] *Sandero* inter Martyres relata est, fuitque Pontificiæ causæ Protomartyr, fuit *Elizabetha Bartona* Monialis, quam vulgò *Virginem Cantianam* vocabant: dignissima sanè, quæ huiusmodi Martyribus signum præferat. Quid enim cogitari potuit aptius, quàm vt pro Romana Meretrice, prima apud nos occumberet insignis Meretrix; & vt hanc antesignanam sequerentur reliqui Romanæ Meretricis amatores, quorum plerique non ita pridem ex Romanæ vrbis lupanaribus emerserant. Sed quòd religionis nomine eam morte affectam dicunt, nulla probatur ratione: contrarium verò & ex sententia Iudicum, & ex *Sanderi* ipsius verbis constat. *Ideò enim communibus ordinum regni suffragijs* (vt [2] fatetur ipse) *condemnata est, quòd spiritu fanatico decepta,* (vel potiùs subdolorum quorundam Monachorum promissis impulsa) *pronuntiarat Henricum octauum non ampliùs Regem esse*. Sententiam autem in eam, tanquam læsæ Maiestatis conuictam pronuntiarunt, eámque iustissimam. Nam si non incurrunt crimen læsæ Maiestatis, qui Regi ius negant esse in regno, haud scio qui possint Regiam Maiestatem violare. Primùm igitur, Martyrio huius repuguat causa: tum, vniuersa iudicij, quæ causam illam confirmant, acta: postremò, & vita & mors. Nam cum istis Monachis, Monialium more, nimis familialiter versata est: adeò vt hoc vnum esset illi solatium, quòd cum illis, quos illa plus quàm oculos suos amabat, morte affecta fuerit. Et mortem, non pro Martyrum, sed Meretricum more, parùm alacriter aut constanter tulit. Nihil aliud in eius morte fuit boni, quàm quòd nulla alia purgatione tot illius mulieris sordes elui poterant.

Cum illa [3] sex alij supplicio vltimo affecti sunt, Pseudomartyres Romanæ Ecclesiæ gloriosissimi. Sed vero eorum Martyrio repugnabat criminum illis obiectorum grauitas. Nam non illi propter Christi confessionem, sed quòd *Elizabetha Bartona* vaticinijs motum populi excitare moliebantur, capti pœnáque debita castigati sunt. Religionis nomen in

vniuerso

[1] De schism, p. 85.

[2] De schism.

[3] Deringius, Goldius, Bockingius, Richius, Risbeius, & Masterus.

vniuerso iudicio nunquam auditum est: nec ita vixerant, vt religionem magnoperè curasse viderentur. Neque si religionis Romanę causa acta fuisset, verisimile est, omnes regni Ordines, qui tunc temporis nullam aliam quàm Romanam religionem professi sunt, tacituros fuisse. Videte igitur, quam egregium habituri sumus Martyrum Pontificiorum in Anglia Catalogum, cùm illum isti à fœdissima meretrice, (nam id ex ipsius & Monachorum confessione, & testibus & literis mutuò scriptis constabat:) & viris sceleratissimis, qui armorum causam quærebant, & in Regem conspirârant, & se stupris, & infandis libidinibus polluerant, auspicantur.

Ob Regiam etiam dignitatem,& iura oppugnata,capitis damnati sunt *Fisherus*,& *Morus*. Religionis in vniuerso illo iudicio nullum verbum factum est. Lege de læsa Maiestate accusati sunt, eóque nomine condemnati,pœnáq; tandem læsæ Maiestatis,non religionis violatę affecti. hoc & rei euidentia,& tabulis inclusa memora publica testatur. Quid igitur habent isti quod querantur? Leges (inquit *Rossens*) iniustæ sunt. Vniuersi autem regni ordines contrà sentiunt: imò & ratio, vt ita sentiamus, & illos meritas luisse pœnas dicamus, facit. Quæ enim leges diuinæ,Regi in suo regno deberi,quoad ecclesiæ procurationem iura docent, & ordines regni lege confirmarunt, ea ad regni & regis publicum hostem, (cuius nec ex sacris literis, nec ex legibus humanis aliquod in ijs negotijs ius extat) detulerunt, Fuerint igitur quantumuis docti,& externa morum specie venerandi, nec tamen doctrina nec mores delinquentes ex legum sanctionibus & laqueis expedient. Illud sanè dolendum fuit, homines tales adeò in aperta luce occæcatos fuisse, vt Rom. Pontificum iniustam tyrannidem videre non possent,nec legum laqueos euitare. *Fisheri* autem eò deterior fuit causa, quàm *Mori, quòd ille in* [1] *legum illarum sanctiones incurrerat, quas anteà suffragio suo probauerat.* Neq; sanè leuiter in regem & leges deliquisse existimandi sunt, qui pontificis iura & potestatem propugnant. Nam illud audacter dico, (quòd & alio in [2] libro satis multis probaui) *non esse illum Regem, cui in regni administratione alij leges dicunt:* nec mediocriter illos Maiestatem Regiam oppugnare, qui Reges coercendi alijs fręnos tribuunt, iúsq; legum condendarum & abrogandarum, & vltimæ cognitionis potestatem,& iurisdictionem omnem ecclesiasticam, & episcoporum nominationē, à regibus ablatā,ad pontifices Rom,aut alios deferunt. Cùm igitur *hæc de Fishero & Moro* fateantur,quid habent quod dicant, cur non eo nomine læsæ Maiestatis crimine damnarentur? præsertim verò, cùm [3] *coniurationis Bartonianæ vtriq; conscij fuerint, prophetiásq; eiusdem monialis ineptas,& aduersus rempub. enuntiatas, vt à Spiritu sancto*

profectas

[1] De Schis. p.77.

[2] De presbyterio.

[3] Sand. de Schis. 404.

profectas probârint. Annales nostri nimis eos eius criminis fuisse affines testantur.

Sed dicent fortasse, non esse verisimile, quinque aut sex Monachos & sacrificulos, & vnam fœminam tantam rem, contra tantum Regem suscepisse. Quasi verò ab vno aliquo plebs concitari non possit, & non iam sæpiùs concitata fuerit, omniúmque seditionum & coniurationum semina non à paucis primò iaci soleant. Quantùm autem fœminarum vana possit superstitio, docent & [1] Germanorum, qui fœminis auscultabant, mores, & impudens illud Galliæ scortum, quòd se [2] *Virginem sanctam* à Deo missam dicebat, vt Anglos è Galliæ regno eijceret, magnásque maioribus nostris molestias exhibuit. Huc accedit, quòd Bartoniana hæc coniuratio nô plebeios solùm, sed nobiles etiam complures, qui in vincula eo nomine coniecti sunt, inuoluerat. Læsæ ergo Maiestatis, non autem religionis nomine istos supplicio vltimo affectos, & Iudicum sententia, & genus pœnæ, & annalium testimonium, & viuorum nonnullorum memoria docet.

[1] Corn. Tacit. in vita Agricol.
[2] Iesnne la Pucelle.

Sed non miror *Sanderum* hos duos in Martyres retulisse. nullos enim habet ex vniuerso pseudo-martyrum Pontificiorum numero honestiores. Cur autem illos, qui aduersus rempub. conuenerunt, & arma aduersus principem tulerunt, *propter* [3] *fidei defensionem occubuisse dicat*, est quòd sui quærant, alij & quærant, & mirentur. Quem enim non puderet, qui veri Martyrij laudem quærit, se cum rebellibus & seditiosis recenseri? Nos sanè istam *Sanderi* insaniam non possumus satis admirari. Neque enim grauius causæ suæ vulnus infligere potuit, quàm quod *Darceium*, & *Hussium* coniurationis capita, eiusdémque nobiles duces *Robertum Constabilium*, *Franciscum Bigottum*, *Nicolaum Musgrauium*, & *Robertum Askium*, (qui omnes aduersus Regem armati in aciem prodiere, qui collatis signis se cum Rege pugnaturos minati sunt, qui Regi & regno maximum periculum crearunt,) propter fidei defensionem occisos dicat. *Abbatem* [4] etiam *Fontanensem*, *Giruiensem* quoque & *Riuerium*, & *Barlinghensem*, *Saulienśemq;* & *Whaliensem*, multósq; alios sacrificos & monachos, eiusdẽ coniurationis participes, & eo nomine legibus & moribus pœna affectos inter [5] Martyres referunt. Sed nullum ego argumentum magis perspicuum quæro, vt ostendam Rom. ecclesiam multos pro Martyribus habere, qui nihil sunt minùs quàm Martyres, eámq; non *tam Martyrũ & fideliũ, quàm rebellium & coniuratorum & seditiosorum matrẽ esse*. Isti enim Rom. ecclesiæ pseudo-martyres tumultum aduersus regem excitarunt, coierunt, coniurarunt, milites aduersus rempub. scripserunt, aciem instruxerunt, pugnarunt, Antichristi causam aduersus Regem & rempub. egerunt, læsæ Maiestatis denique nomine pœnas dederunt. Siqui autem arma propter senectutem

[3] Sand. de Schis. p. 128.
[4] Pag. 129.
[5] In Indice Martyrum Rishtoni.

nec autem non induerunt, illi tamen & intra hostium erant præsidia, & populi concitandi præcipui authores. nihil simile fecerunt veri Iesu Christi martyres. non enim gladijs, aut pilis, sed patientia & precibus vincebant. hæc illorum erant arma: campus autem & acies erant Iudicum tribunalia, & suppliciorum loca. obedientiam suadebant & docebant, non tumultuabantur, non coibant, non pugnabant. Nullius denique rebellionis aut alterius criminis conuicti, propter solam Christi confessionem, animam alacres Deo reddiderunt. istis, nisi quòd Christo seruiebant, nihil habebant tyranni quod objicerent: illos verò, propter seditionem & rebellionem (in quas iure omnium Gentium animaduertitur) rex *Henricus* legibus sustulit, nec ipsi Romani pontifices, aut *Hispani*, quos maximè Catholicos habent, parcunt vllis, qui huiusmodi noxa obstricti tenentur. si igitur istos in Martyrum catalogum referre non puduerit; nihil est quòd negent, se patriæ hostes, & proditores, & perduellionis secundùm priscas regni leges damnatos pro Martyribus venerari.

Plures etiam alios supplicio affectos temporibus *Henrici* octaui constat. hoc tamen perspicuum est, ex illis qui pontificiam causam aduersus regem egerunt, nullum vel presbyterum, vel ex Franciscanorum aut Carthusianorum grege sodalem, vel alium quemuis propter Romanam religionem, licet superstitione multiplici deformatam, pœna affectum esse. occidit quidem *Forestius* ille, qui moriens vt lupus in media sylua vlulauit, sed varijs criminibus obnoxius, manifestò læsæ Maiestatis tenebatur. propter idem crimen supplicio affecti sunt *Abelus*, *Powellus* & *Fetherstonus*, multique alij & sacrificuli & fraterculi: sed aut propter seditiones passim concitatas, aut Romani pontificis (hostis teterrimi) partes aduersus regem defensas mortui sunt. si superstitio illis Romanæ ecclesiæ fraudi fuisset, cur non & reliqui omnes, qui eam profitebantur, pari pœna puniebantur? hoc inter eorum causas intererat, quòd seditio pro noxa quibusdam esset, nulli autem Romanæ ecclesiæ superstitio. neq; si istos iudicio prosequutus est, hoc nomine crudelis censeri debuit *Henricus*. neque enim indemnatos, nec innoxios ad supplicia rapiebat: nec promiscuè plebem & duces cædebat, quod isti passim faciunt: nec ira ad supplicium sumendum elatus est; sed legum vincula manifestarijs hostibus circumdedit, qui *Paulum* tertium, hostem regis teterrimum, illa tenentem quæ acerbi hostes non faciunt, aduersus regem sequebantur.

Temporibus *Edouardi* sexti complures etiam ob Rom. superstitionis defensionem in tumultu *Deuoniensi* cæsi sunt. si omnes coniurati & per-

duelles, qui causam pontificiam aduersus principes armis propugnarunt, pro martyribus colendi sunt: cur non istos etiam vt martyres colit *Sanderus*? cur (inquam) rusticos illos perditos & sicarios, qui sicas illas suas aduersus regem distrinxerunt, ne nominat quidem? atqui si martyres dici merentur, qui fortiter pro pontifice aduersus principes pugnarunt; isti sanè principem locum in martyrum pontificiorum catalogo merentur. nam in media acie, fortissimè pugnantes, plerique eorum concisi sunt. Sin verò *Sanderum*, hominem certè non nimis verecundum, puduerit istorum hominum facinorosorum, qui armati aduersus principem in acie constiterunt: cur non etiam & reliquos coniuratos & rebelles & hostes patriæ, ex martyrum albo expungit? Adeò sanè tempora *Edouardi* pacata erant, vt nullum ex suis martyrem, toto illo tempore pœna affectum proferre possint: regnauit tamen ille sex annos. *Maria* verò, multò breuiore spatio, per suos carnifices, ex nostris quadringentos martyres, acerbissimis modis occiderat.

[1] De Schis. 84. Acerbissimè autem pontificij in[1] *Elizabetham* inuehuntur. hanc *Sanderus Filiam sanguinis* appellat. homo (inquam) crudelis & sanguinarius, qui arma patriæ intulit, cædémque & excidium populo *Anglico* minatus est, ipsum exemplum clementiæ, crudelitatis infandæ accusat. [2] *Leænam* eandem eiusdem discipulus *Rishtonus*, magistri in linguæ petulantia simillimus vocat, at miser ille, huius beneficio cum vitam habeat, se indignissimum esse qui summa eius clementia fruatur indicauit. nec sanè causa erat, cur *imperium eius, vt sanguinarium contumeliosè* traduceret [3] *Rossæus*, cuius socijs si pro meritis, cùm apud nos captiui essent, pœna irrogata fuisset, non illi iam viui innoxijs maledixissent, sed vt homines facinorosos & maximè noxios corui frustillatim comedissent. hanc quam isti accusant verbis sæuitiam, *Verstegnus quidam*[4] *tabulis vulgò propositis visendam* exhibet. Monachum enim vnum in patibulo pendentem, alium in partes à Carnifice dissectum depingit, dignissimus ipse, qui in patibulo pendeat, quemque Carnifices pendentem stimulis fodiant. Qua enim alia afficiendus est pœna, qui proditores colit vt martyres, causámque seditiosorum agit aduersus principem? sub fictitio huius [5] *Verstegani* nomine & alij malè feriati *Angli*, *Anglorum* nomine indigni transfugæ, pluribus tabulis, pœnas à Proditoribus & sicarijs repetitas describunt, iustissimámque legum in nefarios homines vindictam, tanquam in publico theatro, totius orbis odio subjiciunt. alios enim in partes dissectos, alios laqueis suspensos, alios virgis cæsos, alios in equuleis tortos, alios auribus pertusis ignominiosè tractatos depingunt. quibus quam ego aliam mercedem optem, quàm vt pro ista contumelia, duo validi

[2] De Schis. 169.
[3] Pag. 487.
[4] In speculo suo.
[5] Theatr. crudel.

validi lictores vtrúmque latus singulis depingant virgis vlmeis, linguámque pertundant maledicam, & manus vinciant rapaces. hoc pro præmio clementiæ habet illustrissima Princeps, vt quibus illa plurimorum criminum reis vitam dedit, ab ijs, per mendacissimas calumnias traducatur. sed quid aliud expectent illi, qui serpentes huiusmodi in sinu fouent? nihil certè vniuersa hac pontificiorum accusatione fingi potuit impudentius. quo enim ore queri possunt, quadraginta aut quinquaginta, iudicio propter grauissima scelera condemnatos, decem aut viginti in carcerem coniectos, totidémque propter metum fugere coactos, cùm ipsi vno incendio plures ex nostris, propter Christi confessionem absumpserint, multáque millia ex nostris bonis suis exuerint, extorres è patria egerint, crudelissiméque occiderint? cùm (inquam) nec ætati nec sexui pepercerint, nostrósque, vt oues in macello, indemnatos, innoxias manus ad cælum tendentes, per Carnifices suos interfecerint? sed facilè patior hos in contentionem nobiscum, vtri fuerint crudeliores, venisse. nam eo facto & nostrorum hominum summa clementia, & pontificiorum summa immanitas, & crudelitas plusquam Punica omnibus innotescet. illi enim innumeros propter religionem se occidisse non negant: imò eo nomine gloriari solent, si nostros occidere possint. Ob religionem autem apud nos nulli interfecti sunt, pauci in exilium acti, iique qui aliâs mortem meruerant: paucissimi verò carcere detenti. neque ex omni numero isto aliquis est, quin longo interuallo à moribus gloriosorum IESV CHRISTI martyrum absit.

Comitem quidem *Northumbriensem* non negamus supplicio affectum: martyrio verò coronatum, etsi nihil est quod illi inuideamus (omnes enim eius miseret potiùs) prorsus negamus. negant & acta publica & historiæ: negant omnes, qui aut iudicio eiusdem, aut morti interfuerunt. Vnus tantùm affirmat, qui nec interfuit, nec hominem fortasse nouit,[1] *Rishtonus*: qui & verbis affirmat, quod facta ab ipso narrata negant: & ita stultus est, vt quid martyri conueniat, nesciat. Fatetur enim, arma illum aduersus principem sumpsisse, milítésque aduersus rempublicam coegisse. hæc autem quis non videt à martyrum moribus alienissima esse? nec enim solent illi propter rebellionis, & seditionis, & læsæ Maiestatis crimina pœnam pati, nec cum principe digladiantur, nec milites educunt armatos, nec acies dirigunt, nec rempublicam turbant, nec regni præsidia oppugnant: quæ omnia fecit ille præclarus ecclesiæ Romanæ martyr. qua in re dolendum est, tantùm apud istum valuisse hominum perditorum mala consilia, vt officio suo

[1] De Schis. 309.

superstitionem ineptissimam, & principi, cui obstrictus obedientiæ vinculo tenebatur, pontificulum insulsissimum præponeret, eóque facto illustrissimam *Perceiorum* familiam, regno ante illa semper fidem, hac turpitudinis labe macularet. propter illam rebellionem quis illum pœna affectum miretur, cùm omnium nationum leges in perduelles vindicandum censeant? At (inquit *Rishtonus) si religionem mutare voluisset, vitæ illi beneficium oblatum fuit.* sed mentitur ille, nec sanè præter morem. quid enim aliud narrauit præter mendacia? nec certè probabile finxit mendacium. nihil enim minùs consentaneum est, quàm vitam ei concedi, qui ducem se seditiosorum præbuit, armatúsque aduersus principem & rempublicam in acie constitit. sed esto, reginam illi vitam obtulisse: non tamen inde consequitur illum martyrem esse, sed contrà quàm dixit ille impudens Martyrologij huius artifex, reginam valdè clementem fuisse, quæ hosti infesto, si alicuius frugi esse voluisset, vitam precariam concessura erat. quare cùm Martyrum Romanorum, qui apud nos temporibus *Elizabethæ* mortem pro Romano pontifice perpessi sunt, ab isto comite Catalogum exorsus sit ille: nemini dubium esse potest, quin vt apud nos quisque hostis patriæ est infestissimus, ita apud istos præclarissimus martyr habeatur. cur ergo non addit, gloriosum sanè Confessorem, eiusdem in illa rebellione socium, comitem *Westmerlandium*, nescio an Romanæ ecclesiæ martyrem? nam igne Sancti *Antonij* (vt vocant) imò & deteriore labe, eius & carnes & ossa putruerunt: nec quicquam ei deest ad martyrum, nisi vt cerebrum & oculi illi lue illa exedantur. Cur etiam non addit omnes illos re absumpta nepotes, & profligatissimos sicarios, qui illos in bello sequuti sunt? hos sanè si addidisset, nunquam negassem ego abundare Romanam ecclesiam martyribus, cùm tot apud nos patriæ perduelles testati essent, se in pontificis gratiam, & bellum principi indixisse, & ignem & signa infesta in patriam intulisse.

Secundas in odio erga principem partes sustinuit *Feltonus:* quidni igitur & secundum locum in nouo isto [1] Martyrologio sibi vendicet? Nam vt ille bellum aduersus illam gessit, ita iste, sententia pontificis publicè affixa, classicum multò maioris belli, mox (ni Deus auertisset) gerendi cecinit. Sententiam (inquam) pontificis, *qua ille regnum Elizabethæ adimit, & subditos ad arma vocat*, promulgauit. Meritò igitur, vt patriæ & principis proditor, supplicio proditorum affectus est, non ille quidem propter Christi confessionem, sed propter regij iuris abnegationem, & rescripti pontificij contra reginam publicationem, neque id, ex lege aliqua noua, sed ex priscis huius regni statutis, quæ pœnis acerbissimis

[1] De schism. p. 315.

cerbissimis ante multos annos Pontificiarum Bullarum, & rescriptorum tabulæ ne in *Angliam* inferrentur, cauerunt. quod nec Pontificij[1] scriptores ignorasse videntur.

[1] Chronic. Chronic.

Hunc sequutus est *Storaus*, magnus (vt dicitur) Iurisconsultus: sed ex quo capite ad hostes transfugere, & bellum aduersus ciues, & patriam gerere liceret, nesciebat. Itaque cùm alia ratione se defendere non posset: sese, vtpote regis *Hispani* subditum, nostris legibus teneri negauit. quam defensionem cùm & Iudices refutarent, & populus exploderet, magno omnium consensu, vt hostis patriæ condemnatus, ad supplicium secunda populi voluntate ductus est. Multis hic pijs, temporibus *Marianis*, pericula creârat: *Mariâ* mortuâ, cùm sibi ampliùs sæuiendi facultatem ademptam cerneret, ad *Albanum* & sæuos *Hispanos* transfugit, ibíque ad veteres artes, homines pios trucidandi, redijt, consilia cum *Albano* aduersus patriam communicauit. Tandem verò, iusto Dei iudicio in patriam retractus, propter grauissima crimina, in nouo patibulo triangulari, (quod ipse primus consecrauit, & in hodiernum vsque diem, ex nomine *Storas* nuncupatur) suspensus, & in partes dissectus, summa cum desperatione iuramenta euomens, animam inter manus carnificis efflauit: dignissimus qui inter martyres Romanos referatur. Nam omnes alios patriæ hostes, hic odio in patriam longè superauit. vt Pontifici gratificaretur, Christi religionem strenuè oppugnauit: nec aliud eius Martyrio repugnat, quàm quòd læsæ Maiestatis crimine damnatus, & cæsus sit.

In eundem Pontificiorum Martyrum numerum refertur [2] *Layburnius* quidam: & meritò quidem. palam enim & Pontificis sententiam tuebatur, & *Elizabethæ* ius omne in hoc regno negabat. hoc nomine Læsæ Maiestatis accusatus & condemnatus, pœnas etiam crimini tam graui pares pependit: nullam ob rem dignus Martyris nomine, nisi incendiarijs & hostibus patriæ professis hoc nomen debeatur.

[2] De schis. p. 347.

Campianum verò & *Sheruinum* & reliquos eorundem socios ita verbis[3] efferunt, *vt etiam eos cum priscis Martyribus comparare non dubitent.* Sed & vita, & mores, & causa, & genus mortis, & acta publica, & omnium hominum qui interfuerunt memoria reclamat. *Campianum* omnes norunt gloriæ auidiorem, quàm Martyrum decuit humilitatem. legite[4] ipsius literas; nunquam non loquitur de se ineptè. In vniuersa illa disputatione, quam habuit in arce *Londinensi* nihil aliud, nisi laudem ingenioli sui, & gloriæ fructum quæsiuit, quem tamen adipisci non potuit. nec vllo in loco se iactauit arrogantiùs, quàm coram Iudicum tribunalibus. hæc fortasse leuiora videri possunt. Illud verò minimè contemnendum est, quòd iure Hospitalitatis neglecto, nimis ille se in familiaritatem vxoris eius,

[3] Concertat. Eccles. Ang. & libell. famos. inscript. Ad persecutores &c.

[4] Rishtoni append. ad Sanderi librum de Schis.

apud quem delituit, insinuauerat. quod licet fortiter nonnulli negant, annulus tamen mulierculæ, & eiusdem fascia quædam sericea *Campiano* donata, totum mysterium prodidit. & hic, & alij ostenderunt se Rom. vrbis non potuisse tam citò dediscere mores. Qualis enim hic erat, huiusmodi & reliqui erant illius sodales. pleríque omnes aut repulsam aliquam non ferentes, aut spes quęrentes alibi vberiores, ad exteros fugerant: adolescentes indocti, & leues, rerumque nouarum cupidissimi.

Sed vt reliquas istorum sordes taceamus, causas tamen, propter quas supplicio affecti sunt, tacere non possumus: eóque magis, quòd innocentes supplicio affectos criminatur *Alanus*. huiusmodi etiam nescio quid deblaterat ineptissimarum ille Legendarum scriptor *Rishtonus*. cui nunc demum, eandem nobis post longum interuallum occinens næniam, astipulatur *Rossæus*. aiunt enim nulla alia de causa, quàm propter religionis confessionem eos occubuisse. at hæc defensio omnibus communis non est. Nam *Parryus* ille alio nomine captus, & condemnatus est. susceperat enim Pontificio Legato, se Reginam obtruncaturum. *Ballardus* autem, (quem, quòd non cautiùs negotium suum tractasset, & se capi passus esset, *Itali* [1] *Balordum* vocant.) propter coniurationem *Babingtonianam*, quam ille instruxerat, & quòd Reginæ exitium machinatus esset, interfectus est. *Someruillius* autem, ne à carnifice ob Reginæ trucidandæ consilia inita occideretur, laqueo sibijpsi collum obstrinxit, & vindictam publicam manu propria præuertit. Pari desperatione *Henricus Northumbriensis* comes, ob læsæ Maiestatis crimen legũ vindictam metuens, violentas sibi intulit manus. nullus eorum propter religionem, nullus à religionis hostibus, sed à seipsis, cæsus. Istos igitur qui inter Rom. Ecclesiæ *Pseudo-martyres* [2] recensent, cõspurcant Martyrij gloriam, suam indicant impudentiã, Romanæq; Ecclesiæ declarant summam desperationem. Ne *Maria* quidem *Scota*, quamuis eam vt Martyrem primariã Ecclesiæ suę [3] celebrent, ob religionis causam, sed ob grauissimas ab illa conflatas coniurationes, multiplicemq; (contra hospitij iura) Regni *Anglici* perturbationem, securi percussa est. Quam ego si cũ veteribus Martyribus compararem, vniuersamq; eius vitam per ætatis gradus, & singulos annos diducerem, licet rarò erubescere soleant, istis tamen non dubito, quin ruborem essem expressurus. sed parcam ego fœmineo pudori, hocq; regi eius filio condonabo. etiam me tacente, omnes norunt nec vitã eius, nec mortem, nec causam mortis huiusmodi fuisse, qualem Iesu Christi Martyrem decet. Quod ad istos igitur cõpluresq; alios attinet, qui aut propter seditionem concitatam, aut rebellionem aduersus principẽ, aut alia scelera supplicio affecti sunt, licèt illi Rom. superstitioni addictissimi fuerint, illis certè alia paranda est, quàm gloriosa Martyrij

[1] Balordo, i. stultum.

[2] Theatr. crudelitat. Respon. ad persecut. Angl.

[3] Ibidem. p. 85.

Martyrij defensio. in ijs enim sunt, qui non ob Christum, sed ob maleficia patiuntur. Ne *Campiano* quidem & *Sheruino*, reliquisq; *Iesuitis*, & *Pseudo-presbyteris* religionis defensio cōuenit. non enim propter religionem Rom. fuerit quantumuis falsa, sed alias ob causas, supplicio, eoq; iustissimo affecti sunt. fuerunt enim Patriæ hostes, & ad hostes transfugerunt. hostem enim huius regni se infestissimum, Pontifex Rom. & re & verbis vt suprà dictum est declarauit. Nec se transfugisse, inficias ire possunt. transfugas autem magna acerbitate leges persequuntur. Romani veteres, perfecto bello, cùm socios qui defecerant, imò & hostes in gratiam non grauatè recipere soliti essent; transfugas tamen Rom. nominis implacabili animo persequuti sunt, eosque aut securi percusserunt, aut [1] grauioribus supplicijs, vt patriæ proditores affecerunt. *Transfugam in hostium numero habendum, & capite mulctandum*, respondet [2] *Paulus. transfugas in numero proditorum habent* [3] *leges, parique pœna plectendos censent. Maiestatis* [4] *crimine teneri asserunt Iurisconsulti, eosque vel ad* [5] *bestias vel ad furcam condemnari posse docent.* Cùm igitur patriâ desertâ ad hostem transfugerint, quid habet quod afferat *Alanus*, cur non proditorum pœna afficiendi essent? cur non ipse reuertitur, vt palàm causam eorum agat? hoc nimirum est, ipse sibi conscius est facinoris quod admisit; & propter eà, licet ex eorū numero sit qui transfugerunt, tamen veritus, ne sibi crura redeunti suffringantur, alios in pestem sibi paratam extrudit: ipse ne ad suos reuertatur, diligenter cauet.

In leges etiam Maiestatis [6] multipliciter peccârunt. cum hostibus enim de bello nobis inferendo tractârunt. *Alanus*, quò oculos suos patriæ calamitate satiaret, quo tempore *Hispanica* classis oram nostram maritimam legebat, in *Belgium* festinabat. sed adeò omnia ipsi, contrà quàm sperabat, succedebant, vt quam de inimicis audire cupiebat, eam de suis vel audire, vel videre potuerit cladem. Numquam iste Pontificem & *Hispanum* de bello nobis inferendo solicitare destitit: & cum illo alij etiam *Angli* (pro se quisque) [7] *strenuè operam nauarunt.* tandem effecerunt, vt Pontifex & *Hispanus* nos coniunctis copijs adorirentur. Plerique etiam ex isto numero in *Hispanica* classe fuerunt. iampridem hæc consilia Romæ agitabantur: *eorumque* [8] *maximè conscij erant*, qui huc in *Angliam* venerunt *Iesuitæ*, & ex seditionis & malorum *Seminarijs*, & sentinis Presbyteri. Negat quidem *Alanus* eos eorum, quæ Romæ & in *Hispania* agerentur, conscios fuisse. sed nequicquam negat. nam contrà loquuntur historiæ, & multi testes. nec sanè quicquā minùs probabile, quam istos earum rerum ignaros fuisse, quæ vulgò iactabantur, & quæ ad istos præcipuè spectabant. Prætereà hostibus operam suam polliciti sunt. neque enim cōsentaneum erat ea alios rogare, ad quæ efficienda nullam illi suam operam pollicerentur.

Omnia

[1] Liu. lib. 30. Valer. Max. lib. 2. c. 7.
[2] l. Postliminium. § transfugæ. de captiu. & postl.
[3] l. Proditores. ff. de re milit. & l. 3. § . vlt. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs.
[4] L. 2. ff. ad leg. Iul. Maiest.
[5] L. 3. § is qui. ff. de re milit.
[6] L. 1. ad leg. Iul. Maiest.
[7] Girolam. Caten. in vita Pij Quinti, & Æmil. Mar. Manolesf. & literæ transfugarum deprehensæ.
[8] Natalis comes.

Omnia denique tempus & euentus in lucem protulit, adeò vt omnes iam videant, istos non consilium, sed operam etiam hostibus locauisse. Qui autem hostibus operam suam promittunt, & eorum sectam sequuntur, eos & Statuta huius regni, & leges Ciuiles læsæ Maiestatis reos pronuntiant.
[a] 25. Edward. 3. Nam apud nos hostibus adhærere [a] capitale est: nec apud vllas gentes nisi magna pœna vindicatur. plerique etiam ex his aduersus Reginæ & regni securitatem coniurârunt. Nonnulli ex hoc numero, cum *Babingtonio, Parryo*, & *Someruillio*, qui caput petierunt Principis, consilia communicârunt. omnes eiusdem imperio aduersati sunt, nec vel minis vel pœnis adduci potuerunt, vt aut Reginæ imperium (refragante Pontifice) agnoscerent, aut Pontificis, qui Sententiæ suæ fulmine Reginæ sceptrum è manibus extorquere conatus est, factum cōdemnarent. Quis igitur eos nihil meruisse dicet, qui Principis omnem potestatem ex tyranni nutu suspendunt: nec vel (verbo) eam legitimo iure regno potiri affirmare, vel se cum hoste publico sentire, diffiteri sustinent? Ne iniuriâ sese accusatos querantur, illud & ex *Campiani*, & *Sheruini*, & *Iohnsonij*, & *Cottami*, aliorumq; responsis constat. Interrogati enim, *vtrum Regina an Pontificis Pij 5 Bullæ parendum esset:* nec *hostis sententiam condemnare, nec Reginæ legitimam potestatem agnoscere voluerunt*. Prętꝫer istos, coram delegatis Regijs examinati *Edmondus, Wiggius, Blackbornius, Higginius, Watsonus*, & alij aliquot sacrificuli, & alij Pontificis alumni & sectatores, aut disertè *confirmârunt Sententiam Pontificis, subditorúmque rebellionem aduersus Principem probârunt, aut respondere obfirmatis animis recusarunt*. Ex quo, omnes quæ istorum sententia esset, intellexerunt. Interrogati prætereà, *si Principi contra Pontificis, aut Hispanorum copias, ad hoc regnum inuadendum comparatas, collatis signis pugnandum esset, cuius auspicia sequuturi essent*; nonnulli apertè professi sunt se Pontificis partes secuturos; reliqui noluerunt se vel pro patria & Principe, vel contra hostes publicos pugnaturos polliceri. Quare si rectè & ex iure Militari, eos nedum qui pugnam detrectant, sed qui ducibus ad arma vocantibus nomina dare recusarunt, Romani bonis diuenditis in seruitutem tradere soliti sunt: quis hanc insignem istorum tergiuersationem, seu potiùs perfidiam, non magna pœna coërcendam putabit? Respondent isti, sibi religionem esse, contra Pontificem sentire. quî minùs religione deterrentur, ne aduersus legitimam Principem contendant? Illam verò religionem, miror vbi didicerint. Nam ex Pontificijs, qui apud nos fuerunt doctissimi, *Thomas Watsonus*, (olim Episcopus *Lincolniensis*) & *Feckenhamus*, (Abbas olim *Westmonasteriensis*) & *Henricus Colens*, *Iohannésq*, & *Nicolaus Harpesfeldij*, interrogati sub *Pij 5* illam furiosam in Reginam sententiam, vtrum non obstante illa, aut alia

qua-

quacunque Pontificis Romani declaratione, putarent Elizabetham veram esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, & vtrum eidem præstanda esset ab omnibus subditis obedientia, & vtrum ipsi demque se vt subditos vinculo obedientiæ teneri existimarent, æquè post sententiam prædictam, ac si nulla omninò lata fuisset: coram Archiepiscopo & alijs hoc nomine delegatis regijs responderunt singuli, & *legitimam esse illam Angliæ & Hiberniæ Reginam, & se & reliquos omnes obedientiæ vinculo illi obstringi, etiamsi aliter decreuisset Pontifex Romanus:* quam etiam responsionem Chirographo quisque proprio confirmauit. Videtis igitur ex Pontificijs longè doctissimos, & Coryphæos, hosce adolescentulos & indoctos homunciones læsæ Maiestatis sua etiam sententia & subscriptione condemnare.

Læsæ Maiestatis esse reos, etiam ex eo constat, quòd nullo alio nomine in *Angliam* venerunt, quàm vt rebellionem, & tumultum excitarent. Fecerat idem anteà *Mortonus*. Fatetur enim [1] *Sanderus eum idcircò in Angliam missum, vt auctoritate Apostolica denuntiaret Elizabetham hæreticam esse, ob eámque causam omni dominio, & potestate excidisse, impunéque à subditis velut Ethnicam haberi posse, nec eos illius legibus aut mandatis obedire cogi.* Inde sequutus est motus ille in agro *Dunelmensi*, & *Eboracensi*, anno 1569. Eisdem mandatis instructus *Sanderus* bellum *Hibernicum* conflauit. Quî igitur minus putemus concessum *Iesuitis* & Presbyteris istis, quàm *Mortono* vel *Sandero?* nihil aliud cogitasse istos constat ex Rescripto Pontificio. Nam cùm petijssent à Pontifice, vt explicaret sententiam *Pij Quinti, ità vt* [2] *Catholicos minimè obligaret rebus sic stantibus, annuit ille Iupiter Vaticanus toto vultu.* Ex quo sequitur, quamprimùm res mutationem aliquam accepturæ erant, executioni esse mandandam Pontificis sententiam: intereà loci potuisse istos hypocritas, qui non ouium, sed potiùs latronum ornatu circumierunt, hominum animos ad res gerendas præparare. Hunc nodum cùm *Pontificij* soluere non possint, vafrè *silentio* [3] *prætereunt.* Nullo igitur alio fine in *Angliam* venerunt, nisi vt res turbarent. Quod etiam ex ea, quæ non ita multos annos secuta est, *Hispanica* contra nos expeditione probatur. Istæ enim infœlices alites illam tempestatem impendêre prænuntiarunt. Denique omnes, qui ad nos è Collegijs Pontificum, tanquam ex equo *Troiano* effusi sunt ad perniciem nostram, & Pontificis sententiam aduersus Reginam Serenissimam probarunt, & eam executioni mandandam censuerunt: nec si facultas aliqua oblata fuisset, eam exequi dubitassent. At hoc nec sine læsæ Maiestatis noxa cogitare quisquam, nedum conari aut præstare potuit.

Respondent de coniurationis crimine transfugæ *Angli*, multáque fingunt,

[1] In visib. Monarch. & libr. de Schism.

[2] Rescript. dat. Campian. & Personio, April. 14. 1580.

[3] In libell. famos. ad persecut. Angl. aduers. iustitiam Britanniæ.

gunt, vt hanc à suis inuidiam amoliri possint: sed euentus, optimus consiliorum interpres, omnes quas illi huic negotio offuderunt tenebras, dispulit. Motus enim *Hibernici* & intestini, quorum auctores pro Martyribus colunt, coniurationésque in caput Reginę sæpiùs tentatæ, quas isti instruxerunt, & classis *Hispanica*, armáq; ab *Hispanis* publicè mota (quibuscum illi fuerunt, & adhuc sunt) non tam docendi, quàm seditionis excitādę gratia illos ad nos venisse, arguunt. Olim suspicabantur, nunc omnes intelligunt, ad classicum occinendum istos etiam à Pontifice summissos. acutiores etiam iampridem illud olfecerunt. Nec quicquam respondent isti, quod ad rem faciat. Nam *quòd plures Romæ & Rhemis eo tempore non fuissent*, quo in libello accusatorio *consilia aduersus regnum & Reginam agitasse, arguebantur*, nihil ad rem facit. Nam tempus & locus, etsi ex legibus nostris certò designentur in accusationibus, non tamen euitat pœnam reus, etsi alio loco aut tempore, crimina quorū arguitur perpetrata fuerint. Námque vt non fuerit *Campianus*, aut *Fordius*, aut *Richardsonus*, & alij *Romæ* & *Rhemis*, tempore in accusatione constituto, quid hoc ad rem, si alio loco & tempore contra Principem coniurarint? Consilia istos agitasse contra Rempub. certò ex testibus & ex alijs indicijs constabat. Quorsum igitur loci & temporis momenta aucupantur? Cur non ostendunt suos à crimininibus obiectis fuisse alienos? cur cùm omnia tentarunt, nihil efficiunt? Nam quod [1] respondent, *nec Campianum, nec reliquos Iesuitas, & Seminarij illius seditiosi sodales, Reginæ mortem machinatos esse, & falsum est, & ad crimina delenda parùm valet.* Falsum esse & *Parrij* parricidæ, & *Someruillij* illius perditi adolescentis, & *Ballardi*, & *Babingtoni*, & aliorū quorundam de Regina trucidanda inita consilia, & coniurationis *Norfolcianæ* [2] scopus & finis docet. Nā cùm vno consilio omnes ad nos venerint à Pontifice Rom. Pseudo-presbyteri, quid dubitandū est, quod reliqui tentarūt, illud istos etiam cogitasse? aut qui magis Cardinalis *Comensis Parrio*, aut Pontificis ministri *Ballardo*, quàm Pontifex istis eadem mandata daret?

[1] In libell. famos. ad persecut. Angl. aduers. iustitiam Britannic. p.17. & seq.

[2] Girolam. Catena & Æmil. Mar. Manolessi.

Prætereà, cùm Reginam plures nunc Pontifices proscripserint, eámq; præmijs propositis armis persequendam & trucidandam decreuerint; quis Pontificum istos audacissimos & profligatissimos ministros non illud cogitasse, & tentasse dixerit? Neq; enim fieri potest, quin hostium partes agentes hostilia cogitent. Quod apertè etiam isti iampridē indicarunt. Nam non tantùm motus propter religionem in *Anglia* & *Hibernia* laudarunt, eorúmque auctores Martyrum honorarijs affecerunt: sed ex isto genere pleriq; in *Hispanica* classe & expeditione aduersus patriam infesta hostium signa sequuti sunt. Indicant etiam horum perfidiam rescripta Pontificia ad *Campianum* & *Personium*. Rebus enim tantùm sic stantibus, vt sub

eorum

eorum clandestinum in patriæ fines ingressum steterunt, Catholicis (vt vocant) Reginæ obedientiam præstare licere: sin autem aliquis motus ex istorum molitionibus consequutus fuisset, ad arma eundum, illa probant. Probant deniq; testes contra *Campianum* & reliquos producti, qui hoc disertè affirmarunt, illos de nece Reginæ consilia iniuisse. Neque obstant istorum contra testes exceptiones. Nam nec hæretici, nec leues, nec criminosi erant, nec quæ contra testes dici solent.

Sed vt non omnes isti malam Reginæ mortem optarint, eámque machinationibus suis tollere aggressi fuerint: non tamen ideò sequitur, illos à criminibus, quorum accusabantur, immunes fuisse. Non enim hoc tantùm nomine accusabàtur, sed quòd Reip. *euersionem moliti essent*, (id quod ipsi etiam [1] imprudentes fatentur) & *quòd hostibus adhæsissent, & ab ijs mandatis instructi, ad Principis & Regis perniciem, hostili animo, clanculùm in regnum ingressi essent.* At hoc nec negari potuit. Ideò hoc vulnus libelli auctor cùm sanare non posset, silentio texit. Sed si suos Pseudo-martyres, à scelere summo excusare instituerit, non vnum tantùm caput, sed omnes accusationis partes diluendæ erant. At hoc nunquam efficiet, imò nec primum illud, nec ista diluere potuit. [1] P. 24.

Nam [2] *quod ipsos, siquid huiusmodi in animo habuissent, iamiam morituros id confessuros fuisse, dicit Alanus*, illúdque argumentum innocentiæ istorum euidens appellat, euidens est hominis imperiti somnium. Neque enim solent coniurationis socios morientes coniurati prodere, nec ipsis licuit rem occultam, & tanquam mysterium Pontificię causæ reuelare. Nec ratio patiebatur, vt odium sui propter tantum scelus ciuibus relinquerēt, partésque Pontificias, quas ad mortem vsque secuti sunt, proderent. [2] P. 33.

Ridiculum est etiam, quod aiunt nonnulli, ipsis præscriptum, ne se regni negotijs immiscerent, aliúdue facerent, quàm quod ad sacerdotale munus attinet. Nam quicquid illis apertè mandatum fuerat, (hoc quod maximum erat) in sinu ferebant. Præterea hoc sacerdotalis muneris esse putabant, vt *Elizabethæ* odium conflarent, subditos in Pontificis & hostis partes pertrahere.

Nec sanè verum est quod [3] asserunt, propter responsiones ad articulos quosdam, quasi ex pòst facto illos ad mortem condemnatos esse. Sed quum iudicis sententia damnati essent: voluit Regina hac ratione explorare, an vlla spes esset, istos posteà fideliores futuros. Nam licèt malè isti meruissent, tamen si vel Pontificis sententiam iniquissimam, *Sanderique* & *Mortoni* scripta & molitiones seditiosas improbassent, vel si aduersus regni hostes pro Regina se pugnaturos polliceri voluissent, vitam illis illa procul-dubio, omni scelerum abolitione facta, concessura fuisset. [3] P. 38.

1 Pag.40. Quod insinuant,[1] *Haddockum quendam, & Emmersfordium, propter responsiones solas condemnatos fuisse:* ipsi mendacium esse conuincunt. Nam propter probatam Reginæ excommunicationem cæsos, posteà fatentur ipsi. Res autem ostendit, eos læsæ Maiestatis nomine fuisse damnatos: nec immeritò, quia sub transfugarum specie, hostilem causam aduersus Principem acturi, in patriam reuersi sunt.

2 Pag.32. Producunt etiam[2] *Iohannis cuiusdam Nicolsy, hominis leuissimi & insulsissimi contra nos Palinodiam. Nam in ea palam professus dicitur, se Pseudomartyres istos falsis criminibus onerasse, eisque mortem procurasse.* Sed multa istas ineptias & mendacia refutant. Nam vtrum aliquam huiusmodi fecerit Palinodiam, nécne, incertum est: non sponte fecisse, certissimum est. maximis enim se adactum minis, & tormentis quibusdam in literis se retractasse quæ dixerat, scripsit. Prætereà falsissimum est quod dicitur, ex eius testimonio istos perditos esse. Neque enim tanta fuit illi habita fides, vt contra illos (quod ego intelligere potui) productus fuerit. Illi autem & testibus fide dignis, & confessionibus, & chirographis proprijs & rei euidentia conuicti sunt.

Neque sanè firmiores sunt, quæ à singulorum factis ad istos excusandos ducuntur exceptiones. *Nam quòd dicit Cutbertum Maynum, & Nelsonum, non propter cõiurationis alicuius suspicionem, sed propter religionis Rom. calumniam cæsos esse,* æquè falsum est. Accusati enim sunt vtrique læsæ Maiestatis, & eo nomine conuicti, pœnas dederunt. Nec obstat, quòd illi obiectum fuit diploma Pontificium de Iubileo, & consecratæ quædam nugæ, quas Roma attulisse dicebatur: huic, quòd asseruisset Reginam esse hæreticam, & schismaticam. Nam non ista tantùm, sed alia obiecta sunt, quanquam & his etiam argumentis hostibus adhæsisse, & contra reginam & regnũ, res hìc turbatum venisse, arguebantur. Illa autem antiquis legibus (vt dictum est) capitalia erant. prætereà transfugisse ad hostes, nec ipsi negant.

3 Anno 1578. Falsum est etiam quod dicitur, *Sherwoodium* ob fidem[3] interfectum fuisse. Nam licèt ille Pontificis primatum, vt articulum fidei crediderit, & ob eius causam, dum Latialem illum Iouem in oras *Britannicas* inducere molitus est, multa sit passus: omnes tamen vident, animum illum à regno & Principe alienum, & consilia cum hoste coniuncta proditionem arguisse, pœnásque grauissimas meruisse. Nec summo quidem iure cum isto Iudices egêre. Viuere enim potuisset, si vel Regiam potestatem (non obstante bulla Pontificia) agnouisset, vel hostem huius regni deseruisset. Cùm neutrum voluit, quid illi ingrato gratiæ conferendum erat? Nam nec *Romæ* parci solet ijs, qui aut Pontificiam negant potestatem, aut cum Pontificum

ficum hostibus sentiunt.

Quo nomine etiam acerbiùs cum *Laceio* Eboraci[a] actũ videtur. *Nã cùm nec Regina in regno ius, post Pontificis sententiam agnoscere vellet, nec eius se asseclam diffiteretur, omnis erga illum clementia valde intempestiua fuisset.* Neq; enim leges, vel diuinæ vel humanæ, hanc præfractam animi perfidi sententiam inultam sinunt. Pontifici illum fuisse addictissimum, & ex dispensationis quodam illi concesso rescripto, & ex sacerdotali in ordinatione professione, (quam nec illi horum pseudo-martyrum amatores negant) constat. Prætereà Reginæ ius oppugnasse, tum eadem ostendunt, tum quòd contra leges, & mores patrios hostem Principi legitimo prætulerit. [a] An. 1583.

[a] *Kirkmannum, Tomsonum, Hartum, Threlkeldium, & Haunsium etiam, nulla alia de causa nisi ob pœnitentia administratum Sacramentum, morti adiudicatos aiunt: læsæ Maiestatis ne leuissimam quidem suspicionem contendunt in illorum causa fuisse.* Sed mirum in modum desipiũt, si illorũ causam aduersus leges, & iudices defendi posse putẽt. Nam dum se isti absolutionẽ superstitioni Rom. addictis impertire simulabant, simul & aduersus Reginã odiũ, & erga hostes studiũ instillabant: vt non tam illud pœnitentiæ, quàm conspirationis esset Sacramentum, quo se mutuò aduersus Principem obstringebant. Simul (inquam) & obedientiæ vinculum, quo erga principem obligabantur, soluebant, & animos ad hostis huius regni adiuuandas copias præparabant. *Hawnsius* apertè pontificis in hoc regno ius profitebatur. His criminibus addenda sunt & illa, quòd transfugerint ad hostem, quòd ab hoste mandata ad nos detulerint, & quòd, officio erga principem deserto, pontificis solius qui se hostem nostrum professus est causam promouerint. Quæ si alicubi licuisse videbuntur: hos ob religionem, legum iniquitate oppressos fuisse asserant. Sin gladius principibus ad suam potestatem defendendam tributus fuerit, non sine causa eum contra istos reipub. apertos hostes districtum fateantur. [a] Pag. 6.

Nec cur de *Sladij* & *Bodei* morte querantur, causa est. Nam supremam principis in hoc regno potestatẽ, ipsi negasse eos fatentur. Cuius criminis pœna, ex lege totius regni consensu stabilita, imò ex *Gardineri*, & *Boneri*, & Romanæ sectæ episcoporum sententia, mors erat. Si igitur nos accusant, cur non & suos eodem crimine condemnant? nec leue est illud (vt diximus) crimen: nec deniq; in hoc vno peccarunt illi. Nam & pontificis iniquissimam sententiam probarunt, & regium ius negarũt, & partes pontificis, quantùm poterant, promouerunt.

Carterus autem iustissimo supplicio affectus est. eadem enim & suadentis & facientis est pœna. Rebellionis enim tubam, excuso libro de

Schismate inflauit. Nam & pontificis aduersus principem sententiam, & subditorum defectionem & iam factam & faciendam probauit. *Aliquid etiam de nece Principis adiunxit, quam tanquam Olophernem aliquem ab aliqua Iuditha trucidandam designauit.* Cum igitur omnia istorum facta & dicta, ad Reginæ perniciem, & regni euersionem spectarent; quid dubitamus, illos læsæ Maiestatis nomine, meritò condemnatos?

Cur nō ergo & isti lęsæ Maiestatis crimen incurrisse dicantur, & reliqui eorū sodales, diligenter inuestigandi, & pœna afficiendi? Isti pontificem (licet sponte sua satis propensum) incitant. Isti ab Hispano aduersus patriam auxilia impetrarunt. Pontifex horum adminiculo turbas facit, seditionésq; molitur. Sunt igitur isti, faces belli, incendiarij patriæ, pestes rerump. Isti ad nos exploratum venerunt, & pro [1] exploratoribus pœna afficiendi sunt capitali. Isti consilia huius regni ad hostes enunciant. Nihil apud nos geritur, cuius non statim hostes per illos fiunt certiores. Cur igitur non erant hæc malorum semina Iesuitæ, & ex Seminarijs sodales, eradicanda? cur non erant, (vt hostes) vlciscendi, qui hostiles erga nos gesserunt animos? hostes enim sunt, non tantùm qui in aciem prodeunt, sed qui sponte & dolo malo intra hostium venerunt præsidia. Etiā illi, qui hostis causam agunt, etiamsi in nostris castris versentur. Illi verò maximè, qui ab hoste, viatico instructi, ad nos cum mandatis clanculùm ingrediūtur. hæc autem omnium istorum causa est. Pontificis enim partes omnes agunt: ab ipso instructi viatico & mandatis veniunt. Nec frustra ille sumptum facit aut laborem sumit. Nam in Pontificis gratiam omnes in neruum rectà corrunt. Quàm autem nobis aduersa sint mandata, ex pontificis ad *Personium* & *Campianum* rescripto supra commemorato patet.

[1] l. omne §. exploratores ff. de re milit.

[2] Quæ igitur istiusmodi homines supplicio affecit, cur illa crudelis dicatur? Magis sanè hoc nomen ei conuenisset, si seditionum flabellis pepercisset. crudelis enim est ille, qui neglecta ouium cura, parcit lupis. Nihil illa contra leges, nihil contra mores fecit. imò multos, quos leges morti tradendos pronuntiarunt, ipsa tantùm deportandos curauit. Nullum genus mortis excogitauit nouum: imò læsæ Maiestatis reos mitiore pœna quàm legitima coërceri passa est. Dissectionem enim in partes condonauit: nec viuos (vt mos postulat) sed mortuos voluit in partes dissecari. Nec adeò multos hoc supplicij genere affectos numerare possunt ex pontificijs. Nā si omnia iudiciorū acta scrutentur, nō plures quàm quadraginta aut quinquaginta reperient, supplicio propter pontificis causam affectos. Quare si vel legum sanctiones, vel procedendi modum, vel mortis genera, vel cæsorum numerum spectâris, nihil videbis, vel *Elizabetha* mitius, vel pontificijs immanius. Ex his autē paucis, qui per hos annos superiores morte affecti

[2] Summa Elizabethæ erga pontificios clementia.

fecti

secti sunt, neminem propter religionem cæsum, non tam ex ijs quas dixi causis mortis,& leuibus aduersariorum exceptionibus,quàm etiam ex genere mortis & iudiciorum actis constat,Nam qui religionis nomine accusantur,aliter citãtur,corámq; alijs iudicibus compârent, & alio mortis genere plectuntur,Istos ergo,vniuersus processus iudiciarius contra illos institutus,proditores fuisse arguit, Nam vt proditores,proscripti,& inquisiti,& capti,& in carcerem cum proditoribus missi, & læsæ Maiestatis accusati,& eo nomine testes contra eos producti, & in conuictos proditionis sententia lata,& vt proditores & hostes patriæ,nisi mitiùs cum illis ex Regio mandato actum sit,in partes dissecti fuerunt.

Martyrum pręterea,alia est,quàm istorũ fuit,in moriendo alacritas,maiórq; constantia,*Campianus*,cùm maximè se iactare cõcionabundus in patibulo instituisset,pręmeditatúmq; sermonẽ illuc attulisset, repentè tribus factis verbis viso carnifice conticuit,vóxq; misero illi in faucibus prę mortis metu hęsit.Eiúsq; exemplo,vel potiùs propria consciẽtia territi reliqui, timidiusculè se in illo certamine gesserunt.Non erat illis constantia,non animus pręsens,non alacritas,& hilaritas Martyrũ.Si vel cum priscis Martyribus,vel cum illis,qui temporibus Marianis igne consumpti sunt,illos cõtuleris,nihil reperies dissimilius. nostri alacriter mortem,& supplicia acerbissima pertulerunt : isti mortis cogitatione animũ despondentes,& semimortui,ęgrè à carnifice ad suppliciũ tracti sunt.Cõstantissimè mortui sunt *Parrius,Ballardus*,& *Babingtonus*, quos tamen vt proditores manifestarios & de Reginę trucidandæ consilio conuictos,non solent in Martyres referre : adeò vt homines sceleratissimi constantia hos Rom. ecclesiæ pseudomartyres longè superent.

Quis deniq; istos pro martyribus habebit,quos leges,acta publica,omnes qui aut homines norãt,aut iudicio & morti interfuerunt, nec vt martyres coluerunt,sed vt proditores patrię detestati sunt?Quare vt istos proditores supplicio affecerimus, qua in re crudelitatis nos accusare possunt? Num proditores legibus coërcere crudelitas est?Cur non igitur habeantur crudelissimi,qui tum in Hispania tum in Italia illos longè grauioribus afficiũt supplicijs? Nullos nos vel sine iudicio legitimo occidimus,vel exquisitis aut nouis pœnis affecimus. Illæ corporum lacerationes,& membrorũ luxationes, & tormenta grauissima, quæ pontificijs in vsu sunt, Hispanicam & Barbaram olent sæuitiam : ad nos nihil pertinent.Imò quotiescunque *Campianum*, aut reliquos illius ex coniurationis Seminario sodales de criminibus grauissimis interrogauimus, ita cum illis actum est, vt metu potiùs,quàm dolore & cruciatu responsiones extortæ sint.

Multa quidem pontificii contrà loquuntur:sed veritas mendacijs obrui non

non potest. *Mariam Scotam, inusitato exemplo, in carcere detentam, eandémq; contra ius diuinum & humanum morte affectam,*[1] *queritur ille quisquis fuerit Versteganus, homo prorsus stultus & insanus.* Nam licet multa de iure loquatur, iuraque cùm diuina, tum humana violata memoret, nullum tamen profert ius, aut diuinum aut humanum. Meritissimo affectam fuisse supplicio Acta iudicij indicant. Nam & proprio Chirographo, & seruorum fidissimorum testimonio, & coniuratorum confessionibus, & rei euidentiâ conuicta est conspirationis in caput Reginæ & Regni huius incolumitatem periculosissimæ: eóque nomine vniuersis regni ordinibus illud à Regina flagitantibus damnata est. ne ipsi quidem pontificij[2] negare possunt, eam contra *Elizabetham* coniurasse. Cetera ego taceo, nam & satis nota sunt, & ad hâc rem non ita multùm faciunt. sed ita fœda sunt, vt non grauatè hanc Martyrem ad ornandam Rom. ecclesiam illis relinquam. Cur autem Reginam hac de causa *crudelem parricidam* fœdissimus scurra appellet, nisi planè deliraret, nulla ratio patiebatur. Nam & Reginę renitenti sententia condẽnationis contra illam expressa est, & vnam in vniuerso hoc regno illam amicam habuit *Maria*. Nec mirum videri debet, si Regina supplicio affecta fuerit, cùm Reip. administrandæ ratio nec publicum hostem, nec clandestinũ insidiatorem ferat; nec tam personæ quàm delicta spectari in illa re soleant. Nec iniusta morte affecta fuit, quæ contra salutem Principis & reipub. conspirauit, sed immeritò tamdiu conseruata est, quæ in hospitam tam ingrata fuit. Ne nobis posthac molesti sint propter iuris in istam executionem, meminisse debent, & Reginam [3]Neapolitanam olim *Vrbani 6.* consilio trucidatam, & *Ioannam Albretam* Reginam Nauarrenam nuper veneno contra ius sublatam, & *Henricum 3.* Galliarum Regem à quodã fraterculo proditione summa perfossum, & *Conradinũ* olim regem Neapolitanum à Pontifice proditum, à *Carolo* Andegauensi securi percussum fuisse.

Queritur idem quoque Henricum Perceium *Northumbriæ Comitem, submissis percussoribus in arce Londinensi, propter causam religionis, immanitate summa trucidatum fuisse.* Cuius ille nunquam mentionem fecisset, si quis vel pudor illi, vel mediocris fuisset prudentia. De causa mortis non opus est longa disputatione. Omnes enim[4] norunt, & amici multum lamentantur, tantam illi cum *Carolo Pagettio* intercessisse familiaritatem, hinc prima origo mali. ab hoc ille ad nouas res impulsus, & cum pontifice & duce *Guisio* ad perniciem principis communicauit consilia. Ob istiusmodi machinationes captus, cùm rem palam esse cerneret, partim dolore, partim ignominiæ metu mortem sibijpsi consciscere statuit. Negotium itaq; famulis dedit, vt vnus sclopetum, alius puluerem sclopetarium, & glandes sibi

[1] In Theatr. crudelit. fol. 85.

[2] Girol. Caten. in vit. Pij Quinti. & Aemil. Mar. Manolesſ.

[3] Theodoric. à Niem. de Schis. lib. 1.

[4] Ex actis Cameræ, quæ stellionatus crimina cognoscit.

sibi afferret. his paratis, intempesta nocte, disploso sclopeto, mortem sibi celerem consciuit. cur ipse hæc patraret, multæ causæ erant, ignominia publici supplicij, vitę tędium, & propter criminū grauitatem summa desperatio. Eo prætereà facto, hæreditatem ad suos transmitti videbat. cur autem Regina, quàm isti insimulant, aliquid huiusmodi faciendum mandaret, nulla causa erat. Morte enim Comitis, fundorum amplissimos reditus, quos (si vixisset) leges ipsi tribuebant, amisit. Abhorret prętereà mitissimus eius animus ab omni huiusmodi scelere: nec si maximè illum odisset, vlla ratio est, cur eum quem iudicio tollere potuit, scelere interficeret. Nec de præfecto arcis, aut excubitoribus vel minima suspicio est, illos hoc facinus perpetrasse. nam vita hominis illis in lucro erat: ex morte nihil ad illos pręter pœnam, & iram Principis redire potuit. Sed quid nos causas inuestigemus, cùm de facto constet? palàm enim vniuersum negotium examinatum est, nec vllus cuiquam iniectus est, quin sibiipsi manus intulerit, scrupulus. Nam primùm, cæsus est eo sclopeto, quem seruus eius emit, & quem ipse summo studio occultauit. deinde salua interula, sclopeto ad cor directo, traiectus est. hęc autem, ostio cubiculi vnico duobus pessulis internis occluso, nemine in eodem loco præsente, facta sunt. Quare nisi quis per impluuium deuolare potuerit, & nisi verisimile sit sicarios sine armis ad eum interficiendum venisse, non fuit ille ab alijs, quàm à seipso cæsus. neque verisimile videtur, si quis de eo interficiendo consilium iniuisset, cum sclopeto cuius strepitus non potuit eum non prodere, eum illud effecturum. Hæc ex multorum testimonio publicè probata sunt, cúmque sibi mortem intulisse, & proprius famulus testatus est, qui solus ipsi seruiebat, & famulorū, qui sclopetum ipsi, & puluerem sclopetarium, & glandes parauerant primū fuga, deinde comprehensorum testimonia. Missas igitur faciant odiosas istas sine vlla suspicione sceleris accusationes: nec laudem quęrant Martyrij, in hominis desperati luctuosa cæde: pessima sanè est causa, quam mendacium & scelus suffulciunt. de clementissima Regina, nulla illis qui illam norunt, oriri potest suspicio. Hæc Romanæ sunt Ecclesiæ & *Hispanicæ* feritatis facinora. apud *Italos*, vulgò huiusmodi Assassinamenta (sic enim *Itali* vocant) fieri solent. Pontifices Rom. sese mutuò veneno tollunt. nihil igitur est quòd putemus eos esse erga alios clementiores. *Alexander Sextus Geminium* veneno, in *Turcici* Imperatoris gratiam, magna pecunia conductus sustulit. *Iulius* [1] *Secundus* in *Petrum Soderinum* percussores emisit. [1] Guicciardin. histor. Ital. sed quid ego vetera conquiram, cum nuper Pōtificij ministri, in Reginam serenissimam sicarios armarunt & præmijs incitarunt? Nupérque & Principem *Auraunensem*, & *Henricum 3 Gallorum* regem ferro, *D' Andelotium*, Cardinalem *Castilionæum*, principem *Condensem*, & *Saxoniæ* ducem, imò

 & *San-*

& *Sanctacrucium* & *Parmensem* veneno interfecerunt? nec singulos tantùm, sed multa hominum innocentium & inermium millia simul iugularunt. Nobis hæc sine omni suspicione obijciuntur, vt etiam nuper cædes principis *Parmensis* designata. quæ nos quidem non molestè ferimus de nobis dici: nam qui falsa congerunt crimina, indicant se nihil habere quod verè obijciant.

Mortem etiam *Margaretæ Middletonæ* cuiusdam, quæ ponderibus impositis oppressa est, idem & [1] *penicillo describit, & verborum acerbitate in odium vocat.* Sed non intelligit homo stolidus, nihil in eo mortis genere esse noui. vulgò enim apud nos eo afficiuntur, quicunque in iudicium vocati, non respondent interrogationi iudicum legitimæ. nec pœna est religionis violatæ, sed contumaciæ admissæ. Cùm igitur muta persliterit in iudicio hæc (quæcunque fuit) *Middletona*, nihil fecere iudices crudele aut nouum, si vsitato legum supplicio hanc insignem contumaciam vindicarint. nec graue videri debet, quòd ex istis Proditores apud nos in partes dissecti fuerint: hic enim nobis mos est patrius, pœnaq; ea omni proditioni debita. in istis autem magna enituit Reginæ clementia. Nam licet ex iudicis sententia, secundùm leges, visceribus euulsis, in partes essent dissecandi, qui ad patriam lacerandam cum publicis huius regni hostibus coniurarunt: hanc tamen pœnam illis remittit, & mortis genere vsitatissimo affici mandat.

[1] Theatr. crudelit. p. 77.

[2] *Accusant etiam nos, quòd tormentis grauissimis & insitatis, Campianum & reliquos Iesuitas, & sacerdotes afflixerimus, fameq; & siti, carcerisq; tædio multos vexauerimus:* Versteganus ille suos in equuleis distentos, & ferreis catenis deuinctos depingit. voluit ille quidē famem & frigus describere, sed non respondit voluntati facultas. Ideò quosdam virgis cæsos, alios stigmatibus cōpunctos pingit. ad quæ breuis est responsio. Nam quòd in equuleo pendentes interrogentur in causa læsæ Maiestatis, non est illud nouū. nam & leges Romanæ, & Patriæ & omnium gentium illud probant. Ex istis autem pauci, hoc genere pœnæ ad veritatem dicendam coacti sunt: nec summa quidem vi, sed vt metu potiùs, quàm tormētis ad veritatem dicendam adigerentur. de *Campiano*, cuius (nescio quæ) tormenta singularia deprædica[illegible]omnes qui interfuerunt narrant, nunquā eum ita distentū fuisse, quin [illegible]scribere posset. Quomodò *Hispani* Inquisitores pios distendant qui norunt, Iudicent an hanc apud nos pœnā esse dicunt. mendacia de fame, siti, & frigore, & acta publica, & eorū qui istis necessaria alimēta ministrabant testimonia, leges etiam & mores nostri, & Pontificiorum conscientia refutat. Nam nullam huiusmodi famem captiui Pontificij in arce *Londinensi* passi sunt, quin multò maiore fame, in media Roma, transfugæ nostri laborent.

[2] Theatr. crudel. p. 75. & Respon. ad persecut. Angl.

rent. adeóq; miserum illum & famelicum cardinalem *Alanum* esuries & fames macilentum reddidit, vt nisi fungis essent nostri putidiores, maiores honores apud nos captiuis haberi agnoscerent, quàm Romæ haberi soleant summis pontificiæ causæ defensoribus. illis enim nihil defuit, hi Deo summas gratias habent, si semel in anno saturentur.

Propter religionis causam, nullis apud nos, aut aures perforari, aut terga cædi solent: desmerentque (credo) huius aurium perforationis, & virgarum pœnæ meminisse, si intelligerent, quàm tota illa res non esset pontificijs honori. qui enim hac pœna afficiuntur, homines sunt profligati & perditi, qui cùm nihil habeant quod agant suum, otiosè viuunt, & circumeunt aliena raptantes aut furantes. Huiusmodi igitur pœnâ si aliquos ex suis affectos dixerint, errones, hominésque nullius frugi inter suos numerent necesse est. Carceris autem custodia, omnibus in leges delinquentibus communis est, ne sibi deinceps singularem iniuriam factam putent: apud nos maximè est liberalis, & honesta. si de hac re dubitent, inquirant qualis sit *Hispalensis* ille Quæsitorum carcer, & quot mortales ex fame & inedia apud illos animarum & corporum Carnifices, mortui sunt. nam qui illa probant, non possunt nos non summè, propter nostram hoc nomine humanitatem, laudare.

A rebus *Anglicis*, ad *Hibernicas* [1] transeuntes, de quodam *Hurleo* episcopo (vt aiunt) *Cassiliensi* falsa prædicant. dicunt enim, huic ad ignem admoto, tibiarum ad ossa vsque oleo feruente, carnes adustas fuisse. sed nec qui illud fecerint, nec quo loco, nec quam ob causam norunt. Præterea quo iure hic archiepiscopus Romæ factus sit, & in *Hiberniam* missus nesciunt, aut certè nullus vnquam huiusmodi fuit archiepiscopus, meráque laruâ ludunt: aut aliquis fuit famelicus fraterculus, cui pro sua liberalitate summus pontifex nudum titulum concessit, & in *Hiberniam* non ad episcopatum, sed ad furcas misit. *Hurleum* quidem quendam accepi in *Hibernia* propter seditionem, & scelera captum pœnas dedisse: sed archiepiscopum fuisse, aut religionis nomine quicquam passum, nunc primùm audio. nec sanè si quid huiusmodi fuisset obscurum esse potuit. vt ergo propter læsæ Maiestatis crimen suspensus sit, fieri fortasse potest: vt isto modo excruciatus fuerit, non est verisimile. nihil certè hac vniuersa istorum narratione fabulosius.

Fabulosum est etiam,[2] quod de quodam ob Romanam superstitionem in vrbe Dubri in pelle vrsina insuto, & à molossis mordacibus lacerato, memorat bouino stupore *Bozius* ille *Eugubinus*. Quæro enim ab ipso, qui illi sunt qui hæc narrârunt, & quis ille fuerit, qui hæc passus fuerit? quique hæc fieri viderunt: aut qui ista ipse scire potuerit?

[1] Theatr. crudel. pag. 81.

[2] Libro 11. de signis eccles.

in Dubri sanè nihil huiusmodi fieri potuit. nulla enim eo in loco sunt indicia: nec factum esse qui apud nos habitant, norunt. præterea apud nos nisi à magistratu nulli pœna plectuntur, idq; publicè, & pœna ordinaria. Dicat igitur, quis iste fuerit magistratus, qui hæc mandauit contra leges, & regni, & humanitatis, nisi dixerit, omnesq; circumstantias huius negotij tenuerit, omnes illum vt mendacem & malediců scurram iustis conuitijs insectabuntur, & eam execrabuntur causam, quę nisi calumnijs & mendacijs, nec apud homines vrbanos, nec apud vulgus imperitũ defendi potest.

[1] Theatr. crudel. pag. 72.

Huiusmodi etiam [1] sunt fabulæ, quas de aciculis & aculeis sub vnguibus sacerdotum infixis narrant. nam nec pœnæ sunt apud nos arbitrariæ, nec huius generis aliquæ. præterea nec locum nec authorem memorant, nec eum nominant, qui hoc pœnæ genus perpessus sit. mendacia hæc *Rishtonus* refutat. nam vbi omnia [2] numerat suppliciorum apud nos visitatorum genera: de illa tamen canum laceratione, & hac aculeorum punctura tacet: quod sanè sponte non fecisset, si quæ huiusmodi pœna apud nos fuisset.

[2] In Diario post Sanderi libr. de Schism.

Narrant etiam pontificios à lictoribus magistratuum miserè spoliari. nouerat hic fortasse Hispanicorum Quæsitorum rapacitatem. quocunque enim illi ingrediuntur, eorum *Harpyiæ* omnia rapiunt. Apud nos nihil simile fieri solet. falsum est enim, quod aiunt *viduæ Alanæ* [3] *quingentas ablatas libras.* Neque enim leges vel teruntium vnum auferri sinunt: nec adeò credo illam vnquam abundasse, vt vel centum libras habuerit. hoc itaque in gratiam *Alani*, cardinalis illius mendici, dictum est, vt cùm propter pontificem, soror eius magnis opibus spoliata fuerit, aliquam à pontifice exiguam eleemosynam faciliùs emendicet. nolo omnia istorum mendacia minutiùs persequi. sunt enim infinita. ex his satis intelligi potest, cauteriatas istos habere conscientias, qui scientes, & prudentes mendacia fingunt, hominésque innocentes odio, & inuidiæ per summam calumniam subjiciunt. sed non miror istos omnia mendacia collegisse. nihil enim mirum est, si eorum famam lædunt, quorum sanguinem sorbere cupiunt. huiusmodi autem linguas disperdet Deus, & eradicabit: truculentos autem istos tyrannos oculo iustitiæ persequetur.

[3] Respon. ad persecut. Angl. pag. 278.

Multa etiam de exilij malis declamant, séque in exilium per iniuriam pulsos quiritantur. sed malè nobis, quæ ipsi fecerunt, ascribunt. pleriq; enim pontificij sponte penates proprios relinquentes, in malas oras, & exilium profecti sunt. si pontificum durũ & inclementem in se animum experti sunt, quid est quòd nobis irascantur? per nos in patria esse licuit: sed ipsi ad hostes profecti, contra patriam armati venire maluerunt. seipsos igitur suámque stultitiam incusent; nos missos faciant. nos enim nullos

 in

in exilium pellere solemus. Nonnullos tantùm, qui mortem meruerant, sacrificulos deportádos curauit Princeps, quia voluit experiri, an clementia allicere posset, quos pœna non potuit à maleficio deterrere. Hoc igitur beneficium est potiùs, quàm pœna. Nam si apud exteros libenter degunt, nósq; bello persequẽdos decernunt, quid hic hærent? cur nõ ad hostẽ, imò cur non ad coruos proficiscantur? Adeóne sunt omnes ingrati, vt cum vitã habeant à Regina precariã, & ab eadem nonnulli viatico instructi fuerint, omnes hoc beneficium maleficium deputent? quid his hominibus beneficio indignius cogitari potuit? Omnium verò indignissimus *Rishtonus*, qui cùm inter ceteros vitam habuisset precariam, vitã tamen ad Reginæ contumeliam producit, omnésq; ingenioli sui vires contra eam confert, quę vitam illi condonauit. Dicat igitur causam (si possit) *Alanus*, cur ipsius olim alumni & pontificij Sacrificuli non sint omnium odio dignissimi. Dicat etiam in hac summa pontificis erga Anglos ariditate & auaritia, cur posthac quisquam ipsius promissis inductus patriam deserat. Hucusque imperitos & simplices adolescentulos in fraudem impulit, multísque suis præstigijs decepit. sed iam mendacia eius in lucem prolata sunt: præter pontificem suum neminem deinceps promissis suis aut blanditijs fallet. Quare nisi strenuè rem agat, sciat sibi ad restim rem redijsse, cùm nec apud nos, nec apud suos vlla illi habeatur fides: adeò vt si paulò longiùs processerit, & toga illa talaris & galerus purpureus pro pane atro, imò pro lactucis & sale diuendendus sit.

[t] Queritur etiam *Rishtonus*, pseudo-episcopos partim in exilio, partim in carcere mortuos. Morosulis enim istis pseudo-martyribus, & Confessoribus quæuis pœna grauis videtur. Sed siquid mali fuerit in exilio; non nos eo nomine, sed ipsi, qui rerum nostrarum pertęsi in exilium sponte sua profecti sunt, accusandi videntur. Nullus enim ex omni illo numero, vel lege vel edicto, in exilium amandatus est. sponte profecti, nimium inepti sunt, si de nobis querantur. Nec quidem adeò arcta istorum quisquam detentus est custodia, vt non hanc custodiam, si quicquam saperet *Alanus*, præ inuidioso illo cardinalitio syrmate, & galero optaturus videatur. Hic enim lautè & basilicè viuitur: illi autem cæpis & brassica victitandum est, faméq; misero illi cor continuò corroditur.

[t] Ad transfugarum de pontificiorum episcoporum exilio, & captiuitate querelas respondetur.

Nec quidem mirum est, si libenter, licet magno cum periculo, collegiorum pontificiorum alumni ad nos reuertãtur. Quis enim non malit conjurare, & extrema etiam audere & perpeti, quàm fame & inedia, in famelicis pontificis collegijs, confici?

Nicolaus Hethius episcopus quondam qui Eboracensis erat, adeò in se mitem & beneuolum reginę animum expertus est, vt licet in religionis ne-

gotio maximè à nobis dissideret, in ædibus tamẽ proprijs, nullo illi eo nomine illato vel in corpore periculo, vel in fortunæ bonis damno, placidè cōsenuerit. Paréq; in se expertus est & *Polus* in burgo S. *Petri*, olim pseudo-episcopus, Reginæ clementiam. Non enim apud alios in custodia, sed apud se domi suauiter vixit, voluptatibúsq; potiùs quàm doloribus confectus obijt. Nec *Tonstallo* quidem Dunelmensi, aut *Thurlebeio* Eliensi antistiti quicquam defuit, vel ad necessitatem, vel ad delectationem. Nam apud Archiepiscopum Cantuariensem vixerunt arbitratu suo, & non tantùm suis opibus, sed etiam aliena beneficentia liberalissimè sustentati sunt. *Turbervillium* Exoniensem antistitem omnes Londini apud suos vixisse & mortuum esse norunt: in custodia, quod ego audire potui, nunquam fuit. Eadem principis benignitate fretus & *Oglethorpius* Carliolensis ecclesiæ dictus episcopus, minas inimicorum contempsit: carceris tædia nunquam expertus est. Nec quidem causa erat, cur aliquos carceris pedore & molestijs confectos Pontificij dicant. Plerique enim splendida palatia pro carcere habuerunt: nonnulli liberè apud se victitarunt.

Burnius enim Bathoniensis, splendida *Carei* Exoniensis mensa exceptus, crapula potiùs & maioribus poculis, quàm inedia mortuus est. Idem cum aliquot annos *Sylvertonia* vixisset, ibidem etiam (testamento bonis suis inter suos diuisis) obijt. Nec dissimili fortuna fuerunt Wintoniensis & Lincolniensis, & reliqui Mariani episcopi. Nam ita suauiter vixerunt & copiosè, vt sublato episcopatus onere & falsa specie, datum potiùs beneficium, quàm pœna imposita fuerit. Nec mirum si maiorem beneficentiam experti sint, quàm posteriores pontificis sectatores. Erant enim episcopi illi, pacis studiosi, principibus morigeri & fidi, & istorum furiosorum adolescentum, quos Romanum Bacchanal ad omnia miscenda & perturbanda nuper effudit, dissimillimi. Nam vt isti omnes rerum nouarum ansas quærunt, & ad arma vocant, classicúmque militibus pontificijs canunt, Principémque, & patriam infestis animis oppugnant: sic illi & pontificis sententiam contra Reginam apertè improbarunt, & à bellis & turbis fuerunt alienissimi. Si qui autem ex isto numero essent pertinaciores, vt *Bonnerus*, & alij nonnulli, nulla tamen alia illis pœna imposita fuit, nisi vt in custodia detinerentur, ne ouibus Christi crudeles nocerent lupi. Hæc autem adeò liberalis fuit, vt multi viri boni ad egestatem per eos redacti, fortunam cum illis commutare optarint: multóque melior esset eorum conditio, quàm illorum qui Romam fugêrunt; hi enim abundabant. Cestrensis autem & Asaphensis pseudo-episcopi, qui fuga principis clementiam præuerterunt, fame & inedia tabe-

tabefacti mortui sunt; adeóque ipsos facti puduit, vt reuersuri viderentur ad præsepia sua, si facultas vlla data illis fuisset. Ab *Italis* enim & *Belgis* cùm contempti essent, & fame consumpti; non mirum si facti illos pœniteret. quod autem in custodia nonnulli detinerentur, pertinacia aduersus leges, non religio in causa erat. Neque enim, quòd transubstantiationem, aut Missam, aut Liturgiam Romanam, aut imaginum cultum probarint, fraudi illis fuit, nec qui apud nos huic superstitioni fuerunt olim addictissimi, eo nomine aut interrogati, aut in periculum adducti fuerunt: tantum illis fræni iniecti, qui os impurum aduersus Principem & leges aperuerunt. Quod quidem si vel maximè remissi & patientissimi essemus, ferendum tamen non erat. Quid igitur carceris, & custodiæ tædia & molestias queruntur, cum illis rerum potientibus fortuna ea licet à nostris peteretur, concedi tamen non potuerit? Cur temporum nostrorum accusant asperitatem? morte affecti nulli sunt ex Pontificijs, nisi Maiestatis læsæ, & aliorum scelerum conuicti. Læsam Maiestatem acerrimè omnium populorum vindicant leges. Neque sanè adeò multi hoc mortis genere occubuerunt, quin multò plures eiusdem criminis rei, deportationis tantùm pœna affecti fuerint. Si leges sanguinem à proditoribus repetunt, quàm erat hæc prædicanda clementia, quòd proditoribus vita condonata fuerit? si pœnæ genus spectetur, vulgatum erat non nouum; non noua tormenta excogitata, nec nouum genus mortis quæsitum. Quod de fame qua suos in carcere confici ferunt, deblaterauit *Rishtonus*, omnes calumniam esse norunt: proferat igitur testes, ostendat documenta & signa, nec vnis illis *Brianti* adolescentuli præfracti fictitijs literis contendat.

Ne in exilium quidem quisquam Pontificiorum apud nos deportatur, nisi cui pœna multò grauior debetur. Comes *Westmerlandia* in exilium quidem profectus est, multique cum eo coniurationis rei: sed scelerum potiùs & criminum conscientia, quàm religionis amore. Illum enim non zelus erga religionem Pontificiam, sed æs alienum ad res nouas adegit, hominem adeò religionis expertem & ignauum, vt nec castra, nec circumstantia pericula illum amorum obliuisci facerent. Itaque nunc patria caret, & in *Veneris* prœlio saucius factus pœnas pendit Venereas, non *Martis* ille pullus, sed *Veneris* Nepotulus.

Stuclelus postquam multos annos pyraticam fecisset, & ex latrocinio parta bona, vnà cum ditissimæ coniugis dote exiguo temporis spatio deuorasset, transfugit ad hostes. A nobis quidem lege in exilium actum illum dicere non possunt: nam metu pœnæ, & conscientia scelerum à se commisso-

commissorum profugit.

Nihil est igitur quod de huius viri fuga querantur; est quod nos potiùs queramur, quod collectis ex Romanæ vrbis sentina copijs quibusdam, contra patriam bellum gesturus reuerti statuisset: quod sanè fecisset, nisi iustitia diuina ipsum è medio itinere ad bellum *Numidicum* rapiens, homicidiorum, stuprorum, furtorum, multorúmque scelerum pœnam aliquantò hominum expectatione celeriorem ab illo exegisset. Cur istum hominem aliósque eius similes in alienas oras eiectos querantur, nulla ratio patitur. Nec quidem impedire potuimus, quo minùs imperiti adolescentuli, patria relicta ad istos proficiscerentur. Legibus quidem non coguntur, imò maxima proposita pœna ne fugiant, deterrentur. Cùm itaque crudelitatis, & iniustitiæ inusitatæ quærunt exempla, abeant ad *Hispanos*, & *Italos*, illósque omnium scelerum magistros Pontifices, Pontificúmque asseclas; & desinant *Elizabetha* qua nihil vnquam vidit sol clementius malè loqui; desinant transfugæ *Angli* mitissimam principem, *parricidam & carnificem appellare*; [1] desinant inquam fœminæ optimæ homines turpissimi oblatrare.

[1] Theatrum crudelitat. fol. 84.

Nec si sapiunt quidem, pergent *Henricum Gallorum* Regem crudelitatis nomine accusare. Tantùm enim abest ille à crudelitate, quantùm illi ab omni verecundia & pudore. Huic enim non *Galli* tantùm, sed & [2] *Hispani*, non tantùm sui, sed hostes etiam clementiæ testimonium præbent. Nihil magis ipsi in votis est, quàm vt *Gallos* suos omnibus clementiæ exemplis promereatur. Eodem loco habet & verè credentes, & Romanæ superstitionis studiosos, modò patriæ memores verè *Galli* sunt: nec quenquam habet hodiè inimicum, nisi hostes publicos, & degeneres *Gallos*. Atque vtinam non magno constitisset illi hæc intempestiua clementia. Nam dum agris, & tectis rebellium parcit, bellíque disciplinam negligit; sibi & suis multùm nocuit, hostium & rebellium animos nimiùm auxit. Parcit tamen ille, animúmque ad parcendum obfirmauit. Nec licèt ad maledicendum & mentiendum *Rossæus* processerit, quenquam tamen proferre potest, qui ab ipso propter Romanam religionem, aut in vitę discrimen adductus fuerit, aut bonis exutus, aut è patria eiectus: imò nullos habet ille chariores, quàm nobiles quosdam verè *Gallos* eius superstitionis studiosissimos.

[2] *Se precia de muy humano especialmente con los vencidos, Pedr. Cornejo. confederac. Franc. f. 44.*

Proferunt quidem Pontificij multa crudelitatis barbaræ exempla. quosdam enim *Nemausi*, alios *Angolismæ*, alios apud fanum diui *Macarij*, & alijs in locis crudeliter, varióque à nostris cruciatu peremptos, fingunt. *Verstegamus* [3] *quæcunque ipsi in mentem venire potuere cruciatuum genera, ea ille presbyteris, & alijs Pontificiæ superstitionis studiosis à nostris inflicta penicillo*

[3] In theatro crudel. f. 33. & sequentibus.

nicillo suo depingit. Prodijt etiam anno 1588 [1] libellus quidam mendacissimus, *de immanibus nostrorum hominum crudelitatibus in ciues Niortenses.* sed nihil dici, aut fingi potuit impudentius. *Niorti* præfectum, vrbis iudices,& præcipuos ciues,præcipuè autem Presbyteros,& Monachos ad cædem post vrbem captam conquisitos,& varijs casibus peremptos asserunt. sed homines isti viui scurrarum istorū conuitia refutant. neq; enim quisquam vno *Lamartio* homine sceleratissimo excepto nisi in ardore pugnę armatus ibidem occisus est. præfectus ipse & reliqui ciues,imò & Presbyteri incolumes dimissi sunt, multi etiam in vrbe viuunt. Cùm huius generis reliqua sint conuitia(sic enim dicenda sunt potiùs,quàm crimina,)quid ego in illis refutandis multùm laborem? Mendacia esse & pugnantia narrationum aperta, & omnium hominum qui ijs negotijs interfuerunt memoria, & historiæ rerum gestarum indicant. Præterea nec nomina eorum qui occisi sunt,nec eorum qui has crudelitates perpetrarunt, nec loca,nec tempora tenent, quæque nonnulli vno loco & tempore, alij alio facta narrant. Multa etiam ante annos triginta in angulis quibusdam perpetrata commemorant, quæ nunquam illi tamdiu si vera fuissent, tacituri erant. quis igitur non videt, quo tempore armis coniurati hostes religionem aggressi sunt, eodem clandestinos scurras calumnias has, vt causam nostram odiosam vulgò facerent confinxisse? *Henricum* igitur *Gallorum* regem,causamque quam ille defendit,nunquam his mendacijs crudelitatis crimine deformabunt. longè enim hæc portentosa immanitas ab eius abhorret moribus.

[1] *Les cruautez execrables commises par les heretiques contre les Catholiques de la ville de Niort,en Poitou.*

Nec ad rem facit,quòd in vrbium direptionibus, & militum excursionibus, & belli ciuilis tumultibus hisce postremis multi Episcopi, & Presbyteri fugati, multi sacrificuli, & Pontificiæ causæ studiosissimi variè vexati, nonnulli etiam cæsi fuerint. Non enim debent qui marte contendunt, martis aleam recusare. In acie enim & ardore pugnæ, & vrbium expugnationibus Mars fæuire solet maximè.ex istis autem nonnulli propter scelera cæsi sunt in nostros infandissima. Quare quod in pugna *Drensiana* nobiles nonnullos interfectos dicit *Rossæus*, nunquam diceret, si quicquam saperet; quid enim noui fecerunt milites, qui hostes in acie trucidarunt? Nec in expugnatione *Angolismensis* vrbis, & *Nemausi*, & *Valentia* excidio, mirum est si multi occubuerint. Eam enim sortem captæ vrbes & expugnatæ subire solent; magisque mirandum est, si eo tempore parcatur ciuibus, quàm si non parcatur. neque enim si maximè cuperent, duces quo minus ista fierent impedire potuerunt. Quid igitur Regi adscribat hæc bellua, quæ belli & pugnæ effecta sunt? omnia bella sequi solent terror, error, fuga, cædes, rapina. Planè igitur ineptus est, qui

belli Ducem eo nomine reprehendit, quod bellum gerit: præsertim verò cum nihil magis cupiat ille, quàm pacem, nec quicquam magis detestetur, quàm rapinas, fugam, & cædes subditorum. Nullum sanè ille, licèt Romanæ superstitioni addictissimum, qui relictis coniuratorum consilijs ad cor redire & bonæ frugi esse voluerit, aut honore aut bonis exuit. imò ne quisquam illis noceat, & diplomatibus datis, & præsidijs diligentèr cauet. Quare nisi aliquem iniquo iudicio oppressum, aut tempore pacis contra ius occisum, aut propter religionis causam subditos vexatos & oppressos dicere possit: desinat deinceps Regi omnium optimo & clementissimo ipse sanguinarius, cædis & rebellionis cornicen crudelitatis infamiam affricare.

Nec enim quicquam Pontificijs crudelitate familiarius, nec ab isto alienius: quos enim isti omnibus modis vexare & perdere solent, eos iste omni studio conseruat, & quàm amplissimos esse cupit. de crudelitate istorum, & barbara immanitate si dicere vellem, dies me dicentem deficeret: audite tamen ex multis pauca; neque ea ex veterum annalibus, aut historijs Pontificum repetita, quorum facta immania complura & iam diximus, & aliâs dicemus; sed in recenti hominum memoria infixa, ea præsertim quæ in *Gallia*, *Belgio* & *Indijs*, Pontificij nupèr designarunt. Primum autem locum merentur *Gallicæ* in multos; secundum in singulos patratę carnificinę. Nihil enim vnquàm vel apud *Turcas*, vel *Pœnos*, vel immanissimas nationes auditum est [a] strage *Parisiana*, & reliquarum per *Galliam* vrbium cædibus crudelius. hostes enim illi, non ciues; & maleficiorum damnatos, non indemnatos; nec promiscuè viros, fœminas, pueros cædere solent: isti verò homines inermes, indemnatos, nullius criminis conuictos, imò senes, fœminas, infantes iugularunt. Quo tempore alta quies, & sopor homines nihil periculi metuentes oppresserat; intempesta nocte carnifices armati in ædium penetralia irrumpentes, passim viros, mulieres, & paruos liberos tanquam in capta vrbe cædere, & mactare cœperunt. Non illos fides Regia, nec pacis tempora, nec nuptiarum lætitia publica liberauit.

[a] Hæc à festo Bartholomæi Bartholomæana dicta est.

Admirallio duci totius *Galliæ* rei militaris facilè peritissimo primùm vulnus à sicario quodam inflictum fuit; posteà eundem (quem armatum in acie non sunt ausi intueri) nudum & nihil tale metuentem noctu in lecto obtruncarunt; obtruncatum mutilarunt, truncúmque corporis fune per vrbis plateas ad patibulum pertractum suspenderunt: dignissimi qui carnificum officio fungerentur; eorum enim facta imitabantur. Qui ad Regiam tanquam ad *Asylum* confugerunt, tanquam in latronum speluncam incidissent; ibidem mactantur.

Bileius vir notæ fortitudinis, regísque *Nauarreni* amici aliquot in ipsa Regia à militibus, ipsi inermes confodiuntur. lætabantur interim qui Regi aderant Pontificij, & rex ipse gaudio exultabat. Aliquot dies durauit hæc infanda nigróque notanda lapillo ad perpetuam Pontificiorum infamiam strages. virorum, fœminarum, puerorum & infantium partim ferro, partim laqueo, partim aqua, aliisq; casibus multa millia paucis diebus extincta sunt; in ijs multi etiam Romanæ superstitionis studiosissimi.

Adeóque in nos exarsit Pontificiorum rabies, vt *Chastineria* non illa nimiùm casta (nimiùm enim quendam Archanum amabat) sed crudelis meretrix, & fratrem, & fratris socerum trucidandum curauit. Nec vitam satis habent abstulisse, nisi cruciatu etiam corpora miserorum lacerent. Postquam enim [1] ministrum quendam in *Lugdunensi* cæde securi militari *exanimatum afflixissent* ad terram, oculos illi pugionibus effoderunt primùm, deindè multis vulneribus confectum, in subiectum flumen de ponte præcipitarunt.

Nec minori rabie in miserum quendam fabrum ærarium sæuierunt; nam fustibus primùm verberarunt, deinde in flumen proiecerunt, natanti caput dolarunt, nauem scandenti demum manus amputarunt.

Piorum hominum multitudine, cum ædes *Celestinorum, & Franciscanorum Lugdunensium* eo tempore quo passim trucidabantur pij, impleuissent; eò sæuos quosdam carnifices immiserunt, miserósque illos homines vindictam à Deo expetentes, miseris modis tanquam oues in macello mactarunt: vt ædes istæ non tam fratereulorum receptacula, quàm Christianorum lanienæ viderentur.

Nec tu *Briquemalde* senex barbaras istorum manus euasisti. tibi enim post grauissima tormenta quibus in partes propè distractus es, morte infami vita erepta est; omniáque illa tua merita, laudésque militares obtritæ iacuerunt. Eodem genere lethi *Canagnius* occubuit venerandus senex, & meliora meritus. Horum crudeli cęde isti exultarunt. ne ferę quidem istos feritate superant. Post nobilis cuiusdam [2] *Galli* cędem, viscera ipsi exenterarunt, & contis affixa circumgestarunt; (viscera enim impiorum crudelia) cor autem ijdem canibus obiecerunt, huiusmodi hominibus mãsuetioribus, corpusq; in sterquiliniũ abiecerunt. Alium quendam per vrbis plateas (facie humum verrente) [3] pertractum primò vstularunt, deinde in flumen proiecerunt, postremò canibus lacerandum exposuerunt. Quem tandem sæuiendi modum aut finem constituent? [4] Alteri cuidam primùm cerebrum lapidibus excussum fuit, deinde corpus igni traditum, postremò in muro vt sclopetarijs meta esset, suspensum. vnum enim sibi scopum proponunt, vt in nostris crudelitatis exempla statuant.

[1] *Jean l'Anglois.*

[2] Lib. 3. p. 374. Ecclesiastic. hist. anno 1580. excus.

[3] Lib. 3. p. 385.

[4] Tom. 2. lib. 7. p. 356.

[1] Pag. 887. Ne mulieribus quidem post puerperium ægris pepercerunt: [1] quandam enim è lecto deturbarunt, filium eiusdem infantulum ex vlnis miseræ abreptum ad pauimentum affixerunt, cor infantis dentibus lacerârunt: neque enim sibi ipsis vllo supplicij genere satisfaciunt. [2] Aliam honestam fœminam post vim ipsi allatam (vberibus ferro excisis) in flumen præcipitarunt; sunt enim lupi salaces & infames. Itali [3] quidam puerum quendam in partes dissectum comedisse dicuntur. Quidam alij ad vires [4] periclitandas viros pios minutatim gladijs conciderunt. *Tu Deus vidisti, & vindicabis.* Alij oculos misero cuidam [5] Euangelij Ministro effoderunt, & postea per plateas tractum semineceem igne consumpserunt. huiusmodi crudelitas per annos triginta in nostros grassata est. Nec ætas aut doctrina animos istorum misericordiæ sensu tetigit: venerando enim [6] cuidam & docto seni caput primum fustibus dolarunt, deinde dissecto ventre cor eripuerunt, & hastæ affixum circumtulerunt. Reperti etiam sunt qui [7] viuos defoderunt: alij qui pueros assarunt; alij qui nudos ad solem oculis apertis posuerunt: neque enim se satis crudeles ostendissent, nisi barbaros immanitate superassent.

[2] p. 400.

[3] p. 454.

[4] p. 531.

[5] p. 585.

[6] p. 595. & 596.

[7] Lib. 9. p. 775. 777. & seq.

Nullum certè cruciatus genus excogitari potuit, quod non isti in miseros Christianos (si miseri dici possint qui pro Christi nomine ista patiuntur) execuerunt. Quæ igitur hæc impudentia fuit Regi clementissimo, homines barbaros: viro humanissimo, sæuas belluas crudelitatem obijcere?

Impudenter etiam *Auraiensem* Principem, in quem exemplum crudelitatis barbaræ infandum ediderunt, vt crudelem in Pseudo-Catholicos insectantur. hoc enim vnum sibi proponunt, vt principibus verè Christianis mendacissimis confictis fabulis malè loquantur. Quàm ille alienus fuerit à crudelitate, perpetua ipsius vitæ innocentia, imò & ciues & hostes ab ipso conseruati testes sunt. nullum enim cuiuscumque esset religionis habuit inimicum, nisi qui Patriæ hostis fuit. Nec licet exemplum haberet in *Hispanis*, & maximis iniurijs prouocatus fuisset, vnquam tamen propter pseudo-Catholicam superstitionem quenquam interfecit; imò nec bonis exuit, nec in carcerem coniecit; nec militum furores aut impetus effrænatiores [8] probauit; nec qui in bello perierunt, nisi maximo ipsius dolore cæsi sunt. Videte quid contra *Hispani* fecerint; in victoria feroces, contra inimicos sæui, nulli parcere solent; senes, infantes, mulieres, viros vnà trucidarunt. Secum in *Belgium* intulerunt tormenta, ignem, ferrum, cædem, vrbium vastitatem, omnisque crudelitatis epitomen Inquisitionem *Hispanicam*: à parentibus auulsi liberi; cæsis parentibus multi periere orphani; vbique exilia, bonorum confisca-

[8] Natal. Com. histor. & Dinoth.

confiscationes, tormenta & mortes audiebantur; plerique ferè extincti sunt nobiles *Belgæ*; comites *Egmondanus* & *Hornius* astutia capti publicè securi percussi; atque hæc priuatim in istos duos; publicè verò multo magis sæuierunt. 1700 enim publico supplicio ab *Albano* intra semestre tempus affectos constat; milites etiam captiuos crudelem in modum mactarunt. [1] *Zutphaniam* enim ingressi *Hispani*, omnes duces, milites, ciuésque trucidarunt. Posteà capto *Nardeno*, ciues ferro, vrbem igne exsciderunt. Dura etiam *Harlemio* dedito erat præsidiariorum militum fortuna. omnes enim *Angli* & *Galli* qui belli tot casibus superfuerant, ab *Hispanis* post factam deditionem iugulati sunt. quare si crudelitatis exempla *Roffensis* inuestiget; legat bellorum per *Galliam* & *Belgium* ciuilium historias, exploret quid *Galli* & *Hispani* qui pontifici seruiunt, egerint: & si otiũ ipsi fuerit ad *Indias* nauiget, interrogétq; quot hominum myriadas ibi deleuerint: quot miseros mortales frustillatim dissecuerint, igne torruerint, canibus lacerarint, variísque cruciatibus interfecerint. quibusdam enim oculos [2] eruerunt, quibusdam manus amputarunt, quibusdam ventre dissecto viscera euulserunt. fœminis grauidis ventrem aperuerunt. in miserorum hominum corporibus vires periclitati sunt, viríque fortissimi habiti sunt, qui aut caput truncare, aut brachium abscindere, aut puerum medium vno ictu facillimè distruncare potuere. infantes à matrum vberibus auulsos crudelissimè ad terram afflictos peremerunt: quosdam suspendio, alios igne sustulerunt, nonnullos verò vtroque mortis genere affecerunt. nam & in patibulis suspenderunt, & igne succenso combusserunt. in insula *Hispaniola* multis patibulis erectis tredecim in singulis suspendendos curarunt: adeóque non pudebat eos huius immanitatis, vt in honorem Christi, & Apostolorum se istos suspendisse iactarent. cúmque nec isto modo sæuis suis animis satisfacerent, multos aquis, multos canibus ferocissimis immissis, complures autem laboribus, & fame necarunt: istáque sæuitia teste [3] *Bartholomeo Casasio* quindecim hominum millionas, hoc est centies quinquagies centena hominum millia, 40 annorum spatio extinxerunt. terræq; tractum quinquies *Hispania* maiorem incolis interfectis vastarunt. quæ ego cum mecum cogitarem, in hac tandem opinione confirmatus sum, *Verstegamum* illum qui theatrum edidit crudelitatis, licet nobis multas crudelitatis species ascriberet; de suis tamen *Hispanis* tantùm cogitasse. omnia enim quæ isti in *India* crudeliter fecerunt, ea nobis ascribit. quæ autem de nobis mentitur, ea de *Hispanis* verissima fuit.

Multos à nostris in domum conclusos & igne iniecto combustos mentitur: *Hispani* autem in insula *Hispaniola* fide data accersitis insulanis,

[1] Dinothus lib. 2. de bel. Belg.

[2] In tract. Barth. à Casas.

[3] Liber eius impressus fuit Hispali apud Sebastianum Trugillium Hispanicè anno 1552.

præcipuos ex omni nobilitate delectos in paleæ aceruum coniectos igne iniecto momento vno exusserunt. perfidiámque, & crudelitatem coniungentes in vtraq; re omnes mortales superarũt. Reginæ *Anacoana* optimè de *Hispanis* meritæ laqueo gulam fregerunt, omnibus enim documentum extare voluerunt, esse illam gentem perfidam, & ingratam, pessiméque conferri, quæ in *Hispanos* collata sunt beneficia.

Nobis objicit ille dominam quandam Marendatiam à militibus nostris ingratis quia ab ista sæpius benè accepti fuerant [illegible] tractatam: *Hispani* autem 3 hominum millia, qui illis cum donis varijs[1] occurrebant, vnáq; & mulieres, & infantes, homines & ingratissimi & crudelissimi trucidarunt. in vrbe *Mexico* tripudiantibus per vrbem indigenis, quòd ea re gratum se facere *Hispanis* putarent, dux militibus immissis, multa hominum millia nulla data occasione interfecit. In vrbe Dubri *Verstegamus* pseudocatholicum quendam fingit à canibus discerptum: *Hispani* autem multa miserorum millia[2] canibus tanquam feras laniarunt quos tamen iste vt viros fortes, & valde catholicos laudat. sed nec *Mauri*, nec *Turcæ*, *Hispano* genere sunt crudeliores: miseríque sunt qui se illis committunt, aut fidunt.

Nostros accusat, quòd pseudocatholicos quosdam patriæ proditores in equuleo pendentes interrogarint, & iudicio conuictos supplicio affecerint: *Hispani* autem multa Indorum millia varijs tormentorum generibus interfecerunt, quod non aurum quantum poscerent, attulissent, hominésque liberos, & indemnatos, & innoxios, & nulla re tam reprehendendos, quàm quod huiusmodi pestem in terras suas recepissent, crudelissimè multis mortis generibus trucidarunt.

Si quid nos lege, aut iure egimus contra noxios, illud isti reprehendunt, multáque de suo affingunt, quò aliquid de nobis inuidiosius dicere possint: *Hispani* autem populo libero bona, patriam, libertatem eripuerunt: Soleas ferreas clauis pedibus multis affixerunt, cute secta alijs salem insperserunt, quo grauiorem ex vulneribus dolorem sentirent, nares, labia, palpebras circumciderunt, manus & digitos amputarunt, laqueo, igne, ferro infinitos sustulerunt: nec vllum genus crudelitatis, quod vel ex annalibus discere, vel ingenium sæuum, & immite excogitare potuit, omiserunt. Nec tantùm ex plebe, & gregarijs militibus nonnulli ista perpetrarunt, sed etiam summi duces.

Quanto *enim*[3] *quisque nobilior erat, ita erga Indos immanior fuit*. maximéque animos ad hanc carnificinam *inflammarunt*[4] *sacrificuli & fratres*. Isti, cum modum tantis iniurijs imponere statuisset *Carolus* quintus,

[1] In insula de cuba. Barth. à Casas.

[2] Barthol. à Casas.

[3] Bartholom. à Casas.

[4] Hieron. Benz.

quintus, quantùm potuerunt impedimento erant. multísque rationibus allatis nullam miserorum habendam rationem docuerunt. Isti enim lupi sunt ouinis pellibus tecti, nec lana tantùm contenti erant, nisi & sanguinem ouium sorbere possent. quid igitur mirum si milites tam sæui fuerint, cum huiusmodi doctores sequerentur? In Indis & Belgæ, quis se maneat exitus, si in Hispanorum manus aliquis casus illos obtulerit, videre possunt. possumus & nos quo nos animo armis aggressi sunt, suspicari. quis igitur non prius moriatur, quàm vt se his sæuissimis bellius dedat? *Hispani* enim ex *Maurorum*, & *Pœnorum* sunt reliquijs: longè *Mauris*, *Turcis*, & *Pœnis*, crudeliores. quare si crudelitatis, aut immanitatis quærit exempla *Rossens*, nihil opus est, vt ad nos redeat. habet enim in *Hispanis* & *Gallis* suis formam eius depictam. Hispanica quæstio instar theatri est, vbi ipse & *Verstegamus* omne genus crudelitatis intueri potest: si quid ibi deest, habet ex *India* luculentam exemplorum materiam.

Frustrà sanè apud nostros crudelitatis exempla quærit, nam licèt & huius regni omnia scrutetur rerum gestarum monumenta, multáque in *Henricum Gallum* & *Auranienscm* excogitarit mendacia: suámque *Scotiam*, & *Germaniam* etiam licèt peragrauerit, nullas tamen inuenit, nec inuenire poterit publicæ crudelitatis apud nos notas. Imò adeò omnia ipsi aduersa sunt, vt non sine flagitiosa impudentia crudelitatis meminisse poterit. *Elizabetha* enim quam vulgò pontificij vt crudelem traducunt, omnibus virtutibus reliquas omnes fœminas, clementia seipsam quotidiè superat: atque vtinam dum à iustis pœnis ab improbis, & flagitiosis transfugis repetendis abstinet, non sibi ipsi & suis malè consuleret. neque enim satis consulit gregi, qui lupos arcet, sed qui cauet, ne noceant. *Henrico* autem *Gallorum* rege nihil mitius; nec minor hæc fuit in *Auraniensi* principe laus; longè denique à nostris legibus & moribus abest crudelitatis omnis suspicio: hæreticos enim nostri morte non mulctant præter blasphemos; proditoribus autem multis vitam nostri largiti sunt. Apage igitur insulsos istos accusatores, qui hominibus clementissimis crudelitatem objiciunt, cum ipsi lupos feritate & immanitate longè superent. Nihil enim magis sæuum, quàm pontificia Synagoga vniuersa.

Nusquam rerum potiti sunt pontificij vbi non multa in nos ediderint crudelitatis barbaræ exempla: ne suis quidem si quando irascantur parcere solent, sunt enim efferatis moribus sæuæ, & truculentæ belluæ. Apud nos queruntur proditores supplicio affectos secundum leges,

&

& mores patrios: ipsi ex nostris infinitos nullius criminis conuictos, neque alio nomine accusatos, quàm quòd Romanæ Synagogæ sententiam improbarent, sæuum in modum flammis consumpserunt. queruntur suos episcopos carcere detentos: nec tamen alio nomine detenti sunt, quàm vt ne nocerent. Queruntur & in exilium eiectos, quò tamen ipsi sponte profecti sunt. adeóque sunt morosi, vt nec quod reipublicæ postulabat ratio laudent, nec quod ipsi fecerint probent, nec in sententia certa maneant. Apud nos multos episcopos, & vnum archiepiscopum, complures etiam summos viros crudelissimè interfecerunt, quibus si incolumitatem concedere voluissent, custodia, & exilium in beneficio fuissent. Cum hos tantos viros tanta pietate & probitate insignes, & propter summam eruditionem celebres bonis exuerint, carceribus teterrimis vexarint, odióque exitiabili illis sanguinem hauserint: nonne ferream his esse oportet frontem, qui tanta voce exclamant, & nobis nec gemitum liberum concedunt? sed hunc luporum morem habent, ne vultum quidem ferre possunt cuiusquam liberiorem, cum ipsi omni crudelitate in bonos desæuierunt. nos legibus & moribus, quòd in paucos sicarios & patriæ euersores animaduertimus, vt crudeles reprehendimur: isti ex nobis plurimos indemnatos, imò nec appellatos quidem partim summissis percussoribus, partim seditione populari, partim immissis Carnificibus (sic enim vocandi sunt qui inermes trucidant potiùs, quàm milites) mactarunt: quorum sanguis innocentissimus in terram fusus apud Deum vindictam quotidiè flagitat.

Annos iam 34 rerum potita est *Elizabetha*, neque tamen vltrà 40 aut 50 proferre possunt ex suis propter pontificis causam supplicio affectos, quorum tamen nullus aut alio nomine quàm læsæ Maiestatis damnatus, aut alia quam proditorum pœna affectus est. nonnullos etiam ex his, aut sicas in reginam clàm distrinxisse, aut palàm armatos aduersus eandem in acie constitisse, fateantur necesse est. apud nos autem vno[1] quadriennio quo illis sæuire permissum erat, crudeles isti tyranni propter vnam religionem, 400 veros Christi martyres viuos flammis excruciarunt: in ijs multos viros summos doctrina exquisita, & pietate admirabili insignes, plures etiam fœminas, ne pueris quidem, nec prægnantibus pepercerunt, imò ex mulieris aluo infantem defluentem, flammis ipsi magis sæui in ignem proiecerunt: ignis enim vitam dedit aperta matris aluo, isti lupi occiderunt. quibusdam facibus ardentibus vrebant manus; alijs membra mutilarunt; in alios omni immanitate sæuierunt: multos præterea fame, alios ferro in carceribus extinxerunt, infinitos solum vertere coëgerunt. *Crammerum* ætate & forma venerandum senem, eundémque moribus,

[1] Sub finem regni Mariæ.

&

& pietate spectatissimum virum flammis torruerunt: eodem genere lethi *Ridleium* virum suæ ætatis doctissimum, eundémq; grauitate & prudentia spectabilem, constantissimúmq; Iesu Christi martyrem, & vnà grãdęuum illum senem *Latimerum* extinxerunt. Quid ego singulos commemorem, aut veterem animi curam ex tot doctissimorum, atque optimorum virorum interitu contractam renouem? omnes enim isti, aduersus Romanam ecclesiam sentientes persequuti sunt; promiscuéque episcopos, aliósque verbi ministros, & quoscunque veritatis professionem facientes mactarunt, nec illis profuit religio, doctrina, pietas, aut probitas: nec hos teterrimos carnifices deterruit aut bonorum dolor, aut patriæ gemitus, aut odium populi. Habent igitur nunc isti iusto Dei iudicio, quod meruerunt; nam vt multos innocentes iniusto iudicio oppresserunt; sic nunc commutata ratione æquissimo iudicio propter patriæ proditionem, & grauissima scelera ipsi carnificum manibus iustissimas religioni pendunt pœnas, patiuntúrque quæ in alios machinati sunt.

In Gallia ex quo tempore primùm fideles persequi cœpit meretrix illa sanctorum sanguine ebria, Christi oues tot innocentes teterrimi isti lupi occiderunt, vt nec numerus facilè occisorum iniri, nec summa persecutorum immanitas satis oratione nostra describi possit. Temporibus *Innocentij* tertij Romani non pontificis, sed veriùs carnificis; ipsi se aliquot millia miserorum in tractu Tholosano & *Prouincia* interfecisse gloriantur. *Dominicus* quòd ei carnificinæ interfuisset, signúmque lupis illis, luporum immanium signifer prætulisset, in sanctorum martyrum catalogum à Rom. pontifice relatus est, Si igitur queruntur isti quod iudicio sublati sint aliquot patriæ hostes & incendiarij: qua illos prosequemur querela aut clamore, qui copijs militaribus, tot homines indemnatos, tot miseros rusticos, piásque matres ad cœlum manus tendentes, matrúmque opem plorantes, & implorantes paruos gnatos ferro crudelissimè iugularunt? si erant hæretici, cur non vt hæreticos iudicio potiùs quam armis perculerunt? si non erant hæretici, cur eos tanto odio persecuti sunt? cur inquam tot innocentes pueros, & infantes, qui hæretici esse non potuerunt, interfecerunt? ex illo tempore qui vel minimùm à pontificis sententia abhorruerunt, nunquam eos ferro & flammis, vt hæreticos persequi destiterunt, hanc vnam ob causam aliquot vrbes in Aquitania, & Prouincia expugnatę sunt; temporibus *Francisci* primi Gallorum Regis Merindolenses, & Chabrierenses à patrijs laribus extorres acti; eorúmque plerique à *Minerio* illo crudeli carnifice deleti sunt: reliqui syluarum & montium beneficio mortem euitarunt, syluásq; & fe-

ras experti sunt isto homine mitiores: eorum vicos & tecta exscidit, vnáque viros, mulieres, & infantes quos inuenire potuit, mactauit. Multos temporibus *Francisci* primi, *Henrici* 2. & filiorum eius, iudicijs oppressos supplicio affecerunt. Cum autem carnifices tantæ multitudini cædendæ non sufficerent; milites suos in nostros emiserunt, (si milites dicendi sint, qui armis inermes, & misericordiam implorantes miseros homines, & fœminas, & pueros vnà interficiunt,) Nos nullos occidimus indemnatos, ne patriæ quidem proditores. [1] *Franciscus* autem *Guisius in* Ecclesiam mediam tempore cultus diuini, cum militum manu irrumpens, vbi omnes propter vanum pacis nomen se tutos putarunt, magnam fœminarum, & puerorum, & hominum inermium innocentes ad Deum tendentium manus stragem edidit. Sed Deus hanc immanitatem non diu siuit inultam: nam ipse etiam ex insidijs non longè post vulneratus occubuit, sanguinéq; suo innocentium à se factam cædem expiauit. Huius exemplo in multis alijs locis populus sacrificulorum vocibus furiosis concitatus, nequicquam testantes nomen pacis, & sancta & iurata fœdera, & regia promissa multos innocentes, & inermes, & nihil tale exspectantes concidit.

[1] In cæde Vassiaca.

Sed præ illa in Regiæ puellæ funestis nuptijs per regni Gallici plures partes nostrorum carnificina, illa leuiora fuisse videntur; hæc enim non perfidia tantùm, sed omni crudelitate, & scelere summorum tyrannorum superauit immanitatem. nuptiarum enim specie nostri decepti Lutetiam vocati ibidem in nuptiarum summa hilaritate populariter cæsi sunt. Nec Regia nostris asylum erat, nec templa. imò nec in ætate, nec in sexu, nec in amicis vllum erat præsidium: alij ex tectis dati præcipites, alij in subiectam aquam proiecti, plurimi verò gladijs & pugionibus confossi sunt. Nullam nec fœminarum verecundiæ, nec communis humanitatis rationem habuerunt, nec crudeles oculos cæsorum spectaculo satiare potuerunt.

Lutetiæ exemplum plurimæ vrbes secutæ tantam nostrorum hominum ediderunt stragem, vt nulli qui publicè religionem profiteri auderent superesse viderentur. Nihil certè vnquam factum crudelius, nec sceleratius, nullo tamen facto magis gloriari isti solent. Rex *Carolus* post patratam cædem infandam, Deo gratias egit, quasi ob præclaram victoriam. Idem pontifici *Admirallij* caput vt victoriæ signum misit, victósque pontificum hostes gratulatus est. Romanus populus nuntio accepto se in gaudium soluit: & vt nulla re magis, quàm crudelitate illum delectari sentiatis, summus pontifex arte qua potuit maxima hoc scelus ex omnibus annalium

mo-

monumentis eradendum, in aula ſua in duabus tabulis ad perpetuam ſceleris memoriam depingi curauit. Cur igitur non ſunt iſti vt crudeles lupi odio habendi?

Dicent fortaſſè, ſe *hæreticos tantùm* (nam hoc commune eſt iſtorum aduerſus orthodoxos telum) *perſequi*. At nec veteres iſto modo hæreticos iugularunt, nec ſacræ literæ iſto modo mactandos docent; nec periurijs priſci patres hæreticos deceperunt, nec tempore pacis armis illos oppreſſerunt: nec fœminas illi, nec infantes mactarunt, ſed doctrina refutarunt, & iuſtitia coërcuerunt; iſti verò cum nihil poſſint verbo, omnem ſuam vim aduerſus orthodoxos & verè Chriſtianos in armis, & crudelitate, & iniuſtitia locarunt.

Lupinis his faucibus ſanguinem multorum innoxiorum hominum in Hiſpania, Italia, Germania, Gallia, Belgio, Dania, Scotia, aliiſque regionibus hauſerunt, non igitur nos qui proditores, & incendiarios, qui ab hoſte ſubornati ad patriæ incendium venerunt iudicio & legibus ſuſtulimus; ſed illi qui propter Chriſti nomen tot homines pios, & innoxios occiderunt, eccleſiam Chriſti perſequuntur; non nos, ſed illi crudeles: nam ſi numerum ſpectes, multis partibus plures viros bonos illi occiderunt, quam nos improbos: plures inquam vno menſe pios, quàm nos per triginta & amplius, annos impios: ſi pœnæ ſpectes genus, nulla mors vſtulatione grauior eſſe poteſt. Tormenta habent exquiſitiſſima; nihil inquiſitione Hiſpanica, aut Italica magis vel pontificijs ipſis horrendum: Multos enim non aliter quàm ipſi, ſentientes aut grauiter vexant, aut propter vnum ſæpè verbum interficiunt. Ideò Romæ [1] carcerem inquiſitionis populus frequens poſt mortem primi eiuſdem Architecti *Pauli* tertij, effregit, & diruit; populúſque Neapolitanus armis eandem repulit. nec alia maior cauſa eſt, cur Belgæ aduerſus Hiſpanorum crudelitatem ſe armarint, aut Mauri rebellarint.

[1] Onuphr. in Paul. 3.

Fuit illa primùm contra Mauros, & Sarracenorum in Hiſpania reliquias inſtituta: poſteà eadem, ſed duriore lege contra Chriſtianos exerceri cœpta eſt. res eſt plena barbaræ crudelitatis; Carcer teter eſt, proceſſus lentus, quæſtio per tormenta ſæuiſſima; crudeles carnifices, ſed his longè crudeliores quæſitores. Membra in quæſtione luxantur, ſæpè & diſcerpuntur. Multi carceris pædore, plures tormentis intereunt, Si quorum conſtantia hæc omnia mala ſuperat, igne lingua prius exciſa, aut membris mutilatis, vſtulantur. his accedit fames grauiſſima, & fame grauior multorum annorum cuſtodia. Quare etiamſi impudẽ-

 tia

tia istis frons tanquam ferro munita fuerit, nunquam tamen dicere possunt pœnas nostras in proditores grauiores esse, quàm istorum in eos, qui die *Veneris* carnes gustarunt, vel minima in re contra decretales deliquerunt.

Vt pœnarum genera taceamus, longè etiam nos in hoc superant, quod nullos nos indemnatos supplicio afficimus; illi nulla re magis glorian-tur, quàm si quouis modo nos occidere possint, damnatos, indemnatos, in pace, in bello, sponsos in thalamo, mulieres in gynæceo, inambulantes in foro, quiescentes in lectis, in medijs itineribus, imò & in medijs tribunalibus. Nullos nos contra fidem datam morte afficimus: illos perplurimos perfidia occidisse, testantur & *Gallicæ* carnificinæ, & *Hispanorum* crudelitates. Nullos nos sicarijs emissis interfecimus; veneno nullos sustulimus, hæ Pontificiorum artes sunt antiquæ. *Auraniensem* per sicarios trucidarunt, & nuper licet non religionis nomine *Henricum* tertium *Gallorum* Regem. Eodem modo per *Maurevellium Moium* virum fortissimum necarunt. Veneno *Condensem* Principem, *Dandelotium*, Cardinalem *Castilioneum*: & non ita pridem *Saxoniæ* Ducem; eisdémque artibus *Ioannam Nauarrenam* sustulerunt: multas etiam machinas in Reginam *Angliæ Elizabetham* intenderunt. Sed Deus ancillam suam ex eorum cruentis eripuit manibus. Multis etiam apud nos grauissimorum criminum reis propter nobilitatem aut amicitiam, aut Principis clementiam parcitur: illi in Nobiles grauissimè animaduertunt, nec amicitiæ, aut sanguinis vllam rationem habent. Ne Regio quidem adolescenti *Carolo* pepercerunt *Hispanici* quæsitores; nec pater filium liberare potuit. Luge igitur *Philippe* si non consensisti in mortem filij, orbitatem tuam; si consensisti [1] scelus tuum & parricidium. O patrem patrui quàm patris similiorem; crudelem inquam patrem, & sanguinarium; crudeles illi erant quæsitores, tu pater longè fuisti crudelior; illi quòd inimicum & aduersarium mactarunt more fecerunt suo; tu cum filio te orbasti patrios dedidicisti mores, & exuisti sanguinis affectum & animum paternum. Cùm igitur in suos tam sint crudeles, an vllo vestro, fratres charissimi, supplicio istos satiari posse putatis? Cauete igitur per Deum cuius nunc veritatem amplexi estis, ne vllam illis ansam crudelitatis præbeatis, fauces istas lupinas sanguine nostro redundantes præligate. Isti & viuos pœna afficiunt, & mortuos odio prosequuntur, nam nec in sepulchris vllam nobis dant quietem: at hoc nobis inhumanum videtur: illi nec sexui parcunt, nec ætati: apud nos cum fœminis agitur clementiùs, infantes sine scelere occidi non posse putamus.

[1] Girolam. Caten. in vita Pij 5. vbi & Philippi ad pontificem hac de re literæ habentur.

Atque si in nos tantùm crudeles essent, nec natura feritatem hanc coluissent,

luissent, aliquam possent fortasse habere excusationem. Nam omnes sibi in iniurijs suis persequendis nimium indulgent: isti verò suos eadem aut fortassè maiore immanitate persequuti sunt. *Largitione* ([1] inquit *Platina*) *& ambitione Pontificatum quærentes & adepti, posthabito diuino cultu inimicitias non secùs ac sæuissimi tyranni inter se excercebant. Formosi* corpus *Stephanus* è sepulchro erutum truncauit; *Sergius* verò tertius nec hoc contentus, capite amputato, corpus è sepulchro secundò erutum, in Tyberim proiecit. [2] *Ioannes* verò vndecimus in prædecessorem non mortuum, sed viuum sæuijt; eundem enim captum ceruicali in os iniecto suffocauit. [3] *Ioannes 12.* vel (vt alij volunt) 13. cardinales suos malè mulctauit. vni enim manum, alteri nasum amputauit. *Vrbanus 6.* [4] cardinales in culleos insutos in mare præcipitauit: nouit enim sibi cum parricidis negotium esse. *Paulus 4.* multorum hausit sanguinem. non mirum igitur si rubrum habuerit nasum. Multos Cardinales veneno extinxit *Alexander 6.* neque in annalium monumentis vllum tyrannum immaniorem fuisse quam eius filium *Cæsarem Borgiam* accepimus. *Iulium 2.* sanguinarium vocat *Budæus*, eique parcit. nam non tantùm multorum sanguinem hausit, sed summa perfidia necauit. *Xisti 4.* consilio in medio templo cæsus est *Iulianus Medicæus.* nec alio in loco Imperatorem ad cædem destinauerat *Gregorius* septimus. *Ioanna* Neapolitana Regina antè altare necata est, conscio & consentiente *Urbano 6.* Aberrauit quidem *Iulius 2.* [5] percussores tamen ad occidendum *Petrum Soderinum* emiserat. *Nicolaus 3.* [6] carnificinam illam Sicilianam in qua cæsi sunt omnes per Siciliam Galli, carnifex ipse consilio suo procurauit. Cuius exemplum sequutus *Gregorius 13.* stragis *Bartholomeana Carolo* Gallorum Regi author erat. Nolo hic plura persequi; neque enim dubium est, quin pontifices Rom. fuerint crudelissimi; eorúmq; exempla, & qui eorum fidem amplectuntur, sequuti sunt. Dies me deficeret, si quęcunq; in Belgio & India Hispani, in Gallia milites pontificij crudeliter designarunt referrem. nobiles, rusticos, fœminas, pueros, suos, alienos, magna certè sæuitia trucidarunt.

[1] In Sergio 3.

[2] Plat. Luitprand. lib. 2 c. 13.

[3] Plat. in Ioh. 13.

[4] Theodoric. de schism. lib. 1. c. 25

[5] Guicciard.

[6] Macchiauel. li. 1. hist.

Quare si propter proditorum quorundam iustissima supplicia conquerantur *Sanderus, Rishtonus, Stapletonus, Alanus*, & larua illa *Versteganus*: cur non nos homines innocentissimos indignissimè cæsos queramur? Si crudeles nos propter pœnas iustissimas inflictas putent, quod ipsis nomen conueniet, qui tot latrocinia & cædes admiserunt? Si lamententur proditorum necem, cur non nos tantum sanguinis innocentissimi à crudelissimis belluis fusum, tot viros pios, doctos, probos, mactatos lugeamus? Si sibi iniqua postulent, nobis æqua concedant.

Nam quod se Catholicos profitentur, nos pro hæreticis habent, in vtróque

 falsos

falsos esse vniuersa hac disputatione docuimus. nec quicquam magis contra illos facit, quam quòd tam acerbis pœnis hæreticos persequẽdos censeant. Quis enim aut illos hæreticos esse dubitet, aut non dignissimos illis pœnis deputet, quas in alios statuerunt?

[a] Respons. ad persecut. Angl. C. 3.

Quod [a] affirmant, *nos nullas habere aduersus hæreticos leges*, ridiculum est; quis enim nescit, & veteres omnes superesse, & nouas etiam factas? prætereà nihil hoc pro ipsis facit. Nam licèt propter hæreseos crimẽ ne appellentur quidem, at in læsæ Maiestatis legum laqueis pendentes hærebunt. Cùm læsæ Maiestatis damnantur, quid ipsis hæreseos nomine lis intentetur? At inquiunt, quid *hæreseos nomine intelligendum sit, nescitis.* nugas meras. Quid enim magis absurdum, quàm nescire nos quod toties illis obijcimus, tot locis probauimus; ipsi verò licet se scire profiteantur, tamen planè quid sit hæresis, nesciunt. Nam cùm pro hæreticis habeant eos, qui vel die *Veneris* carnes, vel tempore Quadragesimæ oua comedunt, vel qui leuissimam Romanæ Ecclesiæ nullo Dei verbo mandatam cæremoniam negligunt, vel leges Pontificis Romani violant, quis non videt eos planè quid hæresis sit, nescire? sanè aut illi nesciunt, aut omnes quicunque fuerunt patres, & docti viri nesciuerunt. Nusquam enim illi hæresim definiuerunt Pontificis voluntate, nec veritatem hæresim dixerunt, nec vllam sententiam hæresim sapere putarunt, nisi quæ aduersus fidem super Scripturis fundatam defenderetur. Quod cùm illi faciant, meritò vt hæretici plectendi sunt. Si hæreses impunè tueri liceat, Reginæ hoc clementiæ acceptum ferant; desinántque superbire; saltem desinant hostes sequi, patriámque oppugnare: nec putent se pœnam vitaturos, quòd se maiorum fidem profiteri affirment. Nihil enim minùs verisimile. Christum enim deseruerunt, & Apostolos qui reuera nostri sunt maiores; à priscorum etiam Patrum defecerunt sententia, vt tanquam filij spurij mœchos Romanos sequantur: imò à veris Rom. Ecclesiæ Episcopis discesserunt. Nunquam enim vel *Petrus* vnde genus ducere cupiunt, nec *Clemens*, nec *Linus*, nec cęteri longo sequentes stemmate Rom. Episcopi legitimos Principes aut sententia, aut insidijs, aut seditione, aut factione, aut armis, aut his omnibus simul è sede Regia deturbarunt. non erant illi seditionum capita, aut flabella, nec principibus sceptra extorserunt.

Isti verò à pontificijs episcopis nostræ ætatis multùm discrepant. Omnes enim huius regni episcopi legibus de Regis suprema authoritate temporibus *Henrici* octaui subscripserunt, omnes à partibus regijs aduersus pontificem steterunt; ne *Fisherum* quidem quem pro Martyre colunt excipio, licet animi inconstantia posteà pro Pontifice strenuè pugnarit. Nec hi modò, sed & episcopi *Mariani*, vt anteà ostendimus, Pontificis aduersus

sus Reginam sententiam improbarunt. Qui igitur hanc Pontificis arrogantiam aduersus Principem defendunt, & pro illo strenuè pugnantes patibulari pœna perfidiam testantur, non ij maiorum fidem, sed nouam perfidiam sequuntur; nec Christi vestigia, sed deuiam *Chora* & *Dathanis* rebellionem persequuntur. Dicant enim si possint ex quo Christi mandato, aut cuius legis auctoritate, aut prisci Patris sententia, Pontifici Romano hæc tyrannis concessa fuerit; vbi Principibus eorum colla subiugantur, nos satis ostendimus; sententias Patrum produximus, exemplis totum negotium illustrauimus. Cur non ipsi vicissim Pontificiam potestatem confirmant? nisi alia & noua subsidia attulerint: non tantùm hæreseos, sed & maiestatis rei iudicabuntur.

Quinetiam cùm nullam excusationem afferre possint, omnes illos longè grauioribus pœnis dignissimos deputabunt.

Cùm igitur extrema meriti sint Pontificij apud nos complures, pœnásque pauci eásque pro factis leues passi sint: agnoscant se non meritò aliquo suo, aut quia leges nobis desunt, sed Reginæ summa clementia viuere, desinántque clementissimæ Principi, flagitiosa sua impudentia [1] *carnificis, & parricidæ, & sanguinariæ, & homicidæ nomina* imponere. Nihil enim aut illa mitius, aut nostro aduersus clandestinos patriæ hostes procedendi modo remissius. Desinant denique crudelitatis meminisse, aut alios eo nomine insimulare; nam nos hoc nomine accusando, nostram erga proditores prouocant iustissimam iracundiam, suámque summam produnt impudentiam. Omnium enim superiorum tyrannorum sæuitiam, ipsi omni immanitatis genere longè superarunt, ipsásque feras feritate sua longo post se interuallo reliquerunt; súntque non tam homines, quàm humana figura sanguinarij & truculenti lupi, omnísque humanitatis expertes truculenti tyranni.

[1] Verstegan. in Theatr. crudelit. pag. 84.

CAP. 10.

Ad impudens Rossei conuitium, qui nostram religionem impuro ore dicit Paganorum & Turcarum impietate esse deteriorem, respondetur.



On illud in me sumo, vt ad singula Pontificiorum conuitia, & maledicta respondeam, esset enim illud opus immensum. nam vt nec *Libycæ* arenæ, sic nec maledictorum numerus facilè iniri potest. Prætereà vniuersum hoc conuitiandi negotium mihi displicet: quis enim qui aliquid sapit cum furiosis, & vesanis istis Sophistis maledicendo certet? esset denique omnis

nis noster in detergendis istorum latratorum conuitijs susceptus labor minimè necessarius. quis enim canum ignauorum latratum vel reformidet, vel flocci faciat? Sed quoniam maledictis potiùs, quàm argumentis causam nostram apud imperitos obruere conantur; hoc vno proposito exemplo demonstrare constitui, quam leuibus aut nullis potiùs subiectis argumentis, maximam nobis impietatem, maximáque scelera imponant. Si causa nostra cognosci ab omnibus potuisset; frustrà hæc nostra suscepta fuisset defensio. Ipsa enim per se satis omnes istorum calumnias refutat. Sed quoniam libros nostros maximis propositis pœnis legi vetuerunt; tentare volui, si mea oratione veritas ab istorum iniurijs vindicata, ad hominum æquorum aures peruenire posset.

[1] Ross. de iusta. &c. c. 4. & 5.
[2] Bellar. de not. Eccles.

Paganis & Turcis nos deteriores facit [1] *Rosseus*. Nec mirum, cùm alij [2] diabolis magis detestentur. Illud potiùs mirandum fuisset, scurra cùm sit sceleratus, linguáque & moribus impurus; si quid de bonis benè dixisset. Videamus ergo potiùs argumenta (si quæ sint) quàm hæc maledicta. His enim (adeò crebra sunt) iampridem audiendis obduruimus. Argumenta autem eius generis sunt, vt nullum aliud desiderem aut nostræ innocentiæ, aut aduersariorum calumniæ testimonium. Nam ista Atheismi accusatione nihil in Christiana religione grauius. Argumētis, quibus eadem subnixa est, nihil (si auctorem excipias) stultius aut vesanius. [3] *Primum enim ex eo, quod omnes hæretici pro Paganis habendi sint; idcircò nos Paganis concludit esse deteriores.* In quo argumento tot sunt errores, quot verba. Primùm enim non concludit, quantum in propositione complexus erat; quod in oratione vitium est maximum. Nihil enim de *Turcis* dicitur. Deindè, non sequitur ex præmissis, quod proposuerat. Nam si, quod sumit, *Hæretici sint Pagani*; falsum est, *deteriores esse Paganis*. Non enim fieri potest, vt quis seipso sit eodem respectu deterior. Tertium erratum est, quod nos pro hæreticis habet; quod, vt viuat Cornicis ætatem, habeátque non illud suum rusticum ingenium, sed omne *Iesuitarum* acumen, nunquam probaturus est. Falsum est etiam, quod omnes hæreticos pro *Paganis* habendos dicat, nec distinguat inter eos, qui in Trinitate & summis fidei capitibus, & eos qui in cæremonijs leuissimis errent: inter eos, qui licèt legitimè sint condemnati, tamen molesti esse pergunt; & eos, qui falsam tuentur sententiam, sed nunquam in iudicium vocati sunt: inter doctores & discipulos. Inter hos autem plurimùm interest. Nam Christus eos pro Ethnicis habendos dicit, qui & amicè admoniti, & legitimo iudicio conuicti, parēre tamen nolunt. *Rosseo* autem adeò graue videtur delictum, *die Veneris carnes comedi posse censere*, vt de grauissimis fidei capitibus prauè sentire. Quintum verò huius argumenti vitium est, quod omnes eos pro hæreticis

[3] P. 182.

cis habet, qui Ecclesiam audire recusant. Nam nec scelerati, qui in sordibus volutantur, & admoniti se emendare nolunt, hæretici sunt, licèt veram Ecclesiam audire nolint: nec qui Romanam Ecclesiam audire recusant, eo nomine condemnandi sunt. Iampridem enim hæc Ecclesia à Christo aurem auertit, & Ecclesiam Apostolicam audire recusauit. Denique licèt Patres hæreticos maximo odio prosequantur: tamen magnum faciunt inter duces & gregem, inter obstinatos & deceptos, inter grauiter & leuiter errantes discrimen.

Sed nolo ego cum *Rosseo* hoc nomine contendere; fatebórque hæreticos æquè esse ac *Paganos* à fide alienos; & tantùm nos ab hæresi abhorrere, & immunes esse, respondebo. Nolo enim quæ in Pontificios tam aptè cadunt, oratione mea depellere. hoc enim *Rossei* telum ad nos non pertingit, eo autem Pontificij configuntur. Nam si hæretici deteriores sint *Paganis*; sanè deterrimi sunt plurimi ex Romanis Pontificibus, quos hæreticos esse demonstrauimus. *Pagani* sunt etiam Pontificij, quorum fides hæresi adulterata est. Peiores etiam sunt ex *Rossei* sententia *Paganis*. Nam nec rectè sentiunt, nec benè morati sunt. Præcereà, si Athei sunt, qui Patrum reijciunt sententiam, vt *Rosseus*[1] dicit; abeat ille ad Atheos, qui Patrũ Ecclesiæ sententiam nec flocci facit, & nisi Romani Pontificis voluntas instar regulæ habeatur, stare non potest. Imò, abeat ad coruos. Nam is calumniatoribus, & patriæ proditoribus locus debetur. Est enim non hæreticus, sed trihæreticus, fideíque cognitæ desertor & proditor, vt *Iudas*. Denique, si qui oppugnant veritatem, deteriores sunt Paganis, quorum plerique non iniquo animo veritatis tulerunt professionem, deterrimi sunt Pontificij. Nam ex omni annalium memoria nullos reperimus, qui maiore malitia, vi, fraudulentia, & insania, eandem oppugnarunt. Apud *Turcas* locus est tutior Christianis, quàm apud Pontificios. Illi cognitos non vexant; isti latentes inuestigant, & inuentos supplicio vltimo afficiunt.

[1] Pag. 178.

Dicit[2] etiam *Rosseus*, nostros fateri se religionem suam à diabolo hausisse. Sed hoc ille mendacium à diabolo, qui mendaciorum summus est artifex, vt alias calumnias, hausit. Nihil enim vnquam minùs verisimile, quàm quenquam ista aut sensisse, aut dixisse. Huius calumniæ fundamentum nos anteà subduximus, *Rosseumque* de *Luthero* & *Zuinglio* mentitum esse, docuimus. Tantùm enim abest, vt à diabolo didicerint; vt nec hominum nec Angelorum auctoritatem in religione aduersus Scripturas sequendam putarint; Pontificiósque, quòd Pontificum Romanorum somnia probarint, malè acceperint. Quare discat deinceps vera loqui. Nam istarum calumniarum non Christianos, sed etiam Ethnicos puderet.

[2] Pag. 184.

deret. Sed si adeò turpe sit à diabolo aliquid accepisse; quid aliud habent ipsi, quo confirment aut crucis aut imaginum cultum, aut aquæ consecratæ vsum, aut *Francisci* in cœlis honores, aut transubstantiationem, aut purgatorium? Nam ista reuelationibus à diabolis, vt diximus, didicerunt. Item nuptias & cibos quosdam prohibent. Has autem doctrinas à dæmonibus profectas, auctor est Apostolus. Diabolum autem nonnulli summi Pontifices etiam coluerunt, & familiariter cum eo versati sunt; vt [1] *Sylvester* secundus; [2] *Benedictus* nonus; *Gregorius* septimus: & ab ipso artes Papales, & Papatus rudimenta accepisse, videntur. Homicidio enim, veneficio, rebellione, perfidia, & huiusmodi artibus diabolicis Pontifices ad hoc tyrannidis fastigium peruenerunt. Proximè post diaboli artes, primogeniti diaboli, Romani Pontificis somnia, & Decretales venerantur.

[1] Platin.& Fasc. tempor.
[2] Benno Cardi.

[3] *At* (inquit ille) *non habetis Nonnas, nec sanctas votis Virginitatis obstrictas fœminas.* Ne Ethnici quidem habuerunt. Magnum enim erat inter Vestales quas habuerunt Romani, & istas Nonnas discrimen, (erant enim illæ castiores, & verecundiores) Nec reliquos habuisse huius generis fœminas, accepimus. *At sanè* (inquit) *habuerunt quasdam fœminas cœlibes, quales apud vos non sunt.* Sed nihil nostra interest, habuerint nécne, nec vtrum quidem *Rosseus* in sinu habeat aliquam ex istis sanctissimam fœminam. Non enim nos à *Turcis*, nec ab Ethnicis, nec ab hominibus; sed à Christo Iesu haurimus nostram fidem. Eóque longè putamus nos istorum mores superare, quòd illos non pudeat ab Ethnicis & *Turcis* mutuari suos Monachos, & Nonnas, imò & lampadum lumen, & histrionicum Missæ apparatum, & mortuorum procurationem, multásque alias ineptias, Ratio autem hæc *Rossei* non erga nos tantùm, sed & erga populum Dei sub lege, & Apostolicam Ecclesiam contumeliosa est. Nam si (quod ille dicit) *omnes sunt Paganis & Turcis deteriores, qui nec Monachos, nec Nonnas habent*; quid ille de Ecclesia Dei sub lege, & Apostolica, in qua nulli erant Monachi aut Nonnæ, existimabit? Aut qua pœna impudicam & impuram hanc linguam castigandam existimabimus, cuius confidentia fretus *Rosseus*, populum Dei & Ecclesiam Iesu Christi flagitiosis Ethnicorum, & *Turcarum* cœtibus postponit? Multa igitur hic peccauit *Rosseus*, Primùm, quòd non consequatur conclusio ex illis, quæ posuerat. Deinde, quòd non putauit coniugium esse castitatem. Sacræ enim literæ contrà docent, *Honorabile esse* [4] *coniugium, & lectum intemeratum:* &, non *prohiberi ab* [5] *Episcopatu vnius vxoris virum.* Similiter etiam docent Patres, vt anteà ostendimus, & in Synodo *Nicena* castissimus ipse docuit *Paphnutius*. Imò, & Ethnici (vt pudeat hunc hircum impurum suæ sententiæ) in

[3] P. 187.
[4] Hebr. 13.
[5] 1.Tim. 3.

in coniugio castitatem locarunt. *Dos est magna* (inquit[1] *Horatius*) *parentum virtus, & metuens alterius viri certo fœdere castitas*. Tertio in loco immeritò ille *Buceri, Cranmeri, Lutheri, Zuinglij, Caluini, Petri Martyris* piam memoriam propter coniugiũ latratibus vexat impurus canis. Nam licet isti coniugati fuerint; nulla tamen illis pars corporis adeò inquinata erat, quin *Rossei* ore impudicissimo, monachorúmq; & pontificum impuris linguis multo fuerit purior. Sed nullũ admisit grauius flagitium, quàm quòd cœlibatum & castitatem pro eodẽ sumpsit. Maximum est enim inter illa duo interuallũ. Cœlibes enim multę in lupanari prostant, quas nemo dicet castas esse. Cœlébsq; fortassè est huius calumnię autor; sed vix castus; imò, quod pręcipit[2] glossa, vix cautus. Nam nunquam ille, si cautus fuisset, in adulterio deprehensus, pulchrè fustibus contusus fuisset. Nec quia cœlibes sunt Monachi & Nonnæ, idcircò casti sunt. Nihil enim magis aduersatur castitati, quàm vultus & voces impudicæ, quàm clandestini mulierum amplexus, furtiui amores, portentosæ & flagitiosę contra naturã libidines; quę in monasterijs, tanquã in tribadum, luparum, scortatorum, & pædiconum infandis lustris exercentur. Si mihi nolit credere affirmanti, legat annales Rom. pontificum nequitiæ magistrorum: legat quę nos superiùs diximus de insigni istorum turpitudine. Si nec veterum testimonijs fidem habeat; at saltem oculos aperiat, & videat libidinum in vultu, & corpore suorum sacrificulorum & monachorum vestigia, percurrat etiam lupanaria publica: neq; illum pudeat. Erit enim ea res ei fortassè honori. Est enim ipse Mœchus calamistratus, nec ab istis amoribus vnquàm abhorruit. Vbiq; longis literis istarum descriptæ sunt libidines. [3]Cardinali *Vrbinati* omnes norunt nasum lue Venerea exesum; & ne negaret, propterea & oculos etiã lues inuasit. Quid igitur hoc homine insulsius, qui suum cœlibatum tantis laudibus extulit? & adeò raro virgines in monasterijs corrumpi putet; vt illud portenti instar esse dicat? nec minori religione procurari solitum, quàm si lapidibus pluisset, aut bos locutus fuisset? Nam nec guttæ in imbre frequẽtiùs cadunt, quàm isti cœlibes & Nonnę. In vna piscina Romę *Gregorius 1.* aliquot infantium capitum millia expiscatus est. Et quum apud nos turpitudinem & scelerum nidi diruerentur; in hortis & cloacis infantiũ ossa vbiq; ferè defossa reperta sunt. Desinat igitur *Rosseus* nobis honestũ & castum coniugiũ obijcere, cum apud põtificios monachi Massyliensiũ & Sybaritarũ colãt mores; nihilq; illis aut dictu aut factu turpe sit, quod libeat, nisi fortè aliqui quid contra pontificem Rom. obloquantur; multiq; sacrificuli frequentiùs lupanaria, quàm templa visitent; Veneriq; magis, quàm religioni litent; tantáq; pontificiorũ sit turpitudo, vt nulla lustratio, nulla aquę vis eam eluere possit. Tacebit igitur *Rosseus*, si sapit; nec nobis Libertinorum

[1] Carm. lib. 3. Od. 24.

[2] Gloss. const. prouinc. ad profugand.

[3] Mortuus est ante annos viginti.

tiniorũ mores obijciet. Nam si perrexerit frõtem perfricare, tot illi reponemus turpitudinis ex Rom. ecclesia exempla: vt quasi canis fustibus dolatus, tandem benè verberatus populi conuitijs obmutescat. Interim verò si propter nonnarum amorem ad Turcas potiùs & Paganos, quàm ad nos transfugere instituerit; abeat in maximum malum cruciatum. Minimum enim dolorem ex homine sceleratissimo capiemus, cum maximo interuallo à nobis disiunctus fuerit.

A sanctimonialibus ægrè diuulsus *Rossæus* (valdè enim illas amat) ad nostras dissensiones dilabitur, veterémq; nobis occinit cantilenam. Sed nõ magis proficit, quàm si ad sepulchrum mortui dicat iocum. neq; enim verum est Turcis esse deteriores qui de religionis aliquot capitibus minimis inter se dissentiunt. Nam inter *Paulum* & *Petrum* grauis erat contentio; maximáq; de legis cæremonialis obseruatione inter primos Christianos altercatio: nec si nostra cum priscę ecclesię dissidijs cõpararit, paria reperiet. Absit tamẽ, vt quis eo nomine Turcis & Paganis deteriores dicat Christianos. Nihil hac *Rossæi* conclusione ineptius. Neq; enim ex vno aliquo facto ęstimanda est hominũ excellentia, nec eo dicẽdus simpliciter quis deterior, quia vna aliqua in re vincitur. Nam sic Paganis multis nominibus essent pontificij deteriores, vt posteà dicemus. Nec, vt aliquæ sint nostræ contentiones, cum Gentilium & Ethnicorũ dissidijs comparandę sunt. Illi enim diuersos Deos diuersis ritibus coluerũt. Nec deniq; vllos magis oppugnat hęc ratio, quàm pontificios. Nam non tantùm mutuis inter se verbis & dictis, & etiã maledictis & mucronibus spiritualibus; sed etiã gladijs Hispanicis inter se contenderũt, séq; inuicẽ mutuis odijs consciderunt, & lacerarunt, & etiam interfecerunt. De quibus iam antea satis multa dicta sunt: vt posthac sperem *Rossæum* sua vulnera respectantem hoc nomine nobis futurum æquiorem.

[a] Nam quod ex *Bodino* affert, Germanos in multas sectas distractos, alios *Lutheri*, alios *Zuinglij*, alios *Leidani*, *Selestadij*, *Osiandri*, *Westphali*, *Dauidis*, *Stancari*, *Adamitarum*, *Valdensium*, & *Interimistarum* opiniones secutos esse: tantidem facimus, quantũ si ipse dixisset *Rossæus*, aut huius calũniæ autores, *Staphylus* & *Cochleus*. Homo enim est leuissimus & religionis aut peruersę aut nullius: Tantúmq; abfuit, vt causam nostrã cognouerit; vt nec nomina nosset. Nam cuius ille meminit, *Selestadius* nullus vnquã fuit. Voluit ille fortassè *Carolostadiũ* dicere. Sed quò multa nosse videretur, multa dixit quæ non nouit. Pręterea non erat alia sententia *Lutheri* & *Westphali*: *Leidanúsq;* & *Dauid Georgius*, & *Adamita*, Anabaptistę erant. Quę hic audax historiarũ seu potiùs mendaciorum (est enim & mendacissimus & insulsissimus scriptor) consarcinator imperitè miscuit. Deniq; pertinet illa calum-

[a] Method. hist. c. 5.

calumnia non tam ad Ecclesiam, quàm ad *Germanos*; qui tamen ab *Adamitis* & reliquis sectis, si publicum eorum consensum spectaris, magis alieni sunt, quàm *Rosseus* à veritate & modestia.

Quod autem ille, vt validissimum telum viribus summis in nos [a] contorquet, sine omni acumine & mucrone nihil potest penetrare. Nam nec verum est omnes olim nationes Deum sacrificio coluisse propitiatorio & externo; nec eos, qui non colunt, deteriores esse *Turcis* & *Paganis*; nec nos carere sacrificijs verè Christianis. Primum ex eo constat, quod nec Apostolica, nec quæ Apostolos secuta est, ætas habuerit quotidiè repetitum & externum missæ sacrificium. Quare vt *Rosseo* falsum videatur *Turcas* imitari & *Paganos*; nos vnius Apostolicæ Ecclesiæ exemplum plus facimus, quàm omnium gentium prauas consuetudines. Præterea cessarunt & *Iudæorum* sacrificia. nusquam enim nisi *Hierosolymis*, vnde illi pulsi sunt, sacrificare licere putant. denique falsum est, quod dicit *Turcas sacrificijs Deum colere*. Nihil enim huiusmodi præcipitur ex *Mahometis* lege. Secundum probatur ex eo, quòd nec primi Christiani propitiatorio & externo sacrificio Deum coluerunt. hoc enim antea docuimus. Tertium verò etiam probatum est. nam Christi habemus sacrificium, quod perpetuò durat, cuiúsque sacerdotium est perpetuum: & quotidiè Deo offerimus sacrificia laudis & gratiarum actionis; nósque ipsos vt hostias viuas Deo consecramus: præter quæ nullum nunc habent Christiani Sacrificium. Multos quidem Pontificij Deo pios sacrificant & mactant. sed illa non tam vt Sacerdotes, quàm carnifices offerunt. Nec Deum illis placant, sed irritant. Habent præterea Missam, in qua incruentum sacrificium offerri blaterant. sed nouum hoc est, & sine autoritate susceptum sacrificium. habent etiam Monachi aliud sacrificium, illúdque quotidianum. Nam *Baccho* & *Veneri* quotidiè vina libant, omnésque delicias, & abdomen suum consecrant. hoc verò Missæ sacrificium vnde habeant, ne ipsi quidem Pontificij sciunt. Nomine quidem [b] *Dionysij*, *Athanasij*, *Nazianzeni*, *Chrysostomi*, *Irenæi*, *Ambrosij*, & aliorũ Patrum ad sacrificij externi probationem abutitur *Rosseus*. sed quàm illi in hac causa aduersi fuerint, ex ijs quæ antea dicta sunt, satis constat. Præter nomina nihil affert ille. neque enim illi ad tot Patres legendos otium erat. Argumentis autem, ne nominibus recitandis, causa obtinere solet. quare nisi aliquid aliud ex Sacris literis & scriptis Patrum afferre potuerit, hic sacrificandi mos non à Christi instituto, aut priscæ Ecclesiæ vsu; sed à *Iudæorum* veterum cæremonijs, & *Paganorum* superstitione profectus esse videbitur; erítque Pontificum Romanorum religio non Christianæ fidei, sed superstitionis *Paganorum* fruticatio.

[a] Pag. 195.

[b] Pag. 197.

Pergit prętereà nobis malè loqui, *quòd nec sacrificia, nec preces habemus pro defunctis. Nam & Iudæos & Turcas, nedum Christianos vtraque habuisse autumat.* Sed & de *Iudæis* veteribus, & primis Christianis falsa scribit. neq; enim in Canonicis Scripturis vllum est vel sacrificij, vel orationis pro mortuis vestigium. Ne ex *Machabæorum* quidem libro vlla liquida afferri potest earum rerũ probatio. nam quod obtulit *Iudas:* pro viuis vt eorũ expiaret peccata; non pro mortuis obtulit. Hæc superstitio ab ethnicis post aliquot secula, in Ecclesiam Christianam inuecta est. *Turcas* pro mortuis certum est non sacrificare. æquè quidem certum, ac *Rossenm* ea in re mentiri. Sed vtrum sacrificent nec ne, parùm laboramus. videant potiùs Pontificij, qui ab illis suæ religionis fontes hauriunt.

Huic autem *Rossei* conclusioni, illa etiam altera eiusdem similis est. nam ex eo, *quòd non sacrificamus, nec preces fundimus pro mortuis, nos animas credere vnà cum corporibus interire* [1] *colligit.* Perinde enim vna atque altera conclusio ex pręmissis sequitur. nam nec *Iudæi*, nec Apostoli sacrificarunt, aut precati sunt pro mortuis : quos tamen nunquam dicet animarum immortalitatem negasse. Imò, contra sequitur istos, qui post mortem de animarum salute aut damnatione incerti pendent, & pro eis quotidiè offerunt; valdę de animarum immortalitate, aut saltem beatitudine ambigere. Ita sanè viuunt & moriuntur, ac si præter hanc vitam nulla alia esset. scortantur, edunt, bibunt, saturantur; saturi animam vt putridi vtres efflant. quod nunquam tam impudenter facerent, si aliquod post hanc vitam iudicium expectarent. *Alexander 6.*[2] *cœlos, & de futura vita fidem Apinas esse credidit.* [3] *Ioannes 22.* de animæ statu post mortem dubitauit. Cur ergo viciffim si aliquos nostrum de futura vita tam malè sentire sciat, non nominat? Nempe, vt sciatis sceleratum hunc scurram nullo argumento malę loqui.

[1] Pag. eadem.

[2] Sannazar.

[3] Adrianus 6. de confirmat.

Insulsè etiam argumentatur, nos *ideò Paganis & Turcis peius sentire, quòd negando preces pro defunctis, nulla credamus aut impiè factis supplicia, aut bonis operibus premia post hanc vitam deberi.* Nam nisi prorsus delirаret, nunquam aut ista diceret consequi, aut auderet nobis hanc sententiam ascribere. nos verò credimus, & fatemur Deum esse remuneratorem bonorum, & iustum impiorum iudicem. Nec dubitamus sanguinis innocentis, quem illi vt aquam fuderunt, pœnas daturos illos grauissimas; nobisque Deum bona pro his, quæ hîc perpessi sumus pro eius nomine mala, ex sua gratia & summa beneficentia redditurum. Atque hanc sententiam, licet veteres, & *Iudæi*, & Christiani preces pro defunctis nec funderent, nec nossent; ipsi tamen nobiscum etiam defenderunt. Sed nolite mirari, si hęc nobis flagitia imposuerit *Rossens.* apud suos enim causam di-

sam dicit iudices, partes accusat absentes, veritatẽ calumnijs occultat; nec alia ratione turpitudinis propriæ maculas faciliùs eluere se posse credit, quàm si nobis audacter maledicat, & Libertinos, & Hæreticos, & quiduis illi libet, appellet. Cuius impudentiam rei euidentia refutat; scelus verò procul dubio Deus vindicabit.

Expectabam sequenti loco rationem aliquam, aut saltem rationis vmbram. neq; enim putabam aliquem adeò insanum fore, vt continenter nugaretur, & calumniaretur. sed vbiq; sibi similis est *Rossens*. Profert enim superioribus similem calumniam. qua in re valdè prodigus est. nusquam enim parcit aduersus nos obgannire. hoc loco dicit, *crebrò nos mutasse religionis formam: à Luthero cœpisse primùm, posteà Zuinglium sequutos: postremò, in Arrij, Sabellij, & aliorum hæreticorum erroribus constitisse.* Idem *dicit nos patrum scripta contemnere:* & ideò Paganis esse deteriores. sed istam calumniam à *Bellarmino* nobis obiectam anteà refutauimus. Nihil est igitur, quod rabidi istius catelli latratus moremur. multis enim ostendimus & Pontificios hæreticos esse, & nos rectè sentire. nec quicquam nobis exploratius est, quàm funditùs concisam iri pontificiam religionem, si patres priscos iudices constituerint. nec ideò sequitur, Paganis esse nos deteriores, si ad priscos reuertamur ecclesiæ mores, & aliquid in religione mutauerimus. nam & pontificij, & Pagani, religiones suas mutarunt. Paganos nouas subinde asciuisse religiones, historiæ Romanæ & Græcæ testantur. nam & [1] *Iunonis* cultum à *Veijs*, *Æsculapij* ab *Epidaurijs*, reliquorúmq; idolorum cultus ab alijs Romani transtulerunt, idémque de pontificijs loquuntur Decretales pontificum. nam vt quæque antiquissimæ sunt Decretales, ita minimum roboris habent. Obsoleuerunt Apostolorum canones: antiquitate & situ *Clementis*, *Lini* & antiquorum pontificum constitutiones perierunt: *Innocentij*, *Gregorij* noni, & aliorum noua placita obtinent. [1] Liu. 5.

At qui Petrum nunquam fuisse Romæ dicunt, leuésq; inter Gallicas & Saxonicas ecclesias controuersias de fide esse contendunt, & de Henrico 8 Angliæ rege falsa scribunt, & aduersus historicorum fidem pugnant: id faciunt, cuius etiam Paganos puderet. hoc enim dicit *Rossens*. sed valdè in angustum redactæ sunt hominis copiæ, vbi ad has scopas dissolutas deuenit. Nihil enim minùs cohæret, quàm ista ratio; aut minùs verum, quàm illæ ex quibus constat, propositiones. nam multa negant Pagani, quę veteribus credita sunt: vt *Homericas* fabulas, & *Herodoti* narrationes. nobis autem nũquam in mentem venit negare, quæ omnes veteres affirmarunt. de *Petro* enim nec omnes affirmant veteres eum Romæ fuisse, nec nos negamus: sed ostendimus, quàm infirmo fundamento Rom. successio nitatur, cũ ex

Scripturis

Scripturis multæ contra eam afferri possint coniecturæ, nullæq; afferantur ex patribus pro *Petri* episcopatu firmæ rationes. Quòd dicimus nullas esse *Saxonicis* & *Gallicis* ecclesijs inter se contentiones, verum est. nam etiamsi duo aut tres rixentur inter se; ecclesiæ tamen amicitiam colunt, & in fidei professione consentiunt, nec sunt aliqui graues autores, qui aliter loquuntur. *Staphylum* enim & *Cochlæum*, & huiusmodi aulæ pontificiæ parasitos, & conductitios eius causæ propugnatores, nihil est, cur moremur. *Henricum* verò octauum dicimus, non propter amoris causam, sed propter Romanorum pontificum summam iniustitiam & tyrannidem, quam sæpè senserant reges nostri, ille autem odisse cœpit; iugum pontificium reiecisse. neque enim per pontifices stetit, quo minùs amoribus potiretur: nec vt amoribus potiretur, antiquanda erat pontificis potestas. scimus enim nullos esse in rebus amatorijs pontificijs liberiores, nec vllam maiorem concedi licentiam, quàm ex pontificum indulgentijs. nec adeò difficiles esse solent pontifices, vt iustissimas cuiusquam preces repudient, cùm tot iniqua & dura rescripta & facultates concedant. nam *Ludouico 12, Iulius* secundus repudiandę legitimę vxoris, nulla probata legitima causa, concessit facultatem. & alius pontifex *Carolum magnum* vt Desiderij filiæ vxori suæ nuntium remitteret, legum vinculis soluit. *Henricum* verò offendit primum perfidia pontificis. nam [1] *quod ostendit se facturum, & cuius rei signatum dederat Campegio instrumentum, non præstitit. Imò, vt Henrici inimicitiâ, Cæsaris amicitiam redimeret, contrarium fecit; sententiámque tulit proprio rescripto contrariam:* ostendítque manifestè se aut tum errasse, cum [2] sententiam contra *Henricum* tulit, aut saltem quandò [3] *proprio motu & ex certa scientia cum eodem, vt secundas nuptias licitè cōtraheret*, dispensauit. offendit etiam ipsum summa pontificis iniustitia. Nuptias enim, quas & leges diuinæ illicitas pronunciant, & dispensatio *Iulij* secundi eidem concessa, contra easdem esse indicauit, & tot homines docti & Academiæ irritas iudicarunt; quas etiam ipse *Clemens 7* nullas esse & illegitimas pronunciauerat; eas ille animo mutato, ne *Carolo 5* rem ingratam faceret, irritas & illicitas dicere noluit. Postremò, commouit regem summa pontificis in subditos suos vsurpata potestas. quem enim non commoueret, quod ærarium suum, subditorúmque opes ab externo hoste exhaustas videret? quódq; externo hosti ipsi & subditis parēdum esset? cur autem nuptiæ *Catharinæ* ipsi displicerent, non alterius fœminæ amor, vt *Sanderus* & alij huiusmodi leuissimi scurræ mentiuntur; sed conscientiæ stimulus, quòd fratris vxorem ipse detineret, in causa fuit. Hunc autem scrupulum auxit non tantùm fidissimorum amicorum, sed & cardinalis *Wolsei* consilium. atq; ista nos ex monumentorum publicorū testimonio

1 Guicciard. lib. 19.

2 Anno 1534.

3 Ex verbis rescripti ad Campegium dati.

testimonio dicimus. qui autem aliter dicunt, ex illis sunt, qui nihil huius rei intelligunt, & pontificiæ causæ mendacijs suis fidem conciliare apud imperitum vulgus conantur. non igitur nos negamus historias, sed fabulas. *Rossœus* & alij narrant fabulas, non historias; vt si ex hoc capite æstimanda religio esset, *Rossei* & *Sanderi* hæc causa vel Paganorum vel *Turcarum* impietatem superaret. nam & isti hanc de *Henrico* fabulam contra omnem veram historiam narrant; & reliqui pontificiæ causæ propugnatores aduersus historias de *Ioanna Papa*, & *Syluestro 2* pugnant. Quæque & veteres & recentiores historici, & sui & alieni narrant, ea isti negant. [1] *Benoni* ijdem & *Luitprando* omnem propè fidem abrogant. Reliquis & historijs & patribus, si quid aduersus rem Rom. pontificis loquuti fuerint, non fidunt. nullis denique nisi quibusdam conductitijs operis, quæ mendacijs oculos hominibus configunt & lucem veritatis eripere conantur, credere instituerunt. Quod quidem non dicam esse *Turcica* & *Ethnica* impietate magis infandum: sed certè omnes vident negotium esse insanum, & stultum. nam licet se in omnes formas verterint, dicátque *Obertus* ille, quisquis fuerit, *Barnestapolium* reginam *Scoticam* à mariti cæde manus habuisse puras, hocque ad rauim vsque contendat: veritas tamen valebit, omnesque sophisticos fucos, quamprimum affulserit, delebit.

[1] Bellar. de sum. pontific.

[2] Dicit etiam *Rossœus nos non tantùm fœminis & pueris summum pontificatum, sed etiam & fœminis & pueris, imò & plebeijs & rusticis de religionis negotio iudicandi & decernendi potestatem tribuisse.* quod adeò turpe & inusitatum fuisse ipsi videtur; vt illud apud Paganos nunquam permissum credat. sed nec quæ apud illos, nec quæ apud nos in hoc negotio geri solita sunt, verè perscripsit. nam apud [3] *Germanos* mulieres religionibus præfuerunt: & *Delphis Oracula* mulieres fuderunt; quod religionis erat illis temporibus summum munus. & vbi populi summa erat potestas, eius iudicio & religiones constitutæ & abrogatæ sunt; vt apud Romanos & Athenienses. Nos autem (vt anteà respondimus) nec fœminam habemus summum pontificem, nec fœminis, aut pueris, aut plebeijs publica permittimus de religione iudicia. Regibus quidē apud nos iura tribuimus regia, siue pueri sint, siue viri. nec fœminas à regio munere excludimus. quod non tantùm apud nos, sed etiam apud *Hispanos* & alias nationes obtinet. Verùm vt fœminæ, aut viri præter illos, qui legitimè vocati sunt ad ministerium, verbum publicè tractent, aut sacramenta administrent; vel vt plebeij publica exerceant in religionis controuersijs iudicia; nec legibus, nec moribus constitutum est apud nos, aut permissum. qui igitur ista nobis obiecit, impudens fuit; &, quòd nos eo nomine accusauit, quo ipsi tenentur pontificij, imprudens. nam apud illos nonnunquam rerum po-

[2] Pag. 230.

[3] Tacit. & Cæs. lib. 1.

tita est *Iohanna* summa pontifex, eadémque & verbum, & sacramenta tractauit; & quod longè deterius fuit, & scortata est, & peperit puerum planè pontificium. Præterea non rarò apud istos fœminæ baptismum administrant: & pueri cardinalatus & episcopatus honore insignes, de negotijs religionis iudicant. nam episcopi ordinarij sunt Iudices. Fœminæ autem sanctimoniales & horas (vt vocant) & preces cantillant, & istis presbyteræ dicuntur. Ea deniq; fuit *Marozia* & *Mathildis* supra pontifices potestas; vt fœminarũ nutu & arbitrio summi isti pontifices detracti & malè accepti fuerint. Caueat igitur deinceps *Roffens*, ne si hoc argumento negotium decidi permittat; pontificij etiam ipsi fiant Paganis deteriores.

[1] Pag. 235.

Sequitur, quod dicit[1] *Roffens perruptis nos obedientiæ, castitatis, & honestatis vinculis, potare & pergraecari, nec vllam habere bonorum operum curam aut cogitationem. Hoc enim ex solius fidei iustificatione consequi putat.* Sed homo luscitiosus & dialecticæ imperitus quid ex quoque consequatur, non videt. nã vt hæc fuerit Apostoli sententia; non tamen vixit malè, nec potauit, nec pergræcatus est. nec nos adeò omnem obedientiæ, castitatis, & honestatis rationem abiecimus, vt non pontificijs multò magis compositos habeamus mores. nam vt Deus nos iustificet & absoluat à peccatis propter Christum solum, soláque fide apprehensum: tamen ex hac fide bona opera necessariò consequi dicimus. Fidem autem hanc non credimus, vt pontificij calumniantur, solitariam, sed vestitam & ornatam bonis operibus, & per charitatem esse efficacem. Prætereà & bonis operibus præmia dari; & malis pœnas, putamus. Contra verò pontificij, licet bona opera magnificè iactent, legis tamen diuinæ excusso fræno, magno impetu ad omnes feruntur impietates & turpitudines. Nusquam enim aut bibitur, aut editur libentiùs, quàm in pontificum palacijs, & monachorum lustris. Soléntque sacrificuli se sæpiùs inuitare plusculum. nusquam viuitur magis basilicè, aut lautè. Hoc etiam habent amplius, quod non tantùm potent & pergræcentur; sed etiam scortentur, & ament; inimicos etiam armis vlíscuntur, hominúmque piorum & seueriorum existimationem nec pili faciunt. nam & ex libidine, plurimis eorum pili defluxerunt. Pilum certè viri boni nullum habent. non igitur pontificij, sed nos honestiùs de bonis operibus sentimus. non nos, sed illi & prouidentiam & iustitiam diuinam suis sceleribus tollunt. Quare si sapiant, amplectantur illi non solam fidem, sed solitariam fidem, eámque Romanam, eísque iustitiam ascribant. nam qui isto more idololatricos cultus instituunt, & pro eis defendendis cœlum terræ miscent; & id, quod datur, otij in amoribus & lustris & libidinibus consumunt; &, vt his suppetant largæ opes, aliena rapiunt, orphanósque & miseros spoliant;

ant ; & religionem & iustitiam commodo & voluptate metiuntur : nihil est quod operibus suis se saluos iri sperent. Maledictus enim, qui non manet in omnibus verbis legis diuinæ. his autem sceleribus grauiora imminent iudicia & pœnæ. isti ergò aut nullum iudicium, vbi operibus tribuetur merces, expectant: aut quoties cogitant, toties totis artubus, & omni cogitatione contremiscant, necesse est.

[1] Obijcit etiam *Rossæus, nos cum Arrio, & Eunomio, & Simone Mago, & Manete, & Florino, & alijs hæreticis sentire.* Oblitus est enim se anteà hoc argumentum posuisse : aut lectorem fortasse odio & molestia necare voluit. huic verò obiectioni, seu potiùs conuitio, vna negatione occurri potest. Cùm hæc sciret, cur non probauit ? Tentauit, quid in hoc negotio posset, *Bellarminus.* sed rationes & fucos eius sophisticos facilè discussimus. Quod superest autem, magnam habemus *Rossæo* gratiam, quod hæc nobis publicè crimina obiecit. nam hic & nobis respondendi data, & illis replicandi omnis præcisa est facultas. nam anteà in angulis apud suos hæc mussitare solebant. Nunc autem cum summa scelera nobis imposuerit *Rossæus*, nullisque argumentis vel minimum probarit : omnes æqui lectores videns, non tàm accusasse illum, quàm conuiciatum esse ; nec tam habere, quod nobis reuera imponat, quàm cupere nobis malè loqui. Nihil sanè hac vniuersa disputatione *Rossæi* à pontificia causa alienius. nam si nos Turcis & Paganis dixisset esse deteriores, ibique substitisset ; omnes putassent aliquod magnum scelus in moribus aut doctrina subesse. Nunc verò cum aut ludicras rationes, aut calumnias apertissimas profert : omnes eum ut ineptum calumniatorem explodunt. quid enim magis insulsum, quàm quòd propterea nos dicit Turcis esse deteriores, quòd Monachos, & Nonnas, & Missæ apparatum repudiamus ? aut quòd regia iura aduersus pontifices Romanos defendimus ? quid impudentius dici potest, quàm nos cum hereticis malè sentire de fide catholicâ, operúmque bonorum nullam rationem habere, & Dei tollere iustitiam, & rempublicam, & leges euertere ? Apage igitur hanc vesanam furiosuli istius catuli calumniam. nihil enim aut scriptis, aut moribus magis auersamur.

A[2] *Caluino etiam & Beza Geneua, à Bullingero Tiguro missos dicit, qui Arij, Pauli Samosateni hæreses, & Mahometis impietates in Polonia spargerent,* Quam calumniam quid ego verbis refutem ? verberibus huic belluæ caput dolandũ est potiùs, nam nemo ipso meliùs se mentitũ nouit. Longissimè enim isti pij viri ab *Arij* aut *Samosateni* furoribus abhorruerunt. nec scriptis quisq̃ diligentiùs *Arianorum* & hæreticorũ perfidiã ipsis refutauit. stertentibus enim pontificijs & clauo ecclesię (quę indiligenter diu

[1] Pag. 250.

[2] Pag. 268.

tractarunt) indormientibus, isti vigilarunt, & canum istorum contra Trinitatem furiosos latratus compescuerunt, nec vnquam ab istis Blandrata, Gentilis, & huiusmodi pestes missæ sunt; sed potius detectæ & in exilium electæ, & grauissimis pœnis extinctæ, & deletæ, Seruetus capitis supplicio *Geneuæ* affectus est, hæreséosque eius reliquiæ statim dissipatæ & extinctæ sunt. Quæ igitur hæc impudentia est, illas hæreses Geneuensibus & Tigurinis, eorumque ministris impingere, quas & sententia damnarunt, & animis auersati sunt, & pœnis coërcuerunt? num iniustitiæ accusandi sunt, qui latrones & fures coërcent? Aut hæreseos, qui hæreticos & scriptis & legibus persequuntur? Fuerunt (inquit *Roffensis*) isti *Geneuæ*. Sunt etiam Romæ, nedum fuerunt modò *Arriani, Turcæ, Pagani*, quique animæ immortalitatem in dubium vocant. Ex Iudæis, quibus Romæ summa priuilegia conceduntur, pontifices magnum corradunt vectigal. *Mauros Hispania* expulsos Romæ tanquam in *Asylum* receptos, [1] conquestus est *Hispanus*. Monstrum illud hæreseos & impietatis plenum *Postellus*, qui ex *Mahometis Alcorano* & *Gentilium* sacris nouam, nescio quam, religionem conflauerat; non modò in oculis, sed etiam in amoribus fuisse dicitur *Parisiensibus*. & si scelus sit, fuisse *Alciatum, Blandratam*, & *Seruetum Geneuæ*: sceleratissimi sunt pontificij, apud quos ijdem fuerunt, à quibus emerserunt, à quibus venena sua hauserant, à quibus nulla saltem pœna affecti sunt. Quod autem dicit *Roffensis*, *Seruetum aliosq́; similes hæreticos à Geneuensibus hæreses suas hausisse*; nec verum est, nec verisimile. nam si à *Caluino* aliquid huius didicisset *Seruetus*, non ille tanta acerbitate pœnas ab eo iustissimas legibus exegisset. Imò, à pontificijs hoc monstrum ad nos venit, ab ijs alitum & confirmatum fuit; apud quos etiam non tantùm hæreticorum sunt greges, sed etiam Atheorum, & Impiorum: quos, vt illi impunè volitare sinant, nostri tamen acerrimè persequuntur.

[1] Onuphr. in Alex.6.

Pergit porrò *Roffensis*, *nobis fœdus Turcicum obijcere. nam & Germanos contra Carolum quintum, & Gallos contra regem Carolum nonum Turcarum opem implorasse dicit*. sed neutrum probat: nec probabile est, quod dicit. nam cùm copias haberent *Germani* amplissimas, nec *Caroli* minas reformidarent: quid opus erat ad auxilia confugere? nec miror *Surium* aut *Lauaeum* illum Apostatam ista dixisse. nihil enim aliud sibi proposuerunt, quàm vt nobis maxima queq; scelera impingerent. sed si aliquid illis credi postulassent; dixissent illi, quos ad *Turcam* legatos misissent; quo tempore cum *Turcis* egissent, quæ mãdata habuissent, quid fecissent. Nunc cũ nihil huius dicunt, homines esse illos leues, insulsos, iniquos, & intestabiles, omnes vident. sunt etiam nuper nonnulli, qui & *Anglis* fœdera cũ religionis

hostibus

hostibus *Turcis* & *Numidis* inita esse criminantur, sed & re, & locis errant, neq; enim vllum nobis est, aut vnquam fuit cũ *Numidis* aut *Turcis* fœdus aut amicitia. Tantum de Mercatorum mutuis commercijs pacta quædam intercedunt; nec nostra *Turcis* maria patent, sed hoc crimine iam antea respondimus. Stultus igitur fuit *Rossæus*, qui fœderum *Turcicorum* nobis turpitudinem obijcit, quam nusquam apud nos inuenit, cum hoc nomine Pontificij sint contaminatissimi. Nam & multos iam annos *Gallorum* reges amicitiam cum *Turcis* coluerunt, & *Franciscus* primus *Turcarum* magna auxilia in *Galliam* vocauit. *Ferdinandus* & *Maximilianus* Imperatores non tantum fœdus cum *Turca* inierunt; sed etiam maximo sumptu redemerunt. Et hic, quem passim laudant Pontificij, *Philippus Hispanus* fœdera cum *Turcis*, Catholicus (vt dicitur) cum hostibus religionis icit; quódque multo deterius est, magno suo damno pacem fecit, fœdus iunxit; vt hominibus pijs bellum inferret. ipsi denique Pontifices non ita *Turcicum* nomen oderunt, vt verè pios. Cum his enim nullum habent commercium aut fœdus: *Turcis* autem & *Saracenis Gregorius* 9. consilia Imperatoris enunciauit, eiúsque exercitum prodidit. Et *Alexander Sextus*[a] Legatos ad *Turcam* misit, pecuniáque conductus *Geminium Turcam* in Imperatoris *Turcici* gratiam veneno sustulit. Nostræque ætatis Pontifices idcirco cum *Turcis* pacem colunt, vt homines verè Christianos liberius vexent. [a] Guicciard.

Calumniatur etiam alio loco *Rossæus*, non benè[b] *sentire Caluinum, nec qui eius probant doctrinam, de Dei essentia & sanctissima Trinitate.* Quod licèt alijs verbis penè inculcasset, hæc tamen calumniarum repetitio mirificè ipsi placet. Sed cum ad probationem ventum est, profert ille hæreticos *Polonos* & *Transyluanos* quosdam, cum quibus nec *Caluino*, nec nobis vllum vnquam fuit commercium, sed summa potius distractio. Ait ergò *Caluinum Nicenam Synodum reprehendere, quæ credit Filium esse Deum de Deo, lumen de lumine; & affirmare Filium Deum ex se.* Quod ad primum attinet, mendacium est. nam non reprehendit, sed strenuè aduersus nostri temporis *Arrianos* tuetur (idque admodum piè & Christianè) Synodi *Nicenæ* sententiam. Idémque cum dicit Filium esse Deum ex se; non negat Filium, quod Filius sit, habere à Patre; sed intelligit Essentiam Filij non esse generabilem. Quod si aliter sentit *Rossæus*, non *Caluinus*, sed ipse hæreticus erit, etiam à schola damnatus, & sibilis eiectus. dicunt enim Scholastici, & verum est[c], Essentiam diuinam, quæ vniuersa est in singulis personis, non nasci, nec generari, nec partibilem esse; sed mirificè vnam. Audiamus igitur, quid *Rossæus* sentit; vt, si contra veteres Essentiam diuinam in Filio nasci asserat, ipsum etiam liberiùs conuitio [b] Pag. 273. c. 5.

uitio verberemus. Ad istas calumnias nos anteà distinctiùs respondimus, nihil igitur est, quod hic diutius hæreamus.

z Pag. 277. *Caluino tertio loco imponit, quod Deum scelerum & peccatorum autorem fecerit*, cui nos antea cumulatè satisfecimus. Vt huic importuno Sophistæ os obstruamus, iterum respondemus, non dicere *Caluinum*, Deum esse scelerum autorem; neque illud consequi ex *Caluini* verbis. Nam vt concedat ille Deum dirigere impios, ita vt ex mala illorum voluntate ipse bonum eliciat: non tamen sequitur, illorum malam voluntatem Deum impellere, aut peccatorum autorem esse. Sed infirmo nititur fundamento *Roffens*, qui *Caluini* sententiam nobis obijcit. nec vltra quàm rectè Scripturas interpretatus fuerit, nos nec *Caluini*, nec hominis cuiusquam sententiam amplectimur. Nec debet Ecclesijs Dei fraudi esse, si quid aliquis vitijs proprio nomine offenderit.

a Pag. 283. Quartò, *concludere vult Roffens Caluini sententiam Paganismo esse deteriorem, quia liberum tollit arbitrium.* Sed insulsè, vt *Caluini* sententiam probet, profert verba *Zuinglij*. Neque enim quæ vnus scripsit, ea alius sentit. verùm non est hoc maximum huius argumenti flagitium. illud maius est, quod & insulsè concludit, & falsum sumit. Primùm ex eo constat, quia non omnes, qui libertatem vel simpliciter, vel vt *Caluinus*, negarunt; *Paganis* & *Turcis* sunt deteriores. Nam Stoici, qui Fatum inducunt; & Astronomi, qui ex astris hominum voluntates suspendunt; tollunt arbitrij libertatem. Nemo tamen *Turcis* & hostibus Christi immanissimis dicet esse deteriores. Et vt negemus hominem adeò liberè bona eligere, ac mala; (quæ *Caluinus* etiam sensit) non tamen ex eo sequitur, nos *Turcis* & *Paganis* esse deteriores. Nam & prisci Patres, & Prophetæ, & Apostoli ita senserunt & docuerunt. In nobis enim, nec velle, nec cogitare bonum est: omnisq; nostra sufficientia ex Deo est: mensque obtenebrata est, & vires fractæ. contra quæ, libenter viderem, quid habeat iste canis, quod obganniat. de *Caluino* autem falsum scripsit. Non enim sustulit ille Arbitrium liberum. fatetur enim homines liberè mala eligere; sed illud Arbitrium, ad bonum eligendum ex se, sufficere negauit. Quod nec *Roffens* (credo) affirmabit, nisi fortassè abiuratâ rectâ sententiâ in castra *Pelagianorum* transire cogitet.

Dicit præterea hominem gratiâ diuinâ suffultum, liberè eligere bona: sed non viribus liberi Arbitrij, aut humanis; sed gratiæ diuinæ. delirat igitur *Roffens*, qui *Caluino* ascribit, quod nunquam sensit; & ex proprijs cogitationibus nouas concludit ineptias.

b Pag. 287. b *Colligit* etiam multa *incommoda ex eo quod Caluinum dicit credere Deum peccatorum esse autorem.* Sed nè longiùs progrediatur, manu in-

iectâ

iectâ impetum eius reprimendum censeo. Doceat igitur primùm *Caluinum* illud sentire, aut missas faciat futiles, quas indè colligit, ineptias. nisi fecerit; non ille ex *Caluini* sententia, sed ex propria stultitia bellas exædificabit nugas. Verba *Caluini*, quæ maximam huius erroris suspicionem faciunt, hæc sunt. *Absalon incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat. Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat.* Verba enim sunt, [1] *Tu fecisti occulte; Ego verò palam faciam, & coram sole hoc*, Reliqua ad *Rossei* calumniam confirmandam rapi nullo modo possunt. At si quod dicit [2] *Caluinus, Dei esse opus*, non ad detestabile scelus, sed ad Dei vniuersalem in regendis actionibus humanis potentiam referas; quid habet *Rosseus*, quod in *Caluini* sententia reprehendat? Neque sanè cogitare debet quis, vnquam *Caluino* in mentem venisse, vt Deo ascribat detestabile scelus. Contra enim eodem in loco pluribus sententiam suam explicat, Deúmque multis rationibus non esse authorem peccati concludit. nec quòd Scholasticos reprehendit, quòd dicunt otiosè permittere Deum mala fieri; idcircò putandus est Deum autorem peccatorum facere. Non enim malum facit, sed elicit ex malo bonum, regítque malorum hominum cupiditates, & Satanæ frænos iniicit, ne extra carceres feratur. Sed (vt antea dixi) si aliquis esset in verbis *Caluini* lapsus (nam in sententia nullus est) *non debet is nobis* fraudi esse, qui rectè sentimus, rectè hanc nostram sententiam verbis enucleamus; & dicimus, *Deum non esse peccatorum autorem, aut impulsorem.*

[1] 2. Reg. 16.

[2] Caluin. Inst. 1. c. 18. §. 1.

Septimò, *obijcit* [3] *Caluinum de incarnatione & morte Christi pessimè sensisse. Sustulisse enim Mariæ virginitatem, & desperationem Christo in cruce tribuisse.* Sed hoc merum est ex *Rossei* copijs mendaciorum maximis, mendacium: nec verbulum vnum *Caluini*, vndè constet eum quid huiusmodi sensisse, profert; nec quidem potest. Nam nullum est. De incorrupta autem beatissimæ Virginis virginitate iam antea respondimus satis: nec causa est, cur ad hanc de desperatione Christi in Cruce calumniam, quam passim *Caluino* ascribunt, multa respondeamus. Nec enim aliquid huiusmodi aut sensit, aut scripsit. Si aliter senserit, *Rosseus* locum designet, verba describat non sua sed *Caluini*, argumento euincat, doceátque eum Christi descensum ad inferos negasse: aut aliter *Caluinum* missum faciat, desinátque *Caluini* sententiam Ecclesiæ nostræ obiicere. Scrutetur confessiones *Anglicanæ* & *Gallicæ* Ecclesiæ: si ibi aliquo loco hæreses *Manichæorum*, aut *Sabellianorum*, aut *Arrianorum*, inuenire poterit (quod octauo loco nobis ascribit) maximis in rebus coniuratorum causæ commodabit. Sin non possit; sciat se male dicta dicere, non crimina obijcere.

[3] Pag. 306.

In sep-

In septima autem & octaua ratione non videtur ad conclusionem capitis generalem respexisse. nam hæresim nobis tantùm objicit: de *Paganis* aut *Turcis* nihil dicit. Nempe, vt sibi etiam cum illis contra Christum nimis conuenire doceat.

[1] Pag 311.

Nonò [1] contendit *nos eo Turcis & Paganis deteriores, quòd fidem subinde mutemus.* Sed quod sumit, calumnia est. nam, quam primò edidimus fidei confessionem, eam huc vsque conseruauimus. Et similiter *Gallica* & *Germanica* Ecclesiæ fecerunt. quæ igitur de menstruis fidei formulis blaterauit, ea Pontificijs potiùs, quàm nobis conueniunt. Illi enim quotidiè nouas edunt constitutiones & decretales: & aliter in *Constantiensi*, aliter in *Basileensi* Synodo decreuerunt, imò & crediderunt: & in *Gallijs* nuper, aliam *Burdegalæ*, aliam *Parisijs* ediderunt fidei professionem. *Tridentina* verò fides mirificè noua est. nam nec in Scripturis sacris, nec in antiquis Synodis, aliquod eius extat simile. Missale ijdem, & *Breuiaria* noua ediderunt. nuper etiam nouos obtruserunt & Patres, & leges.

Prætereà male conuenit conclusioni huius argumenti cum præmissis. Nam vt aliter prisci Patres decreuerint in Synodo *Nicena*, & aliter in alijs; pluresque protulerint Canones & fidei formulas: non tamen peiores sunt *Turcis* & *Paganis*. Sed vt nobis conuitium dicat, non curat ille, quos eodem conuitio inuoluat. modò Ecclesia Romana salua sit, Patrum salutem negligit.

[2] Pag. 314. & sequen.

[2] Quod autem decimo loco affert, risu potiùs quàm ratione ejiciendum est. quis enim non rideat, quòd nos *Paganis* longè deteriores facit, quòd nullas habeamus in Templis nostris noctu & interdiu collucentes faces aut lucernas, nec dies festos, nec vestes missificas? Quod non oleum, sed amurcam sapit. Adeò postquàm mare salsum traiecit, insulsus factus est *Roffens.* nihil enim magis ridiculum, quàm quòd candelæ lucente Sole accenduntur. Quod indicat istos in media luce cæcutire. nec quicquam magis Ethnicorum sapit mores, quàm theatricus Missæ apparatus. Offendit etiam istum, quod non habeamus imagines. Mirum, quòd non mitram Pontificiam desideret, & Decretales nænias. hæc autem nos grauissimis de causis omisimus: & si vllam Legis diuinæ rationem haberent, ipsi iampridem omisissent. Quis igitur non hunc maiori aliqua vi, quàm verbis castigandum dicet; qui ideò nos reprehendit, quòd ea reliquimus, quæ in Romana Ecclesia rectè seruari, probare non potest?

At (inquit *Roffens*) Episcoporum gradum sustulistis, templa diruistis, & nec Ministros, nec Sacramenta habetis. sed mirum faceret, si, qui toties

mentitur, hic verum diceret. Pauida enim veritas eius os fugit. Nam nec Episcoporum gradum sustulimus; nec eos, qui fecerunt contra omnem antiquitatis consensum, probamus; nec quæ belli clade diruta sunt templa, ea nostra culpa ceciderunt: nec quicquam deest ministris nostris, aut sacramentis, quod ex sacris literis ad Ministrorum officium, aut Sacramentorum vsum requiritur. Hæc Pontificiorum sunt vulnera. Nam Episcopi apud illos imaginibus magis muti sunt, nec vllum boni Episcopi officium præstant. Presbyteri non sunt illi antiquo more Ecclesiæ Doctores, sed Sacrifici: nouúmque in Ecclesiam ingressum est auium genus loquax & insulsum, quod nulla auctoritate docet, Monachos dico istos & fraterculos: non tamen omnes (nam plurimi licèt cantillent nonnunquam, maximum tamen eorum munus in edendo & bibendo, & horis canonicis dicendis, versatur,) sed illos garrulos Sophistas, qui nugas blatiunt. Sacramentum Cœnæ Dominicæ (vt diximus) sustulerunt: Baptismum autem infinitis superstitionibus conspurcarunt. Iubeat igitur sibi oculos effodiri, qui tam peruersè videt. Nam quæ vera sunt, huic nulla videntur; illa autem, quæ non sunt Sacramenta, videntur maximè. Peruersè (inquam) hęc iudicauit. Peruersè etiam in externo ornatu Templorum, & apparatu vestium, & campanarum strepitu, & cæremonijs Ethnicis & *Iudaicis*, cultum diuinum collocauit. Nam vt omnia fiant decenter & ordine requirit Deus, Hunc ornatum superfluum Deus nusquam mandauit, aut probauit.

Postremum verò illud, quo aciem clausit conuitiorum suorum, quæ in nos instruxit; omnium est insulsissimum. *Ideò enim* [1] *concludit nos Paganis esse deteriores, quòd non habeamus apud nos cruces, nec vnctiones, nec caremonias in Baptismo Pontificio & consecratione vsitatas.* Cuius argumenti ineptias si viderit, ineptus est, qui Lectores nugis ludit: si non animaduerterit, cæcus est & insanus. Negamus enim, qui cruces non habeant, esse *Paganis* deteriores. Cur non hoc loco acumen ingenij sui, si quod sit, ostendit? Nimirùm, vidit ille causæ suæ desperatum vulnus. Hoc ad Calendas *Græcas* probaturus est. Interim fortiter conuitiatur. Reuoluitur etiam ad illud suum à Monachorum votis, & cœlibatu argumentum. Et quia apud nos coniugia permissa sunt, iterum Cramben recoctam; hoc est, virulenta conuitia, reponit. *Veneris* enim appellat *Mancipia & Priapi Idololatras.* Iste (inquam) impurus pædico, qui olim non sine periculo vasa salua ex mulieris amatæ complexibus retulit, & nuper ex lustris Romanæ vrbis emersit, quique inter stupra & scortationes hircus olidissimus adoleuit, & nunc in eisdem consenuit; honestum coniugium idololatriam, & spurcitiem vocat. Idem eodem conuitio & sanctos Apostolos, & Episco-

[1] P.321.

pos priscos coniugatos conspuit. Nec enim præ vecordia cernit, quos lædat; modò nobis loquatur malè. Sed valdè fallitur, si has Pontificum Romanorum virtutes nobis aptari posse, credat. Retorqueat igitur ad suos Pontifices oculos, contempleturq; Monachorum suorum & Nonnarum greges. Nam in medijs illorum lustris reperiet illa, quæ dicit, *Veneris & Bacchi mancipia*. His dominis vsquequaque seruiunt. In adulterio confossus occubuit *Iohannes 12*. Reliqui ne tanto periculo venentur prædam, alunt scortorum greges. Pudet ea dicere, quæ isti faciunt. Quæ autem satis sunt ad huius belluæ coercendam loquacitatem, iam anteà diximus. Nihil est igitur, quòd [1] *Lutherum* appellet *Stygium Cerberum*. Nam si vel tria quis resolueret ora, aut rediret ille *Cerberus*; impudentiore latratu posset ille cælos allatrare, quàm nunc fecit *Rossensis*, non tantùm Stygius, sed etiam Aulicus canis, latratórque insanus. Consectatur enim magno impetu suas Nonnas, eásque sibi eripi molestè fert. Habet etiam aliquas cœnæ reliquias, quibus valdè timet. Ideò omnes bonos allatrat canis ipse ignauissimus. Quid igitur superest, nisi vt huic cani crura suffringantur, capútque fuste contundatur, quòd linguam tam impuram comprimere non potest?

[1] Pag. 321.

His certè conuitijs nihil est, quòd se quicquam effecturum speret; ne ineptis quidem à se allatis conclusiunculis. Non enim ex vna aliqua re quis aliquo simpliciter aut melior, aut deterior dicendus est; sed ex vniuersa vita, & moribus. Quare cùm *Roma* nihil sapere didicerit, discat ex me quomodo argumentari oporteat. Solida enim ego ponam fundamenta, quæque aut ipse *Rossensis* fatebitur esse vera, aut falsa esse docere non poterit. *Hæreticos* [2] *enim Rossensis, & malè de fide Christiana sentientes, quique cum diabolis commercia habent, eósque qui nec casti sunt, nec de religione inter se consentiunt, nec credunt aut inferos aut cælos, nec cogitant futura vitæ aut præmia aut pœnas; quique fidem abrogant priscis Patribus, & mutant sæpè religiones, & negant historias, & fœminas habent sacerdotes, imò & vnam ex eo numero Pontificem summam* (hæc enim fœmina mutauit verbi huius genus è masculino in commune) *& pueros ordinarios faciunt religionis indices, & nec veros habent Episcopos, nec Presbyteros, nec Sacramenta, nec cultum diuinum, nec cruces, reliquásque omnes Romanæ Ecclesiæ cæremonias vel pili faciunt: hos* (inquam) *Rossensis, eósque qui horum aliquod credunt, aut faciunt; deteriores fatetur esse Turcis & Paganis*. At hæc non tantùm Pontificij, sed summi etiam Pontifices aut credunt, aut faciunt. Videat igitur *Rossensis*, ne suos telis suis confixerit.

[2] Roff. c. 4. & 5.

Sunt enim hæretici summi Pontifices summi, ijdémque hæreticorum

insignes duces. Hæreses ijdem defendunt, & veteres & nouas. Eosdem etiam ostendimus cum diabolis familiariter vixisse, *Syluester* secundus diabolo se in disciplinam tradidit: diabolique erant mancipia *Gregorius* septimus, & *Benedictus* nonus. Nec Muscæ, cùm calet maximè, frequentiores sunt, quàm diaboli per Monasteria. Diabolum etiam Pontificij sub pedibus *Michaelis*, & ad latus *Martini* fingunt & pingunt in Templis: multique illum thure & precibus colunt. Habéntque Pontificij (vt diximus) complura à diabolis, omnem autem suam superstitionem ex humanis commentis & somnijs. Nec vnquam fuêre hirci salaciores aut impuriores, quàm Pontifices Rom, & eorum alumni Monachi & Sacrificuli. Neque tantùm in fœminis, sed etiam in pueris contráque sexum, lapsa est eorum libido. Pugnarúntque inter se non tantùm Rom. Pontifices contrarijs decretis & sententijs; sed, vt viros fortes decuit, etiam collatis signis & contrarijs exercitibus. Eorúmque diuersa studia sequuti reliqui Pontificum sectatores, se etiam in sectas & factiones diuiserunt. Nam vt vniuersus mundus consentiret, aquæq; cum igne conueniret: nunquam tamen conueniet Monachis inter se. Nec qui ita viuunt, vt isti per multos annos in Monasticis haris vixerunt, credibile est de futuro iudicio, aut inferis, aut cælis cogitare.

Hocquod vos cælum (inquit [1] *Sannazarius* de *Alexandro* sexto) quæ Numina dicitis, ille esse *Apinas* longo tempore crediderat. Huius etiam sententiæ de hoc Pontifice subscribit & *Guicciardinus*. Adeóque exiguus est Pontificijs, aut veritatis sensus, aut futuræ vitæ cura; vt de huius mundi honoribus & præmijs tantùm solliciti sint. *Leo* decimus moriturus, nihil aliud loquutus est, quàm de [2] *Parma* & *Placentia*. Illuc fortassè in aliquod lupanar animam suam immigraturam cogitauit. Quàm fidem Patribus abrogarint, iam diximus. Multoties ijdem nouas induxerunt religiones: quæq; nouissimę, eędem teterrimæ sunt. Non placebat qui olim in delicijs erat, eremus, nec Monachorũ officium priscum. Igitur nouũ surrexit *Dominici* & *Francisci* institutũ, & copiosi porcorum istiusmodi greges; totidémq; fœminarũ cœnobia, quot virorũ. Nam licèt vxores execrentur isti; fœminas tamen non nisi nimiùm amant. Impudicas (inquam) meretrices, inpudentes ganeones consectantur. Postremò exorti sunt ex militis ponfracto crure, tanquam ex serpentino seminio dentium fratres Iudaitici. Quos etiam ex mutuis vulneribus se inuicem trudentes, morituros speramus. Reliquis omnibus enim præ summo fastu & auaritia maximè sunt odiosi. Quemadmodum negant historias, & fœminarum & puerorum vtantur sacerdotio, iam anteà diximus: ijdémque demonstrauimus, non habere istos veros Episcopos, nec Presbyteros, nec Sacramenta, aut

[1] Lib. 1.

[2] Onuphr. 5.

religionem vel flocci facere. Nam exigua pecunia vendunt sacra & profana.

Sacra sub extrema (inquit *Sannazarius* de *Leone x.*) *si fortè requiritis* (*hora*
Cur Leo non potuit sumere: vendiderat.

Cur igitur non fatetur *Rossæus* vel sua confessione *Paganos*, & *Turcas* Pontificijs esse multò præstantiores? Nam non in his tantùm, sed multis alijs præstant. Imagines & pluralitatem Deorum detestantur *Turcæ*; fuitque tempus (vt inquit *Varro*) olim nulla essent Deorum simulachra apud Romanos. Hæc autem Romani Pontifices amplectuntur. Nam licèt Deos plures non credant; tribuunt tamen Virgini *Mariæ* & Sanctis, diuinum honorem: & opem ab illis, vt minorum gentium dijs, implorant.

Vt habuere *Pagani* deos singulos, à quibus singula beneficia expetebant: sic habent & Pontificij suos Sanctos seorsim singulis officijs destinatos. *Nicolaum* inuocant nautæ. Qui putridas habēt tibias S. *Antonium*; qui peste laborant, *Rochum* adeunt; quibus dentes dolent, *Apolloniam*. *Crispinus* & *Crispinianus* cerdonum sunt sancti, aut potiùs dij tutelares. Sic singulis rebus Pontifices Rom. singulos Sanctos deputarunt. Deum spiritu tantùm colendum docent Ethnici. Isti præcipuam partem cultus diuini in externis rebus locarunt. Moribus autem longè sunt illi Pontificijs honestiores. Fœdas enim contra naturam libidines plures damnarunt *Pagani*, plus Romanis Pontificibus. Coniugiúmque castitatem putarunt, quod isti pollutionis accusant. Non persequuntur *Turcæ* Christianos apud ipsos agentes; isti crudelissimè interficiunt. Romani transfugas & proditores ad hostes vinctos remiserunt. Isti magnis præmijs ad inimicos suos interficiendos, sicarios conducunt. Fidem illi diligenter coluerunt; isti non flocci faciunt. Erant illi & liberales magis, & minus crudeles & rapaces, morésque magis habuere compositos. Quid igitur habet *Rossæus*, quod respondeat, cur non sui sint *Turcis* & *Paganis* deteriores? Nam hoc non tantùm ex eius argumentis constat; sed etiam ex comparatione vniuersæ eorum vitæ.

Atq; hęc habui, quæ aduersus Pontificiam Synagogam pro vera & orthodoxa Ecclesia dicenda putaui. Si acerbiùs dicta videbuntur, cogitate nos acerbissimis prouocatos iniurijs non potuisse clementiùs dicere. Si abstinuissent illi à maledictis; præter causam ne verbum quidem, quod nollent, ex me audiuissent. Si adhuc pigeat ipsos maledicentiæ; placidè cum illis contendam. Si certare voluerint contentione dicendi, & contumelijs; nihil est, quòd certamen defugiam. Quid enim vberius, quàm pro bonorum virorum pietate & innocẽtia aduersus impios & flagitiosos homi-

hominès dicere? An cum omnibus nos affecerunt contumelijs, silentium expectant? Ex his autem, quæ nunc dicta sunt, & quæ sit, & quæ non sit vera Ecclesia didicistis. Relicta igitur Synagoga Satanæ, ad veram ecclesiam, cui luce verbi sui Christus prælucet, accedite. Nulla extra Ecclesiam est salus. Considerate vtriusque ecclesiæ, & pontificiæ, & nostræ, quam verè esse Catholicam probauimus, fidem & mores. Neque ex conuitijs, sed ex argumentis causam pendite. Deúsque, qui lumen est, & lucem cordibus arcana sui spiritus operatione offundit, tenebras mentis vestræ discutiat; vt Christum Iesum eiúsque vnicam Ecclésiam agnoscere possitis. Signa ostendi, aduersariorum coniecturas refutaui. Deus det vobis, vt quod rectum est & verum, clarè cernatis.

* *
*





Errata.

In Præf. pag. 5. lin. 23. lege *Vlenbergi*. l. 25. *Bozij*. p. 7. & 9. pro epistola in summo fol. lege præfatio. p. 9. l. vlt. quare nisi. p. 11. l. 8. adeò vt nisi facibus. l. 10. cœperunt. p. 12. l. 12. ex ciuitatibus vestris.

In libr. p. 6. l. 14. iustitia. l. vlt. suis futuris:) fieri. p. 13. l. 30. autem. p. 16. l. 14. Nicolaus. p. 17. 13. *Clarius* & l. 15. squalorem. p. 21. l. 21. 31. cæterum. p. 25. l. 17. *Clara*, & p. 25. l. 22. hæresēos. l. 28. dixerunt, *perrexiae*. p. 26. l. 29. officium. p. 29. l. 19. hanc impietatem. p. 32. l. 34. excommunicandos decernunt. p. 39. l. 35. signum p. 41. l. 30. consecrare. p. 52. l. 13. negarent: labem. l. 25. indicat. Nec. l. 26. domuerunt. p. 60. l. 6. occuparit: præsertim. p. 81. l. 12. pedesq; illis. p. 94. l. 9. duret ecclesia. p. 95. l. 1. falsum. l. 34. multitudinem. p. 103. l. 24. Origenes. p. 105. l. 11. Carthaginensis. p. 111. l. 8. ore illorum nihil. p. 125. l. 36. aliquod nouum. p. 134. l. 21. agnoscimus, & l. 34. super Petrum. p. 139. l. 12. Petri, cuiusq; rei memoriã albo lapillo, & die festo celebrant: & meritò. p. 157. l. 30. callidi homines. p. 161. l. 38. defensionē. p. 164. l. 6. Christum. p. 165. l. summa illi. p. 173. l. 28. fines idem. p. 180. l. 5. dele eos. p. 186. l. 23. ecclesia, suo iure sibi vendicent. p. 192. in marg. canto. 14. p. 193. l. 2. Petrus. p. 195. in marg. in concilior. p. 209. l. 9. cur ille alios. p. 215. l. 16. in legēdam. p. 217. l. 8. transcisis. pag. 220. lin. 37. coxam. pag. 228. lin. 15. ex membrorum. pag. 229. lin. 22. aduersus. pag. 234. lin. 4. vt mala omina. p. 256. l. 4. pro mortuo. p. 288. l. 32. sequuti sint. Ipsos. p. 293. l. 1. negare exempla. p. 293. lin. 34. falli potuerunt? pōtifices. p. 294. l. 26. tamen vtriq;. p. 296. l. 1. operũ stadia. p. 320. l. 24. Caleto, vrbe. p. 331. l. 37. procurrunt. p. 337. l. 6. oppositerint? neq;. p. 337. l. 35. mirabimini. p. 340. l. 12. pontificiam. p. 351. l. 32. illiberalem. p. 355. l. 23. sub Mariæ. p. 451. l. 6. tertius.

